



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

AD O V A R D I
G V A L A N D I
P I S A N I,
E P I S C O P I C A E S E N A T I S.

D E
C I V I L I F A C V L T A T E
L I B R I S E X D E C I M
N V N C P R I M V M E D I T I.

In quibus doctissime, ac luculenter vniuersa de
moribus Philosophia explicatur.



R O M A E,

Apud Aloysium Zannettum. M. D. XCVIII

S V P E R I O R V M P E R M I S S V.



IOSEPHVS Iſeus Caſenſis iuſſu Reuerendiſſimi P.
Fratriſ Bartholomaei Mirandae Magiſtri Sacri Pala-
tij, libros ſexdecim Illuſtris, & Reuerendiſſimi Do-
mini ADOVARDI GVALANDI CAE-
SENAE EPISCOPI, qui DE CIVILI
FACVLTA TE inſcripti ſunt, attentè & dili-
genter perlegi, nec quidquam in eis reperi, quod Sanctae Roma-
nae Eccleſiae placitiſ, vel boniſ moribuſ aduerſetur: quinimo lecto-
ribuſ valdè profuturoſ arbitror; atque digniſſimoſ cenſeo, qui typiſ
mandentur. Romae, vndecimo kal. Octobriſ M. D. XCVI.

Imprimatur

P. Epiſc. Raullen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. P. Picus.

SANCTISS. AC BEATISS.
CLEMENTI VIII.
PONT. MAX.



CAMILIVS GVALANDVS CAESENAB.
EPISCOPVS FOLIGITATEM.



VM post diuturnum Episcopalis curæ onus, huius sanctæ Sedis beneficio in meos, quamuis tenues humeros trāslatum, Adouardus Gualandus patruus meus Cæsena discessisset; atque optatissimo istius in Urbis sacratissimæ sinu conquieuisset; ne quiete sibi concessa, & suis veteribus studijs abuteretur, cæpit ad rationem aliquam instituendam animum applicare, qua facilior ad æternam salutem via Christiano homini ostenderetur: quam dum tractare contēdit; ita morum doctrinæ, ciuiliq; omni viuendi instituto annexam, admistamque cognouit; vt nisi diligenter seiungeretur, reddi vtramque in tractando confusam, obscuramq; necesse esset. Itaque eas a se inuicem separare, & de ciuili facultate agere primùm aggressus,

sus, quamquam multò longiorem eam explicando compererat, quam in initio forte existimarat; tamè absoluerè conabatur. Quæ in re nullum omnino, siue ex ethnicis, siue ex nostris est secutus auctorem: sed quatenus sibi per proprias vires licuit, ipsam humanam naturam expressit. Quæ quidè (sit modò fas, æternæ salutis scopo seiuncto, diuinis humana componere) ad eò cum ijs conuenire sibi visa sunt; quæ in Sancto Euangelio præcipiuntur; vt cuilibet, quamuis ab omni Religione alieno, vel hinc facili negotio apparere posse testaretur; eiusdem humanæ naturæ, & Christianæ legis eundem prorsus auctorem esse. Quod opus, Beatissime Pater, vni tibi dicere meritò constituerat: cum vt id, qualecunque esset, tuo sanctissimo iudicio, ac censuræ subijceret; tum verò, vt ex ijs, quæ in eo continentur, omnis tibi suorum studiorum ratio pateret. Verum (vt sunt hominum spes inanes, ac fluxæ) id agentè diebus, ac noctibus; & metu mortalitatis suæ festinantem, vt omnia perficeret, quæ inchoauerat opera (nam alia quoque multa erant præter hoc maioris moliminis, atque momenti) mors ipsa, his nondum absolutis libris

bris, magno illum bonorum omnium mœ-
rore confecit: quæ, tametsi ei minimè imma-
tura viro fuerit, cùm planè senex decefferit;
cunctaque optimæ, atq; inculpata vitæ mu-
nia sit executus; nobis tamen, qui maximas
vtilitates, atq; ad iuméta ex eius ingenij mo-
numentis suscepturi eramus, aliquanto acer-
bior videri possit. Ego, igitur proferre quæ-
cumque ab ipso de Ciuili facultate conscri-
pta reperi; ne illa cæteris inuiderem; & tuo no-
mini, quasi consilij, & voluntatis illius; vt alia-
rum rerum hæres, humiliter, Pater optime,
atque sanctissime dicare volui. Tu exiguum
munus accipe, precor, ea frontis serenitate,
qua illa soles, quæ tibi non iniucunda penitus
offeruntur. Deum autem optimum maxi-
mum oro, & quæso; vt te, quem ad electi sui
gregis salutem his calamitosis temporibus
comparandam, tanta sapientia, prouidentia,
& sanctitate præditum diuinitus concedere
dignatus est, assidue fouere, ac iuuare non de-
sinat; & Christiano populo flagitanti quam-
diutissimè seruet incolumem. Vale. Cæsena.
Kalendis Augusti. M. D. XCVIII.

3 Io-

I O S E P H V S I S A E V S

L E C T O R I S.



VNT qui mirentur, quod, cum sit natura ita comparata, ut eximio quodam veritatis amore flagremus; atque hanc appetamus unam omnium maxime, tam pauci eam ex omni mortalium numero, nec sine magnis laboribus consequantur. Nam cum innumera in singulis artibus, & doctrinis enunciationes existant; vix tamen ullam reperias, quam non circumfistant diuersae, atque adeo plane aduersae rationes, quibus & confirmari, & rursus infirmari, si minus euertere queat. Quod cum Philosophi superioribus seculis animaduertentes; atque hominum ingenia quasi in saelo fluctuantia conspicerent, nonnulli eorum extitisse dicuntur, qui de re quacunque sibi proposita probabile sese duros responsurus; & in utramque partem disputaturos esse profiterentur: alij vero, qui nihil certi esse dicerent, quod percipi possit; ac de quaque re suspensionem tantum haberi à nobis, atque opinionem quandam ipsi iidem, & opinarentur falso, & temerè suspicarentur. Hac vero, quamquam est à Veteribus luculenter, atque magnificè refutata sententia (nam & diuinitus inditos nobis ingenij, ac iudicij tollit igniculos, quorum lumen præcedimus in ipsa rerum indagazione quantumuis cognitu difficilium, & multa mersarum caligine: nec inutilem modo, sed etiam prorsus inane efficit illam veri adipiscendi cupiditatem, quam nostris animis prouida parens ingenerauit Natura) non desunt tamen, qui de ea querantur interdum, quod scientiam rerum tot difficultatibus obductam, atque obvolutam, quasi duris quibusdam corticibus, egre mortalibus extrahendam, atque epuleandam abdiderit. Vt minus mirum sit, quod asserbat Caelius nonnullos tædio inuestigandæ veritatis cuiuslibet operam potius tenere succubere, quam in ea exploranda pertinaci diligentia perseuerare. Id quidem cum in cæteris artibus, ac disciplinis, tum vero in ea facultate, qua mores formantur vsuuenire videmus: hæc enim paucissimos semper habuit earratores: alij quidem certi quicquam inde haberi posse desperantibus; alij autem labore deterritis nihil de ea meditantibus; sed aduina sedantibus passim vestigia, & in aliorum auctoritate delitescantibus. At illi profecto, qui de ea nihil sciri posse arbitrabantur, tam dudum, ut diximus, sunt explorati: hi vero, qui se aliorum quasi, cæcis, destitutisque sententijs addixerunt, etiam atque etiam monendi fuerunt, contra potius oportuisse: ut scilicet tanto maiore animi contentione, atque conatu sese ut percipere darent, deinde etiam alijs explanandam, atque illustrandam comparassent facultatem omnium præstantissimam (quippe quæ rectè instituendæ vitæ rationem pollicetur, cuius finis est humana felicitas) quanto maior rei difficultas existebat. Neque de Natura queri æquum esse, quæ sicuti gemmas, & aurum

Apud Mi
nut. in
Octau.

non

non in summo posuit, sed vel argenteis montium ponderibus subiecit, vel
 altissimis fluminum gurgitibus merisit, ita notionem rerum illis cha-
 riores multo, & pretiosiores procul in abdito condidit: & magnis voluit
 parari sudoribus. Summa potius ope nitendum, ut ne quis teneat nos er-
 ror, aut ignorantia: id quod sanè fit, non aliena modò inuenta pernoscendo,
 sed etiam perpendendo: & si qua maioribus ignota fuerint, ingentibus ani-
 mis peruestigando. Quod quidem ipsum graui sententia monebat quoque
 Basilus: non oportere videlicet nos veteribus uiris quantumuis ingenio,
 & doctrina prestantibus, ita mentis nostrae gubernacula permittere, ut
 quacumque ducant, ea sequamur: sed id duntaxat, quod è re est ab illis
 accipientes, sciamus etiam, quod opus sit contemnere audere. Nam cum sit
 omnibus porius nata veritatis, id est sapiendi innata cupiditas, ij sibi profe-
 ctò sapientiam adimunt, qui sine ullo iudicio maiorum dicta quaeque pro-
 bant: & ab alijs pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit (ut scitè aie-
 bat Firmianus) quòd, maiorum nomine posito, nò putant fieri posse, ut
 aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia ma-
 iores nominantur. Quid ergò impedit, quin ab ipsis sumamus exemplū:
 ut quo modo illi, qui falsa inuenerant posteris tradiderunt, sic nos, qui
 verū inuenimus, posteris meliora tradamus? In optima igitur animi di-
 sciplina homines audacter, & strenue versari oportebat. Cur enim in disse-
 rendi tantummodo subtilitate; in rerum naturalium causis peruestigan-
 dis; in Caeli motibus radio describendis; denique in aliorum quorundam
 eiusmodi studiorum vana ostentatione, & nihil sanantibus literis occupa-
 ti, atque intenti esse debuerunt; eam verò facultatem omittere, ac barba-
 ro quodam fastidio aspernari, unde pietatis, honestatis, iustitiae, fortitudi-
 nis, virtutum omnium cognitio manat, quibus tamquam vehiculis ad eam
 prouehimur, quam tantopere abhelamus omnes; ad quam votis omnibus
 tendimus, vniuersasque actiones nostras, atque consilia referimus, felici-
 tatem? Quamquam enim haud sumus noscitur, Chrysippum olim, Posido-
 nium, Musonium, Epictetum, aliosque Stoicorum porticum fulcientes; Plu-
 tarchum etiam, & qui, graeci hominis Plutarchi sententia, grecos omnes,
 quotquot de moribus scripsere longè antequit, Annaeum Senecam permulta
 mandasse literis, quae ad bonos mores comparandos non parum conferant;
 tamen hi à proferenda potius, atque sententias conferferunt, quàm iustam
 de moribus artem conscripserunt. Ne Plato quidem hasce res via, & ratione
 tradidit: sed quemadmodum Oratores, & Poetae nonnulla dicunt ad vitam
 vtilissima, sic ille sparsim, nullo ordine nonnumquàm aliqua vtiliter (non ne-
 go) & grauius dicit, numquam tamen ex illis, etiam si omnia collegerit
 quispiam, artem, & doctrinam aliquam conflauerit. Solus itaque labor
 ille Aristotelis, ut plerisque; aut Nicomachi, ut Ciceroni placet, qui Mo-
 ralium Nicomachiorum inscriptione circumfertur, totius artis huiusce pon-
 dus, ac gravitatem sustinere videbatur (nam quae Magna Moralia dicun-
 tur, quaeque vocantur Eudemia, siue eorum Aristoteles, siue Eudemus
 Rhodius

In lib. de
 liberalib.
 studiis in
 princ.

Diuin. in
 tit. lib. 2.
 cap. 8.

Rhodijs sit author, *Moralium Nicomachiorum quasi quaedam paraphrasos, & compendia videntur esse*) At verò, cum Philosophus ille summa rerum tantummodo fastigia delibavit, Auctor noster **ADOLFUS GVALANDVS EPISCOPVS** non tam illius imitationem, quam emulationem instituens, hos ingenti labore libros variae doctrinae, summi ingenij plenissimos condidit, quibus ea praeclearissimis vel inuentis, vel iudicijs disputavit: ut inde non modo insignem quandam ad Veterum volumina factam fuisse accessionem; sed nihil admodum iam in arte morum uniuersa praeterea requiri posse videatur. Id adeò facile intelligent, ac sponte fatebuntur, quicumque haec talium rerum non ignari diligenter, attenteque perlegerint. Quamobrem (ne longum faciamus) letitia summa perfundimur, quòd & sibi vir optimus, ac sapientissimus, quem olim degentem in terris unice dileximus, & reueriti sumus, nunc Caeli ciuem etiam colimus, egregia commentatione laudem, & gloriam apud posteros haud vllò tempore intermorituram pepererit: & tibi simul (humanissime Lector) hinc studij, & lectionis tuae fructus maximos, vberrimosque pararit. Fave modo diu, multumque meditato, atque utilitati tuae demum parto operi: & caue, ne plus iniquum, (ut ait ille) qui semper aliena carpunt, sua prodehere nolunt, quam æquum apud te possit oratio. Vale.



SIN-

SINGVLORVM LIBRORVM

totius huius operis capitum Index.



CAPITA LIBRI PRIMII.

D E Ciuili facultatis fine, ac triplici ciuili vitæ genere. Cap. 1. pag. 5	
Actionem secundum virtutē perfectam, finem, vel felicitatem non esse. Cap. 2. 7	
Honestatem Aristotelis, & Stoicorum more sumptam, finem non esse. Cap. 3. 9	
Voluptatem ab Aristotele, cæterisque Philosophis propositam, finem non esse, neque etiam honestatē cum voluptate coniunctam. Cap. 4. 10	
Humanitatem principium esse in homine, & appetitum iuuandi homines. Cap. 5. 13	
Honestatem humanitatis moderamen, & Ciuili facultatis finem esse. Cap. 6. 15	
Honestatem finem externum, & actionum perfectionem esse; Voluptatem verò internum, & agentis. Cap. 7. 16	
De felicitate, & felici. Cap. 8. 18	
Quæ ad felicitatem adipiscendam sint necessaria. Cap. 9. 20	
Hominem, vt bonos iuuando felicem, ita eos lædendo miserum fieri. Cap. 10. 22	
Felicitatem non honorabilem, sed potius admirabilem esse. Cap. 11. 23	
Eorum series, quæ in tota tractatione sunt explicanda. Cap. 12. 24	

Capita Libri Secundi.

D E Voluptate. Cap. 1. 25	
Voluptatem, non motum, aut actionem, neque actionis perfectionem esse, sed agentis. Cap. 2. 26	
Voluptatis perfecta definitio. Cap. 3. 28	
De Indolentia. Cap. 4. 29	
Num motus, an quies; & num actus, an potentia sit nobilior. Cap. 5. 30	
De voluptatum speciebus. Cap. 6. 31	
De honestæ voluptatis præstantia. Cap. 7. 32	
De ijs, quæ ad honestam voluptatem capiendam exiguntur. Cap. 8. 34	
De Appetitu. Cap. 9. 35	
Quid sit appetitus. Cap. 10. 37	
De Appetituum differentijs. Cap. 11. 38	
Num sensitiua potestas vegetatiuæ gratia	

fit, an contra. Cap. 12. 39	
De reliquarum potestatum appetitibus. Cap. 13. 40	
De Affectibus. Cap. 14. 42	
Quid sit affectus, & quid affectu moueri. Cap. 15. 45	
De affectuum differentijs. Cap. 16. 46	

Capita Libri Tertij.

D E bonis, ac malis, vel de expetendis, & fugiendis. Cap. 1. 48	
De bonorum diuisione. Cap. 2. 50	
De bonorum æstimatione. Cap. 3. 52	
De appetente. Cap. 4. 54	
De agente, vel de ciuili artifice. Cap. 5. 55	
De officio agentis; siue ciuili artifice. Cap. 6. 56	
Quod in vniuersum cognitionem appetitio, hanc verò actio sequatur. Cap. 7. 57	
Obiectum leue præsens, cur interdum magis moueat, quàm futurū graue. Cap. 8. 59	
Cognitione vna existente, cur ab ea diuersæ appetitiones proueniant. Cap. 9. 60	
De potestatum inter se ordine, & connectione. Cap. 10. 62	
Quibus modis potestates inter se pugnent. Cap. 11. 63	

Capita Libri Quarti.

D E vegetatiua potestate, eiusque obiectis. Cap. 1. 66	
De motrice potestate, & eius obiectis. Cap. 2. 68	
De sensitiua potestate, & eius obiectis. Cap. 3. 69	
De irascibili potestate, & eius obiectis. Cap. 4. 71	
De maiori, & minori ira. Cap. 5. 73	
Quid sit ira, & qualis. Cap. 6. 74	
De ira ex contemptu. Cap. 7. 76	
Iram non ex solo contemptu nasci. Cap. 8. pag. 78	
De rationali potestate, & eius obiectis. Cap. 9. 79	
Cum a rationali parte, irrationalis sit dirigenda,	

LIBRO QUINTO INDEX

rigenda, quomodo ipsa dirigatur non apparet. Cap. 10.	80
Ratio quomodo recta fiat. Cap. 11.	81
Quomodo ratio reliquas potestates mo- ueat, & moderetur. Cap. 12.	82
De communibus omnium potestatum ob- iectis. Cap. 13.	83
Dubitationis solutio, quod frustra præce- pta traduntur, si potestates necessario ad propria obiecta mouentur. Cap. 14.	84

Capita Libri Quinti.

D E erroribus, qui in vniuersum in a- gendo contingunt; & de præceptis, quibus vitantur. Cap. 1.	86
De præceptis in genere, quæ ad rectè agē- dum conducunt. cap. 2.	88
De erroribus, qui circa singulas potesta- tes accidunt in vniuersum. cap. 3.	89
De præceptis ad singulas potestates spe- ctantibus. cap. 4.	90
De habitu, more, & consuetudine. cap. 5.	91
Quomodo ex frequentatis actibus, & in qua parte animæ fiat habitus. cap. 6.	93
De potestatum, & primū rationalis in singulis actionibus, & in omnibus regu- la. cap. 7.	95
De irrationalis partis in singulis actioni- bus, & in omnibus regula. cap. 8.	97
De præceptis potestatum, ne altera alte- ram impediatur. cap. 9.	99
De præceptis uegetatiuæ potestatis. ca. 10.	101
De præceptis motricis potestatis. cap. 11.	102
De præceptis sensitiuæ potestatis. cap. 12.	104
De præceptis irascibilis potestatis. cap. 13.	105
De præceptis rationalis potestatis. cap. 14.	106
Potestatum omnium harmoniam, & homi- nis perfectionem eisdem præceptis con- tineri. cap. 15.	108
Eorum, quæ dicenda sunt, cum superiori- bus connexio. cap. 16.	109

Capita Libri Sexti.

N ecessariam esse homini societatem. cap. 1.	110
Quot modis homines in societatem, & cō- uentionem coeunt. cap. 2.	111
De societatum, & conuentionum generi- bus. cap. 3.	113

De iuridica societate; & cur de ea prius agendum sit. cap. 4.	113
Quid sit societas. cap. 5.	114
Quomodo vnio intelligenda sit: & expen- duntur, quæ ad genus attinent societa- tis. cap. 6.	115
De communi commodo, & fine societatis. cap. 7.	116
De oppositis societati. cap. 8.	117
De aptis ad societatem. cap. 9.	118
Aptos ad societatem partim egere, partim abundare oportere. cap. 10.	119
Aptos ad societatem ex potentia, & volun- tate tradendi, & accipiendi componi. cap. 11.	122
Superioris combinationis membra dili- gentius expenduntur. cap. 12.	123
De causis, quibus alijs prodesse possumus. cap. 13.	124
De voluntate dandi. cap. 14.	125
De voluntate accipiendi. cap. 15.	126

Capita Libri Septimi.

D E bona inter simul contrahentes opi- nione, quæ est fides, & honor. cap. 1.	127
Fidei, & honori respondere, & æquari vir- tutem, ac dignitatem. cap. 2.	128
De motu animorum in componendis so- cietatibus. cap. 3.	129
De erroribus. cap. 4.	131
De fictionibus. cap. 5.	132
De obligationibus. cap. 6.	134
De socijs. cap. 7.	137
De malo socio. cap. 8.	138
De officijs. cap. 9.	139
Quid in iuridica societate sit officium. cap. 10.	140
De peccatis, siue erroribus circa officium. cap. 11.	141
Quod nullum sit peccatum extra societa- tem. cap. 12.	142
Quid agendum aduersus peccantes. cap. 13.	143

Capita Libri Octauo.

D E iure. cap. 1.	146
De impropijs iuris significationi- bus. cap. 2.	147
De proprijs iuris significationib ^{us} . ca. 3.	149
De iure, vt est paritas. cap. 4.	151
De communi iuris commutatiui, & distri- butiui definitione. cap. 5.	153
Ius non rationum paritatem esse, vt cen- set Aristoteles, sed commodorum. cap. 6.	156

De

C A P I T V M.

De æquitate, & quid inter eam, ac Ius interfit. cap. 7.	157.
De communi mēſura ad ius inueniendum, & æquitatem neceſſaria. cap. 8.	160.
An in commutatione, accipientis commodum ſpectandum ſit, an tradentis incōmodum. cap. 9.	162.
Ius cum iuridicæ ſocietatis ſine, & communi commodum idem eſſe. cap. 10.	163.
Cur aliquando, licet ius adſit, non tamen commune commodum adeſt. cap. 11.	164.

Capita libri Noni.

D E Iure, vt eſt poteſtas, vel aptitudo. cap. 1.	165.
Ius non eſſe facultatem actiuam, ſed perfectionem quoad externa impedimenta. cap. 2.	167.
Ius non eſſe idem cum libertate, & quid inter vtrumque interfit. cap. 3.	168.
An ius ſit lex. cap. 4.	169.
Quid ſit lex. cap. 5.	171.
Eadem in ſocietate legem ferente, quæ in quolibet agente conſiderari. cap. 6.	172.
Legem vtilem, & inutilem, iuſtam, & iniuſtam eſſe poſſe. cap. 7.	173.
De iuſtitia. cap. 8.	174.
De iuridicæ ſocietate naturali. cap. 9.	177.
Naturalem ſocietatem voluntariarum veluti fundamentum eſſe. cap. 10.	179.
Bonos in voluntarijs ſocietatibus contrahendis naturæ ius inſpicere. cap. 11.	180.
De iure, vt eſt nomen ad vnum. cap. 12.	181.
De Iniuria. cap. 13.	182.
De Iuris laude. cap. 15.	184.

Capita libri Decimi

D E benefica ſocietate. cap. 1.	186.
De beneficæ ſocietatis ſine, ſiue de honeſtate. cap. 2.	187.
De aptis ad beneficam ſocietatem. cap. 3. pag.	188.
De inope, ſiue digno. cap. 4.	191.
Virtutis moralis natura, & definitio. cap. 5.	193.
Virtutum moralium diuiſio, & numerus. cap. 6.	195.
Alias morales virtutes præter dictas non eſſe. cap. 7.	198.
De moralium virtutū ſubiectō. cap. 8.	199.
Virtutes morales quomodo acquirantur. cap. 9.	200.
De recta educatione. cap. 10.	202.
De vitijs; & quomodo contrahantur. cap. 11.	204.
Habitus tam bonos quàm malos mutari	

inuicem poſſe: & primùm quomodo ex bono fit malus. cap. 12.	206.
Quomodo ex malo habitu fit bonus. cap. 13.	208.

Capita libri Vndecimi

D E Prudentia. cap. 1.	211.
Quid ſit prudentia. cap. 2.	214.
De fortitudine. cap. 3.	216.
Cur pauci verè fortes. cap. 4.	220.
De modis fortitudinis non verè. cap. 5.	222.
Qui ſuiipſius cauſa pugnat, num ſit verè fortis. cap. 6.	224.
De liberalitate. cap. 7.	226.
De modis non verè liberalitatis. ca. 8.	229.
De Heroica Virtute. cap. 9.	231.
De Iuſtitia Regia. cap. 10.	233.
De Patientia. cap. 11.	235.
De Veracitate. cap. 12.	238.
De Vrbanitate. cap. 13.	241.
De Obedientia. cap. 14.	245.
De Magnificentia. cap. 15.	246.
De Temperantia. cap. 16.	246.
Dicendorum nexus. cap. 17.	248.

Capita libri Duodecimi

D E dignitate naturali. cap. 1.	253.
De dignitate ex meritis. cap. 2.	256.
De dignitate hæreditaria, ſiue de nobilitate. cap. 3.	257.
De dignitatis comparatione inter Nobilem, ſtudioſum, & diuitem. cap. 4.	260.
De voluntate dandi, & accipiendi. cap. 5. pag.	262.
Cur dare quis velit; aut accipere plura, vel pauciora. cap. 6.	264.
De erroribus. cap. 7.	266.
De fictionibus. cap. 8.	267.
De officijs. cap. 9.	267.
De peccatis. cap. 10.	368.
De peccatis inopun. cap. 11.	269.
De gratitudine. cap. 12.	270.
Dubitationum quarundam ad gratitudinem ſpectantium ſolutiones. cap. 13.	272.
De ingratitude. cap. 14.	274.
De pietate, & primùm erga Deum. cap. 15. pag.	275.
De pietate erga patriam. cap. 16.	277.
De pietate erga parentes. cap. 17.	278.
De pietate erga filios. cap. 18.	280.
De pietate erga ſiſtates, cæterosque cognatos. cap. 19.	281.

Capita libri Decimiertij

D E honore. cap. 1.	283.
De honore, vt eſt ſignum. cap. 2.	285.
Hono-	

I N D E X : C A P I T V M .

Honorem, quo ad suam essentiam, opinionem esse de dignitate. cap. 3.	286	
De honore, ut hominis aestimatio est. cap. 4.	287	
De honore, ut est symmetria, siue communis virium ad voluntatem. cap. 5.	288	
De honore, ut est alienae voluntatis possessio. cap. 6.	290	
De honore in iuridica societate. cap. 8.	292	
De honore in herili societate. cap. 9.	293	
De honore solitarij, & hostis; vel de eo, quod illi proportione respondet. cap. 10.	293	
Num honor virtutis praemium sit. cap. 11.	294	
Honorem hominibus magnum bonum esse. cap. 12.	295	
Honorem cur appetat beneficus. cap. 13.	296	
Dum honor sit in honorante, an in honorato. cap. 14.	297	
Dum felicitas sit bonum honorabile. cap. 15.	299	
De laude, eiusque definitione alia consideratio. cap. 16.	300	
<i>Capita Libri Decimi quarti.</i>		
D E gloria, & fama. cap. 1.	302	
De reuerentia, & obseruantia. cap. 2.	304	
De cultu, veneratione, & adoratione. ca. 3.	306	
De oppositis honori, ac dignitati. cap. 4.	307	
De contemptu. cap. 5.	308	
De fide. cap. 6.	310	
Solutiones dubitationum quarundam de fide, quod non sit opinio. cap. 7.	311	
<i>Capita Libri Decimi quinti.</i>		
D E maiori dignitate, siue de excellentia, & principatu. cap. 1.	313	
De maioris dignitatis, & excellentiae cau-		315
sis. cap. 2.		316
De dignitatis inter actiuam vitam, & contemplatiuam comparatione. cap. 3.		318
Actiuam vitam in ciuitate contemplatiuam praestare. cap. 4.		321
Dignitatis comparationem inter membra eiusdem societatis, & reipublicae esse. cap. 5.		321
Eorum diuisio inter quos de principatu certari potest. cap. 6.		324
De dignitatis inter hominis partes, animaeque humanae potestates comparatione. cap. 7.		325
De dignitatis inter exteriores sensus comparatione. cap. 8.		328
De dignitatis inter potestatum, vel exteriorum sensuum obiecta comparatione. cap. 9.		329
<i>Capita libri Decimifexti.</i>		
D E dignitatis artium inter se comparatione. cap. 1.		332
Finem reliquis terminis digniorem esse, solum tamen artem non constituere. cap. 2.		334
De artium diuisione ad earum dignitatis inuestigationem necessaria. cap. 3.		335
Fine formali, vel solo, vel alterius termini ope, dignitatem artium diiudicari. cap. 4.		338
De dignitatis inter Iurisprudentiam, & Medicinam comparatione. cap. 5.		339
De dignitatis inter Statuariam, & Picturam comparatione. cap. 6.		340
De dignitatis inter artes ministras, iuxta earum fines, ac materias, comparatione. cap. 7.		342
De dignitatis inter artes ministras, iuxta ceteros terminos comparatione. cap. 8.		344
De dignitatis inter rem literariae, & militarem comparatione. cap. 9.		346
Dignitatem artium, & artificum pro respectuum, locorumque diuersitate mutari. cap. 10. pag.		350

F I N I S .



AD O V A R D I G V A L A N D I P I S A N I E P I S C O P I C A E S E N A T I S D E C I V I L I F A C U L T A T E

Liber Primus.



P. R. E. F. A. T. I. O. N. E.



MNIBVS artibus, ac facultatibus, certum finem propo-
situm. esse constat, ad cuius consecutionem cunctæ opera-
tiones artificis diriguntur. Cum autem aberrare facillim-
um sit, nisi certa quadam ratione ac via ad ipsum progre-
diamur, perspicuum est, eas plurimis præceptis indigere,
quibus artifices quasi manu ducti, quo quid loco ac tem-
pore, & quomodo agendum sit, exacte cognoscant, ut omni

ni errore remoto, finem quem inquirunt, non magno labore assequi possint.
Itaque patet civilem quoque facultatem plurimis regere præceptis ad proprium
10 finem adipiscendum, longeque pluribus quam reliquæ artes, utpote in quibus
multo facilius sit, aut certe turpius, ac periculosius deicipi, quam in cæteris.
Nam cum illis nihil aliud queratur, quam singula quadam eorum, quæ ad vic-
tam traducendam conducunt, hæc ijs omnibus sola vtiq; quæ reliquis pro-
posita sunt, quæ, quid referat nos sine vlllo errore consecutos esse, si quis nam
eorum vsus sit, vel ignoremus, vel deteriorationem in partem accommodemus, ijs-
que abutramur? Quæ quidem ratione præstituerit, in alijs artibus voto frustra-
ri. Quid enim aut militaris facultas proderit, aut familiaris, aut medicina, si
parta demum victoria, diuitijsque, ac prospera valetudine ita utaris, ut ex ijs
potius incommoda, ac dedecora, quam commoda vlla decore, tibi tuisve
20 comparentur? Enimuero plurimi & olim fuere, & quotidie videntur, quos di-
uitiæ, cæteraque illa, quæ ab omnibus expetuntur bona pessum dederunt, quasi
mala fugiendaque fuissent; quippe quæ bona illis tantummodo sint, (ut probe
Comicus ait) qui recte vti nouerint, illis mala qui non recte vtantur. Quod
cum sæpissime vsu venire perspiciamus, mirari merito possumus, cur plerique
homines finem nullum statuant corrogandis opibus, alijsque quæ bona appel-
lantur coaceruandis, ijsque artibus quarum ministerio ea consequi se posse spe-
rant

A rant

sant, summo studio ac diligentia animum adiungant, molestiasque ac labores
 immensos illis exercendis absorbeant; illam vero facultatem quasi conspira-
 tione facta mirifice negligant, quæ quo pacto illis. uti conueniat, sola docet;
 quam veluti itineris ducem, ac viuendi magistram sequi, omnibus magnopere
 expediret, quicumque non penitus aberrare, sed opratum ad finem peruenire,
 & bene beateque exigere vitam contendunt. Nec ullos labores recusare eos
 oportet, ut tantam vtilitatem, voluptatemque adipiscerentur. Verum incuria,
 aut desidia hæc non aliunde existere censenda est, quam quod omnes cum æta-
 te aliquantulum proveciores sumus, experientia ingenique fiducia, hanc ar-
 tem nobis assumimus, & quasi probe perceptam vendicamus. Nec est quisquam
 tam iners, aut tam gerendarum rerum ignarus, quin eam profiteri audeat, &
 qui non se prudentissimum credat, doctumque tum sibi ipsi prospicere, tum al-
 terum admonere, & que e re nata præbere consilium. Ac quemadmodum fa-
 ber, numquam fabro primas in sua arte detulerit, ita nec homini homo in fa-
 cultate ciuili, quæ illius quatenus huiusmodi est, propria esse videtur. Nam ut
 ab alijs artibus alias formas, aliasque appellationes nanciscuntur artifices, ita
 ab hac consequitur artifex, ut vere sit, vereque appellari possit homo; hoc est,
 ut cedatis cunctis animorum motibus, recta ratione atque humanitate artifi-
 ciose & prudenter utatur. Quæ res quanti facienda sit, rerum gestarum scripto-
 res, Poetæ, alijque non pauci testantur; quibus id vnum curæ est, ut admoni- 20
 tionibus, adhortationibus, & exemplis, homines ad bene viuendum inuitent,
 & quam maxime fieri possit, ipsos reddant humaniores. Vnde factum est, nec
 immerito, ut illa à multis humanitatis studia nuncupentur. Itaque cum hæc fa-
 cultas propria sit hominis, ut dictum est, cumque ea ferinam exuere naturam;
 rectaque ratione, & humanitate uti; demum bene beateque viuere doceamur;
 quis eam non modo vtilissimam esse, verum etiam maxime omnium necessa-
 riam non iudicabit. Quamobrem summa laude atque honore, tanquam de
 humano genere optime meritis, eos prosequi decet, quicumque illam hæc-
 tenus, aut docuere alios, aut de illa litterarum monumentis quicquam tradi-
 dere; licet non omnino multi hunc sibi laborem assumpserint; & quorundam 30
 qui assumpsisse feruntur opera, inuidia temporum ad nostram vsque ætatem
 non peruenere. Quorum omnium post hominum memoriam princeps Socrates,
 facultatem hanc de cælo deduxisse dicitur, cum à naturali ad moralem philoso-
 phiam, studia omnium traduxerit; quam non modo verbis, sed vita quoque,
 ac moribus professus, jecit huius fundamenta doctrina; dignus sui propterea
 diuini propemodum deferantur honores. Cuius doctrinae vestigia in Platonis,
 ac Xenophontis commentarijs apparent, qui si disciplinam hanc, certa aliqua
 ratione, ac via, potius quam incertis sermonibus integram tradere conati es-
 sent; plurimum illam promouere, ac prodesse omnibus potuissent. Sed fortas-
 se suorum temporum consuetudine adstroniti, quibus omnia verborum amba- 40
 gibus, atque inuolueris abdebantur, cuncta explicare noluerunt. Hos secutus
 Aristoteles diuino ingenio vir, ætam primus omnium in doctrinae ordinem redi-
 gere aggressus, mirum est, quantum terminos huius facultatis protulerit. Non ta-
 men ita eam perfecisse visus est, ut nihil præterea desiderari posset. Id quod
 eximius illius discipulus Theophrastus declarauit, cum multa eadem de re vo-
 lutina ediderit; quæ si extarent, credibile est, non parum adiumenti fuisse huic
 negotio allatura. Zeno quoque stoicique omnes eandem viam ingressi, sæpe
 a Peripateticis dissidentes, plurima perscripserunt, quæ quamuis perierint pro-
 pte omnia, tamen quanti fuerint facienda, tum quædam eorum reliquæ, tum
 aliorum testimonia, grauissimæque sententiæ ostendunt. Quorum omnium 50
 præstantissimus Chrysippus medicorum exempla secutus, singulis animi ægri-
 tudinibus, ac vitijs, proprias curationes ac medicamenta docuit adhibere.

Quod

Quod opus iniuria temporum amissum, longe (ni fallor) aptissimum: ad man-
 dis animis fuisse existimandum est. Neque verò penitus resciendum videtur
 Epicurus, quamquam sensivæ voluptatis assertor, omnium tamen continen-
 tissimus, qui ea repetens, quæ ab Eudoxo, atque ab Aristippo tradita fuerant,
 multa quoque præclara, vitæque traducenda non inuicilia continens est. Sic
 ne singulos persequamur, primus inter nostros Cicero, ea quæ à Græcis tras-
 stata erant, peculiari quodam ordine, ac non mediocri doctrina, maiori tamen
 facundia latine reddidit, post quem pauci fuerunt, qui huic disciplinæ adiuuan-
 tum attulerint, præter Senecam ex nostris, & Græcis Plurarchum, ut reliquos
 29 dimittamus tam Græcos quam Latinos, qui dicet multa, æglogia sanè illa, nec
 minus fortasse utilia iuuentuti instituendæ, memoriæ commendauerunt, nulla
 tamen arte, nulloque ordine complexidunt, ut erudiri quidem lectores, ijs per-
 legendis, ac sententijs locupletari possint, facultatem vero bene beatèque vi-
 uendi, consequi non possint. Omnes autem ab ultimo Socrate ad nostram æ-
 que ætatem, maxima inuitavit utilitas, quam se allaturus suis præceptis, ho-
 minum generi existimauerunt, eademque hoc tempore nobis persuasit, ut eor-
 rum exempla secuti, hoc onus susciperemus, præsertim cum perspicere possi-
 mus, in tam ampla tamque difficili tradenda facultate, post tot celeberrima, il-
 lustrum philosophorum extincta monumenta, satis amplum solum esse lo-
 30 cum ijs, qui alios iuandi desiderio, nullum sint laborem recusaturi. Etenim
 dum aliorum diligenter perlegimus opera, inuenimus non paucos ab illis, præ-
 termissa esse ex ijs, quæ scire illis necesse est, qui bene vivendi futurus sit arti-
 sex. Quæ quamquam ex ipsa tractatione intelligi omnia possunt, quædam ta-
 men hic indicare necessarium duximus, ne initio existimarent lectores, frustra
 hunc laborem susceptum esse, & cognoscere possent, quid à nobis in aliorum
 scriptis desideretur, & quid nos ad scribendum impulerit. Namque moralia,
 ad Nicomachum, seu Nicomachi ipsius, (ut quidam scripserunt) seu potius
 Aristotelis sunt, aurea quidem illa sunt, tantoque viro dignissima, quippe quæ
 non paucas civitatum rerum exactas definitiones contineant, & doctrina refer-
 30 ra sint minime vulgari. Veruntamen si vera fateri volumus, ea que efferre que-
 sentimus, nec nobis ipsa diuini hominis auctoritate, ac reuerentia imponere,
 quamuis præclarissima illa sint, ut certè sunt, nihilominus incendere potius, at-
 que inflammare virtutum, atque honestatis ardore hominum, animos possunt,
 quam instruere & conformare. Si quidem nullus in ijs de societibus sermo ha-
 betur, quo sit, ut neque de iure, & honestate, neque de virtute, & dignitate,
 neque de honore, & fide, alijsque innumeris, quæ societates ipsas comitantur,
 ex suis principijs quicquam demonstrent. Præterea nec docere videntur, quo-
 nam pacto vel turpia declinanda sint, vel prosequenda honesta, nec explicare,
 quo quidque loco, ac tempore agendum vel fugiendum sit, ut propositum ab
 40 eo rerum omnium agendarum finem, tantopere ab omnibus expectum conse-
 quamur; Cui rei maxima sanè cura, ac diligentia incumbendum fuit. Quid
 enim proderit is, qui indicato tantum loco, quò viatori perueniendum sit, viam
 quæ illò perducatur non demonstrat, nec semitas aut diuerticula quæ aliorum
 abducunt, aut etiam foueas moneat euitare? Siue is, qui signo forte proposito,
 quod sagitta ferendum sit, rudem sagittarum iubeat collimare, nec doceat
 quam ratione, aut intendendus sit arcus, aut dirigenda sagitta ne aberrat?
 At vero existimare par est, ipsum Aristotelem, eam tractationem, aut veteri
 consuetudine obscuram reddere voluisse, aut grauioribus studijs occupatum,
 plura prætermisisse, quæ facillè potuisset comminisci, si per alias occupationes,
 50 huic de Moribus disciplinæ licuisset animum adhibere. E cæteris soli fere Chry-
 sippus, atque Panætius, quem Cicero in his libris est æmulatus, quos de offi-
 cijs inscripsit; actiones singulas comprehendere, & moderari methodo quadam

4 DE CIVILI CIVITATE

conati sunt; ac si minus quod tentarunt absolvere potuerit, eorum tamen conatus laudandus est, & quod tot tantique labores prope exciderint, ægro ferendum. Omnibus vero gratiæ habendæ sunt, præcipue tamen Aristotelis, cuius quæ de hac re scripta extant, à nobis fere comprobantur, nam in paucis ab eis dissentimus. Verum tamen cum ea quæ ab ipso tradita sunt, ad civilem formandam artificem, minime sufficere videantur, conemur & nos pariter. Peripatetico more discedentes suppletemus. Cur enim non excitemur ad hanc facultatem augendam, ac locupletandam, cum iuris prudentiam, & medicinam tam copiose, ac diligenter, à veteribus traditas, à multis doctissimis viris in hoc emendatissimo seculo, excoli quotidie, atque exornari videamus. Præsertim cum hæc longo nobilissima sit atque utilissima, cum longe plures, longæque sædiores, assidue in animos ipsos ingruant morbi; unde tanto periculû gravius impendet, quanto latentiores sunt, & penitus multo, quam corporis ægrotudines abditæ dehiscent. Quibus nisi præsentanea remedia afferant, non illum modo, quæ corripuere, sed plerumque integras cum civitates, gentesque ipsas evertunt. Argumento esse possunt seditiones, ac bella, quæ nostra tempestate maximam Europæ partem in fœderatam Christianæ republicæ, & religionis deformationem peruagantur. Quod quantum alia evenire ratione censendum est, quam quod Reges ipsi & Principes, suorum officiorum inmemores, ira aut cupiditate obcecati, præcipites rapiuntur; nec antræduerunt, se plerumque leuissimæ contentionis causa, populos eorum curæ commissos, quibus maxime prospicere illos, & commodatè comparare oportebat, in perniciem trahere. Horum animos ita affectos quanto satius esset sanare, quam quæuis corpora. Ut missas faciamus innumeras ærumnas, & calamitates, quæ hominum generi; tum ægrotudinibus animorum, tum officiorum imperitia, atque imprudentia comparantur. Nec est unde tantis malis expectanda remedia sint, præterquam à facultate civili; cuius præsidio peruectas rerum agendas opiniones, quæ caligines ac densas tenebras offundunt animis, extrudere possumus; eorumque perturbationes quasi fœuissimas tempestates sedare, eisque lumen, ac tranquillitatem afferre. Cui nos cum operam aliquot annos adhibuerimus, & quantum potuimus diligentia perlegerimus ea, quæcumque hætenus hac de re, ab alijs scriptoribus mandata litteris, in manus nostras peruenere; præterea rebus gestis virorum, prudentia, probitateque insignium, obseruatis; & summa cura annotatis ijs, quæ in communi vsu vitæ, laudè atque honore digna censentur; decreuimus ea, quæ à nobis solius naturæ lumine ductis, excogitata sunt, in bonorum omnium gratiam & utilitatem proferre. Quibus confidimus admirationi minime fore, si nos hoc potissimum studio occupati, & hoc tempore ocio abundantes, ijs quæ ab Aristotele, cæterisque præclarissimis viris, pluribus negotijs impeditis, ac grauioribus studijs dilactis, tradita sunt, multa addiderimus, quæ ad facultatem hanc absoluendam, necessaria esse iudicauimus. Itaque rogatos volumus eos, qui hæc legere non grauabuntur, ut tantisper iudicia suspendant, dum perlegerint; nam speramus fore, ut eos non modo non peniteat, eam operam insumpsisse in his cognoscendis; verum etiam ingenue fateantur, sibi ex ea cognitione non nihil accessisse doctrinæ, ad vitam bene beateque degendam. Sin minus æ qui bonique consulant labores nostros, & nos, si non quod præstiterimus, saltem quod conati sumus prodesse quam plurimis, beneuolentia potius quam conuicijs prosequantur. Ac si saniori iudicio, & doctrina præditos se esse cognoscant, illud agant, ut quod nostra opera adepti non fuerint studiosi, eorum adipiscantur industria. Et sciant nos, non tam laudem, aut gloriam captare, quam ex publico commodo voluptatem; hanc autem paulo minus vberem percipiemus, si eundem fructum boni omnes alieno potius labore, quam nostra diligentia consequantur.

DE CIVILIS FACULTATIS FINE, AC
triplici civilis vite genere. Cap. I.

IVILEM facultatem omnium artium præstantissimam esse, manifestum est; tum quia cæteræ omnes ei inserviunt & subministrant; tum vero quia eius finis omnium rerum agendarum est terminus, & humana perfectio & beatitudo. Quoniam vero in qualibet facultate finis ad agendum excitat, & impellit artificem, qui eius gratia omnia operatur, eoque singulis moderatur actionibus, singulasque meretur; idcirco primum de illius fine sermonem facere necesse est, eumque, quisnam, qualisque sit, inuestigare, & constituere, ut perspicuum fiat, quid demum illud sit, quo cunctæ hominum operationes tendunt, & diriguntur. Nam ut gubernator portum ignorans, in quem navis ducenda est, quam in partem vergat, ignorabit; & aut navim sistet, aut temere impellet, & ad ipsum vel nunquam vel forte fortuna perueniet; ita cui finis humanarum actionum perspectus non est, quid acturus sit nesciet, & vel agere desinet, vel nulla ratione aget; nec causam reddere poterit, cur hoc aut illud ab eo actum sit, & frustra conteret vitam, & quod assequi eum oportuit, non assequetur. Cum autem civili facultate vita sit hominis instituenda, illius finem indagare, est humanæ vitæ finem inquirere; illum videlicet qui à rerum natura, summoque opifice, homini est, ad absolutam perfectionem propositus. Eum vero commodius nos invenire posse putandum est, si prius, quot humanæ vitæ genera, à moralibus philosophis considerentur, quodque inter ea sit eligibilis, inuestigemus. Tria igitur omnino proponuntur, nimirum vel solius animi, vel solius corporis, vel ex utroque, animo scilicet corporeque compositi. Animi autem nomine intellectum ipsum, & rationalem partem accipiunt, corporis vero irrationalem partem, ac sensitivam. Solius ergo animi vitam in actione reponunt Stoici, cumque omnis vita in bonorum usu, & fruitione consistat, bonorum autem quædam ad animum, quædam ad corpus, quædam ad utrumque pertineant, (ut hoc loco missa faciamus externa) ea tantum illi bona esse dicunt, quæ ad animum spectant, ut intelligere, opinari, appetere, eligere, aliaque huiusmodi, quæ omnino sunt animi opera, atque eorum sententia sunt vere bona, & hominis bona; nam corpus est animi instrumentum, quod ab artifice seiungi debet. Animus autem lædi non potest nisi ex accidenti, ex instrumenti enim læsione eius actiones læduntur. Quæ igitur vere bona sunt, ad animum pertinent, ipsumque conservant, & per se impediri nequeunt, nisi quis pravis opinionibus, aut cupiditatibus perturbetur. Itaque eorum præcepta eò tendunt, ut nihil appetat homo, præter ea quæ ad ipsum animum attinent, illius videlicet conservationem, ut à summo opifice traditus est, (nam perfectum traditum dicunt) eam autem solam appetere debet, & reliqua omnia ommittere, aut declinare, quicumque naturæ congruenter vivere, honesteque desiderat. Siquidem eiusmodi conservatio, naturæ congruentia, & honestas est, cuius gratia omnia ab omnibus sunt agenda. Hæc igitur vita, in eo sepe omnis consistit, ut separemus vere bona à non bonis. Etenim si ea ita libera sunt, ut impediri nequeant, nulla reuera fieri nobis læsio potest. Nam existimare quidem possumus, lædi nos, si decipiamur, opinantes ea bona esse, quæ non sunt. At nostræ perturbationis causa nos ipsi erimus, non quicquam aliud, cum nihil lædere animum valeat, nisi ipse seipsum. Quin neque ipse lædere proprie seipsum potest, sed decipi, putans lædi se, cum minime lædatur, atque ita perturbari, & angī, perinde ac si læderetur. Id igitur præstat hæc discipli-

na, ne ab huiusmodi errore, & perturbatione corripiamur, pueriliter putantes lædī nos, cum lædī nequeamus. Hoc autem recto principio, magna nos constantia comitatur in non appetendis non vere bonis, quæ cum non assequimur, vel affecti ipsis priuamur, affligimur. Eodemque modo in non declinandis non vere malis; nam in ea incidentes, inique patimur. Appetentes enim, aut declinantes, iudicamus aliquid bonum esse, vel malum; propterea appetentes non vere bona, aut declinantes non vere mala, pueriliter agimus, ita vt sæpissime perturbari cogamur. At animum inflexum quoad non vere bona, vel mala retinētes, ex euentu nunquam perturbabimur. Appetat igitur sensitua pars cibum, ac potum, & reliqua moderate, at animus numquam perturbetur. Hæc igitur vita si lius animi est, à corporis rebus omnino seiuncti, quique ita est comparatus, sapiens à Stoicis appellatur, eumque solum inter homines perfectum, beatumque, ac diuinum prædicant. Sane vero, qui præ animo corpus minimi, aut etiam nihili facit, admirandus inter homines, ac diuinus potius censendus est. Verum multa hæc opinionem sequuntur incommoda, quæ illam inutilem atque inanē esse conuincunt. Primum enim ea quæ ad corpus pertinent bona, hoc nomine non priuanda, sed bonis annumeranda esse apparet, alioqui, nec cibum potumve sumere, nec quicquam pro suæ vel alterius vitæ conseruatione, agere hominem oporteret, quod naturæ penitus aduersatur; ac (licet per accidens) cum instrumenti euer-
sione, omnes animi actiones euerit. Nam instrumento corporeo deficiente, quid ille perfectus eorum animus, & quomodo aget? Præterea animum tantum diligens, verberatus non irascitur, & longo minus si pecunia eripiatur, aliaque externa. Quo igitur pacto fortis, aut liberalis, aut omnino studiosus erit? Quomodo autem sapiens in actiua vita (videlicet prudens) aut quomodo felix, si virtutibus careat? Ac si has virtutes, bonaque ciuilia cuncta contemnat; quid dignius, aut nobilius se affecturum sperabit? Aut quid demum mirifica illa eorum virtus, quam se ipsa contentam esse volunt, & fere cum honestate, felicitateque confundunt, præstare poterit? Sed vt cætera dimittantur, quæ non pauca sunt; solius animi cultor, & diuinus vir haberi non debet, qui illius tantummodo conseruationem curat, quam prorsus inutilem, & inanem esse intelligit; neque vllam maiorem eius perfectionem venatur, cum perfectum esse supponat, neque ad illius perpetuitatem aspirat, quem credit instrumento deficiente, deficere. Hæc igitur vita cum violenta & asperima sit, & socordes, atque inhumatos homines reddat, relinquenda est; recte enim Plutarchus plura Stoicos absurda dicere, quam Poetas ostendit. Alia est opinio, huic contraria, quæ soli corpori ablanditur, nempe sensitua parti; Cuius alij Eudoxum, alij Aristippum auctorem ferunt. Sed à Marco Tullio, alijsque non paucis, Epicuro tribui solet, quamquam à Diogene Laertio, atque etiam a Seneca, mirifice illius, tum doctrina, tum vita laudatur. Hæc autem opinio, cuiuscumque fuerit, supremus rerum agendarum finis, ipsaque humana felicitas in sola sensuum voluptate reponitur. Cui si qua moderatio accesserit, iam non erit solius corporis, & sensuum vita, cum in ea suam partem, animus quoque & ratio ipsa sit habitura. Quod si omni penitus moderatione vacauerit, necesse erit rationalem partem in homine, ita hebetari, & obtorpescere, vt sensitua ac corporea parti penitus mancipetur, & ipse homo vsu prorsus rationis adempto, in brutum propemodum animal immutetur. Huiusmodi autem vitam existimare par est, neminem nisi omnino inertem atque ignauum, & extremæ fortis ac dementiæ hominem secuturum. Quamobrem magis etiam, quam superior reiicienda videtur. Reliquum est actiua vitæ genus ex vtroque superiori compositum, quod quidem non animum solum, aut corpus, sed vtrumque spectat, & eorum cuique ea tribuit, quæ natura ipsa

ipsa, & ratio suggerit. Hoc autem Aristoteles ceterique Peripatetici sunt amplexati, humanæ enim naturæ magis consonum, rationique videtur, cum homo licet potissimum suus sit intellectus, & animus, non tamen sola illa pars, esse dicendus est; sed ex intellectiua anima & corpore, ut ex forma & materia constans. Nec dividere illa oportet, quæ natura coniunxit, alioqui sermo non de homine ipso, sed seorsum de illius partibus fiet, nec diuersæ hominis vitæ considerabuntur, sed eius partium. Quod quidem à rerum natura, & ab omni humana ratione abhorret. Hominis igitur vita proponenda est, nimirum ex animo corporeque compositi, quærendumque, quem ad finem illum natura

20 condiderit, ut inuestigare possimus, quænam illi viuendi ratio instituenda, quidque in omni vitæ cursu agendum, ac fugiendum sit, ut eum assequatur, cui totius humanæ naturæ perfectionem inesse, dubium nemini videri debet, perinde ac reliquarum rerum natura constantium, idem cum perfectione finis habetur. Proprius autem hominis, ut homo est, rerumque agendarum finis, haud ita facile discerni, vel explicari potest. Quamobrem diuersæ de eo semper, tum vulgi, tum philosophantium fuere sententiæ, quarum quidem nonnullæ ab Aristotele, aliisque discussæ, ac confutatae sunt, præcipue quæ in honore, virtute, diuitijs, finem vltimum collocabant. Hæc enim aliaque huiusmodi, cum non propter se, sed ob alia expetantur, neūquam fines esse possunt, sed ea potius, quorum gratia expetuntur. Nos igitur illis dimissis, eas tantum ad finem hunc inuestigandum, opiniones examinabimus, quæ semper celebriores sunt habitæ, quæque tum ab ipso Aristotele, tum ab ijs, qui post eum philosophati sunt, in medium adductæ fuerunt. Sunt autem quatuor, nimirum num is qui quæritur finis, sit actio secundum virtutem perfectam. Deinde num honestas. Præterea num voluptas. Postremo num honestas simul cum voluptate coniuncta. His autem ceteræ omnes aliquo modo comprehenduntur. Nam quicumque de hac facultate, aliquid litteris tradidere, quamuis inter se digladiantur, & plurimum dissentire videantur, tamen rei ipsius natura adducti, sæpe in eadem sententiis inciderunt, eorumque fere præcepta, ad vitam bene beateque traducendam directa sunt omnia, ita ut non parum huius disciplinæ studiosis conferre possint. Quapropter ab ijs discedere longius non oportet, sed dum recte viuendi artem, quæ ab illis imperfecte tradita est, integram tradere conamur, eorum omnium placita, quæcumque rei naturam sequi videbuntur, & nostris principijs non repugnabunt, ad hanc doctrinam accommodabimus.

30

ACTIONEM SECUNDVM VIRTUTEM

perfectam, finem, vel felicitatem non esse.

40

Cap. I.



PRIMUM autem considerandum est, num actio secundum virtutem perfectam, sit is qui quæritur finis, Aristoteles enim in moralibus, finem vltimum hominis, summumque bonum, quadam artificum, agentiumque omnium proportione venatur. Nam ut horum bonum, in eorum opere videtur consistere, ita & hominis, cuius totius, ut etiam partium, aliquod proprium opus est, quod est etiam eius propriū bonum. Segregata igitur operatione & vita, illi cum plantis cæterisque animalibus communi, (cum propria operatio cuique rei secundum suam formam tribuatur, propria autem hominis forma sit anima rationalis) erit actiua quadam vita rationem habentis. Quod cum sit duplex, seu ut rationi obediens, seu ut eam habens; cumque hoc etiam bifariam dicatur, videlicet

Beth. lib. 11
cap. 7.

50

delicet, aut potestate, aut actu; ea quæ est actu ponenda est, cum magis proprie dici videatur. Ex quibus colligitur, operationem animæ per rationem, aut non sine ratione, proprium hominis opus esse, probi vero hominis, cum bene recteque fiat, cumque singula bene per propriam virtutem fiant, sequitur bonum humanum, & vltimum finem, esse animæ actum per virtutem, etsi plures sint virtutes, per optimam & perfectissimam. Hæc ergo Aristotelis est sententia, qua vtramque felicitatem, nempe contemplatiuam, atque actiuam complexus est: Et sane si verba quibus ab eo exprimitur accuratius expendantur, neque ab ipsomet immutentur, facilius ille actus, si minus vt finis, saltem vt fini propinquior, & similior substineri posset. Hunc enim animæ actum per virtutem, ille eo loco τὸ τῆς ψυχῆς ἐνέργειαν vocat, qua voce perpetuò actum illum significat, qui contra potestatem distinguitur, qui interior est, & secundus dicitur, ad quem animæ potestates deueniunt, cum proportionatis obiectis applicantur, qui quidem si finis non est, fini saltem est valde annexus, ad quem, hominem natura condidit, vt ad postremam formam, atque perfectam, qua vel vita ipsa, vel agens, & viuens perficiatur, cuiusmodi illi sunt actus, quos immanentes, appellant, qui agentem perficere dicuntur. Verum Aristoteles veterum morem præsertim Platonis secutus, qui bene beateque viuere ἐν πράξει, idest bene agere dicebant, sæpe πράξις cū ἐνέργειᾳ, idest, actionem cum actu confundere, & commutare viderur. Nam eodem loco, cum hominis, inquit, opus vitam quandam esse ponamus, & hanc ipsam, τὸ τῆς ψυχῆς ἐνέργειαν ἢ πράξιν μὴ λόγον, idest, actum, & actiones cum ratione. Vbi hæc coniungens, ostendit interiorum actum sine exterioribus actionibus esse non posse. In ciuilibus autem dicit ἡ γὰρ εὐδαιμονία πρὸς τὸ εἶναι, idest, felicitas enim actio est. Et paulo post, ἢ τὴν εὐδαιμονίαν ἐν πράξει θεοῦ, idest, & felicitas bona actio statuenda est. Et rursus, ἡ γὰρ ἐν πράξει τέλος ἔστιν, ἢ πράξις, idest, bona enim actio finis, quare & actio quadam. Cum igitur pro priori voce aliam vsurpet, faciliorem reddit impugnationem. Nam ἐνέργειαν, idest, actum in moralibus, non solum motionis dicit esse, vt in homine, sed etiam immobilitatis, vt in Deo. Ipsam vero πράξιν, idest, actionem, vbique asserit, motum esse, non finem, sed tendentem ad finem. Nam initio moralium πράξιν, idest, actionem quoque omnem, bonum appetere asserit, non igitur finis est, sed ad finem motio. Et in his quæ ad Eudemum dicit, ἡ γὰρ πράξις κίνησις, idest, actio enim motus. Et longe clarius, cum de ipsis moralibus actionibus loquitur, Ha vero, inquit, negotiosa sunt, atque aliquem finem assestant, & non propter se ipsas sunt expetibiles. Si igitur actio est motus, & omnis motus habet aliquem finem, vt idem vbique affirmat, ergo actio habet finem, non est igitur finis, neque felicitas, non recte igitur actionem quandam felicitatē asserit esse. Nam in moralibus, finis, inquit, effectiōnis, aliud quid est præter ipsam effectiōnem, actionis vero, non semper, est enim ipsa bona actio finis. Itaque cum exteriorem actionem, eque ac interiorem felicitatem esse contendit, decipitur officium pro fine accipiens, cum actio, quæ motus est, nullo pacto finis, vel felicitas sit, & beatitudo, sed (vt ita dixerim) felicitatio, & beatio. Verumtamen neque ipsa ἐνέργεια, idest actus animæ, finis, & felicitas statui potest, cum idem Aristoteles diuersam dicat esse, voluptatem ab actu, & quasi resultantem quandam finem posteriorem, ac præstantiorem, cum sit ipsius actus perfectio. Aliud igitur statuit actum secundum virtutem, aliud voluptatem, idem enim sui ipsius perfectio esse non potest. Quo fit, vt si actus est felicitas, & voluptas perfectio actus, sit etiam ipsa voluptas perfectio felicitatis. Cum vero felicitas sit perfectio hominis, erit voluptas perfectio perfectionis, quæ est nugatio. Hæc aliaque huiusmodi Aristotelis sententiam sequuntur, quod finis sit actio secundum virtutem. Præterquam quod hac definitione, viam sibi ad tractationem præcludit, nec statuere potest, quonam modo ad huiusmodi actum deuenire quispiam possit.

Nam

Namque reliqua mittantur incommoda, nihil quoad virtutem docet, nisi agendum esse tibi, quando, & quantum oportet, vel dicasaveris prudens, vel ut homo virtus debitor, que suis legibus ostendimus, quam sint inania. Quae cum ipse optime percipio, statim eam finis definitionem aperte declarat, se non probare, & imperfectionem enim esse, & veluti quandam delineatam figuram, postea de pingendam, & ad eius absolutionem fatetur, aliorum philosophorum auxilia, ad temporis se esse necessaria, cetera que, quae omnibus manifesta sunt. Ex quibus patet, actionem secundum virtutem, nihil facultatis finem non esse.

H O N E S T A T E M A R I S T O T E L I S,

& Stoicorum more sumptam, finem non esse.

Capitulum I. I.



Nam autem sit ab Aristotele, & Stoicis proposita honestas, quae videtur. Et sane Aristoteles illam, pro ultimo reum agendarum finem, ac felicitate videtur agnoscere. Nam cum ipsum vicinum finem propter se expetendum affirmet, cetera autem propter hanc, ubi de honestate loquitur, eam propter se suaeque naturae docet expetendam, unde apparet illum honestati propriam felicitatis conditionem tribuere. Cum enim definitionem felicitatis, veterum diotiz comprobat, vitam felicitis secundum eam definitionem sumpti, per se esse iucundam, & cum voluptate ostendit. *Arata- videri enim honestatis esse iucunda, quae suae naturae iucunda. Tales autem, inquit, ea sunt actiones, quae virtutem continent, quaeque huius ipsa sunt voluptatis, ac per se ipsa iucunda.* Vbi etiam affirmat, felices amatores esse honestatis, de qua nullum verbum ante protulerat. Et alibi honesta stultiosaque agere, ex his esse ait, quae per se expetuntur. Praeterea ipsam honestatem, cum de virtutibus agit, semper virtutis finem appellat, & omnes virtutum actiones, honestatis causa fieri di-

30 **e**it. Nam cum de temperato tractat, *irritico, inquit, temperatum cupiendi concordem esse cum ratione oportet, nam utriusque propositum est honestas.* Cum de fortitudo dicit, *ut oportet, & ut recta ratio dicat, honestatis causa toleraturum, hac enim ipsius virtutis est finis.* Cum de liberali, *omnes autem virtutum actiones, honesta sunt, & honestatis causa fiunt, & liberalis igitur honestatis causa dabit.* Cum vero de magnifico, *aiquit magnificus honestatis causa valefaciet sumptus, hoc enim omnibus est commune virtutibus.* Finem autem virtutis, felicitatem esse affirmat. Nam de ipsa felicitate loquens, *praemium, inquit, finisque virtutis, optimum & divinum quiddam, ac beatum esse videtur.* Ex his igitur patet Aristotelem honestatem tamquam rerum agendarum finem statuere, per se, suaeque naturae expeten-

40 **d**um. Omnes enim actiones illius causa esse. Qua quidem sententia apertius confirmatur, quod paulo superius dictum est, actionem secundum virtutem, felicitatem non esse, sed potius honestatem, cum ulterior quidam sit finis. Ac profecto cuncta quae ab Aristotele de honestate dicuntur vera, illa quidem sunt, rei tamen substantiam, & naturam nequaquam attingunt, eam enim definire numquam tentavit. Quo factum est, ut quid re ipsa sit non percipiens, licet eam ut finem proponat, ei tamen finis commoda nulla praestet. Nam agere honestatis causa, eius sententia, est agere ut agas, & eligere propter ipsa, & honestatis gratia idem est; ita ut honestum, sit per se bonum, & eligendum, & in eo si statur, nec queri debeat propter quid. Cum tamen nemo agat, ut tantummodo agat, sed ut aliquid agendo consequatur. Non enim bibit ut bibat, sed ut sitim expellat. Neque fortiter agit, ut fortiter agat, sed ut patriam, aut ius tueatur. Quae idem Aristoteles probe animadvertit, cum actiones morales,

vt

Ethic. lib. 10 (vt etiam supradictum est) negat per se expetibiles esse, sed finem aliquem ad
 27. factare, nec quemquam expetere bellum gerere, gerendi belli causa. Quam-
 vis tamen animaduvertitis, non vitat incommodum. Verum, vix in omni arvo,
 aliqua mensura necessaria est, vt sciamus, recte actum sit nec ne; vnde in iuris
 prudentia, ius, in medicina, bona valetudo, & in ceteris similibus, ita in
 civili facultate honestas. Vt igitur non inrogatur idris condictis, aut neq
 statuat, sed cur equet bona, responder enim vt ius restituar. Nemo medicus, cur
 sanat, sed cur calefaciat; nam respondeo va sanat. Quod a ita hodie est, quam di-
 cere, vt recte agam, & vt finem assequar, cur autem recte agere vis, aut finem
 assequi, nemo rogat. Ita in civili facultate, hoc ideo egi, quia sic oportuit, quia
 debebam, quia decebat, denique honestatis gratia, hoc est nulla alia de cau-
 sa, nisi vt recte agerem. Est igitur honestas, finis hominis propter se, & non
 propter aliud expetendus, & ex consequenti optimus, & summum bonum.
 Sed quaeritur, quid sit re ipsa, vt recte agentes, id assequamur. Hoc igitur cum
 retulerit Aristoteles, nempe honestatis essentiam non naturam, licet reliqua
 ad eam spectantia, optime expeserit, eamque felicitatis loco statuerit; non
 videtur, dum otiosam honestatem proponit, & ad opibus hominum, & su-
 tractationi in tribum, civilis facultatis finem proponere, a quo omnes commo-
 ditates expectanda sunt, quae a vero artis sine debentur. Sed perinde faceret, ac
 si quis Sagittario signum auringenti premium statuat, signum autem nullum
 proponat, premium enim assequi nullo modo potest. At Stoici finem vlti-
 mum hominis, summamque bonum, congruenter naturae viuere, esse affir-
 mant, idque ipsum honestum esse, virtutes vero esse principia congruenter na-
 turae viuendi. Ita vt haec cum natura congruentia, ac convenientia, sit honestas.
 Ex natura autem viuere, (vt ait M. Tullius) est a nobis, quantum in ipso sit, pra-
 termittere, quo minus ea quae natura postulat, consequantur, quod inter haec
 velis virtute, tamquam lege viuere. Cum autem de summo hominis bono ager-
 tur, naturam humanam, videlicet rationalem, intelligunt. Ijs igitur rigidius
 cuncta capientibus, honesta ea tantum bona videntur, quae ad animum perti-
 nent, nempe virtutes, earumque operationes, nam corporis bona, vt dictum
 est, & externa bona omnino esse negant, quippe quae ad honestatem, quae finis
 est, non perducant. Quid autem re ipsa sit honestum, aut honestas, & haec natu-
 ra congruentia, nullo modo explicant. Quo factum est; vt Epicurus, honesta-
 tis, & virtutum, speciosa quidem, sed inania esse nomina affirmaret, cum ijs
 ex parte rei nihil penitus responderet arbitretur. Quamuis igitur Stoici, hone-
 statem finem esse dicerent, tamen cum eam, nihil huiusmodi esse ostenderent,
 quo homines actiones suas metiri, & ad veram beatitudinem dirigere doce-
 rentur, non minus quam Aristoteles, a vero civilis facultatis sine abfuisse cen-
 sendi sunt.

VOLUPTATEM AB ARISTOTELE

*ceterisque Philosophis propositam, finem non esse, neque etiam
 honestatem cum voluptate coniunctam.*

Caput IIII.

Ethic. 7. c.
21.

Ethic. lib. 10
c. 4.



VOLUPTATEM vero Aristoteles, non solum finem, sed de-
 ximum finem appellat, hoc est supremum, & praestantissimum.
 Illius enim recipientes, vt ipse ait, *unumquodque aut bonum, aut
 malum dicimus.* Nam quod animae potestatibus voluptatem af-
 fert, bonum, quod dolorem, malum vocamus. Praeterea actus,
 quem finem statuit, (vt superius dictum est) perfectionem, & quasi resultantem

- tem quendam finem, voluptatem esse ostendit. Quamvis enim initio tractationis, finem esse illam neget, ibi tamen nulla philosophica ratione, sed potius oratorie refellit, quia vulgus eam putat, esse summum bonum, & quia peccorum vita videtur. Etenim de sola sensitiua voluptate, eo loco intelligit, quem admodum reliqui philosophi, qui de illa, tam ante eum, vt Aristippus, quam post eum, vt Epicurus loquuti sunt. Quæ voluptas solius sensus, eiusque potestatum finis est, non autem absolute finis, qualis ea est, quam Aristoteles, actus perfectionem, & resultantem quendam finem appellat. Qui quidem, licet fortasse absolute finis censi possit, tamen civilis facultatis ab Aristotele traditæ,
- 10 finis dicendus non videtur, cum ei in eâ tractatione, nulli prorsus vsui sit. Quemadmodum etiam accidit, cum supremi finis loco, non solum honestatem, aut voluptatem ponit, sed vtramque coniungit. Vt in Ethicis cum actiones secundum virtutem (in quibus felicitatem locat) quas honestatis causa fieri vult, per se ipsas iucundas esse affirmat. Et in Politicis, vbi *ratio*, inquit, *degen- Ethic. lib. 8. Polit. lib. 8.*
non solum honestatem habere debet, verum etiam voluptatem, felicitas enim ex am- f. 8.
habus istis est. Hos igitur, qui fortasse ipsius hominis fines sunt, cum eadem ratione, civilis facultatis fines esse oporteat, negamus eiusdem facultatis ab Aristotele traditæ, fines esse, cum illi nullum omnino vsuum præstent, ad hanc artem, quam omnium esse præstantissimam diximus, explicandam. Nam cum
- 20 plures sint termini, quorum exacta cognitione, & explanatione, vnaquæque ars indiget, vt percipiatur, & tradi litteris commode possit, finis tamen præcæteris est necessarius, qui si minus cognoscatur, aut explanetur, æquivoce finis dicendus est, non enim opus illud præstat, ad quod sua natura est aptus, & comparatus, cum omnium artificis operationum, sit regula & mensura. Etenim cum pro illius adeptione omnia fiant, ille recte, moderate, & artificiose fecisse dicitur, qui ad illius asecutionem apposite fecit. Ab eo igitur tota cuiuslibet artis tractatio pendet. Nam, an agendum sit, & quando, & quomodo, cognoscere nemo potest, qui nesciat, an tunc, & eo modo illum adipisci possit. Solus ergo omnibus moderatur, ab eoque procedunt, & eius gratia queruntur
- 30 omnia. Verumtamen existimandum non est, ipsum simplex, nudumque finis nomen, ad artis vllius perceptionem, aut traditionem quicquam proficere, cum rei, cui id nomen est, confusam, & veluti complicatam substantiam, & naturam significet, & similem sui cognitionem in animis gignat. Sed exacte illud aperire, & explicare definitione oportet, quod ab Aristotele in ijs quos proposuit finibus, ne utiquam factum videmus. Idcirco affirmare possumus, eas illi vere fines non esse, cum finium viribus careant, & nullum (vt dictum est) in arte explicanda commodum præbeant. Quemadmodum vere semina dicenda non sunt, quæ in terram, quamvis fertilem iacta, nullas in ea radices agant. Nam finem, vt fecundus sit, primum ita definire oportet, vt quid secundam rem ipsam & suam substantiam sit, cognoscatur, sic enim erit operationum omnium directivum principium. Deinde vt quisnam homini illius sit vsus appareat, qua ratione ad operandum alliciet. Hanc autem definitionem formalem, illam vero realem dicimus, vel materialem. Realis igitur definitio, ipsam rei essentiam naturamque declarat, vt cum iurisperiti finem, quod est ius, bonorum inter socios datorum & acceptorum, paritatem dicimus. Formalis vero, cum eam pro civilis societatis conseruatione, quæri affirmamus. Eodemque modo, cum medici finem, quæ bona valetudo est, quatuor humorum temperiem esse, & rectam partium corporis structuram dicimus, realem finem asserimus, cum autem, vt corpus ad civiles operationes animæ imperium exequi possit, formalem. Aristoteles autem suos fines, non nisi quoad formam definit, ita vt magnum eos asequendi desiderium in legentium animis excitet, ad eorum tamen asecutionem non dirigit, quoniam quid re ipsa sint, nullo modo

modo explicat. Quo fit ut divisione nulla utatur, nec species, aut differentias
 nullas reperiat. Ne mittamus, quod agentem, & subiectum, ceterosque termi-
 nos ad motum spectantes negligit. Quodque ex communibus tantum, non au-
 tem ex proprijs procedit. Quamobrem se excusat, quod non diligenter demon-
 strat, & ipsam materiam passim acculat, se enim cognoscit non rem docere,
 sed proportionibus uti. in qualibet autem arte tradenda, plurimum, immo pe-
 ne totum refert, ex propositionibus per se procedere, quæ quidem mediate,
 vel immediate, a terminorum, motus, artisque natura oriuntur, præcipue ve-
 ro finis, a quo præcepta omnia pendent: nam ipse agentem inuitat, & sibi ma-
 teriam determinat, & est forma, & effectus. Omnia igitur quæ dicuntur, aut
 voluntatem excitare debent, quo quidem formalis definitio spectat, aut vim
 cognoscendi, a qua provenit operandi facultas, quo pertinet definitio mate-
 rialis. Ad quas definitiones, cætera omnia sunt referenda, & simul ostenden-
 dum, in alterius natura contineri alterant. Nam ius formaliter definitum, ci-
 vilis societatis perfectio, & conservatio est, realiter autem, est bonorum inter
 socios commutatorum æqualitas (ut suo loco declarabitur) ad eam societatis
 conservacionem necessaria. Bona item valetudo formaliter, est perfectio cor-
 poris quæ est animæ instrumentum, materialiter vero est temperies, vel con-
 formatio corporis secundum naturam, qualis ad operationes exigitur. Nam
 ut à iuriconsulto, bonorum inter socios distributio sit societatis conservacioni
 accommodata, ita à medico humorum, & corporis alteratio, ut redigatur ad
 statum naturalem, operationibus aptum. Nihil igitur dicendum est, quod ad
 materialem finem non referatur, qui formalem necessario continebit, vel infe-
 ret, ita ut ambigi non possit, quin ex alterius affectuione, assequamur alte-
 rum. Itaque danda est opera ut necessariæ propositiones inveniuntur, & omnia
 quæ per se ad finem conducunt. Quod si in ipsa civili facultate fiat, haud ma-
 gnopere mathematicis invidendum erit. Nam quid felicitatis adipiscendæ gra-
 tia legendum sit, demonstrari facile & aperte poterit. Quod si assequi minus
 licebit, non erit cur vehementer miremur, cum neque ipsi Mathematici pos-
 sint circulum describere, qui re ipsa lineam rectam tangat in puncto, aliaque
 innumera. Verum ut ipsi arguunt, supponentes sic esse, ita & civilis demon-
 strare poterit, sua principia supponens, cum finis in actiuis, (ut recte Aristote-
 les asserit) sit & velut hypothesis in contemplatiuis. Nam ut intellectus est prin-
 cipiorum, ita voluntas finis, & ut ex principijs eliciuntur conclusiones, ita ex
 fine quæ ad ipsum tendunt, electiones. Non igitur in præceptorum inveni-
 one, sed in cognitione & usu eorum quæ exiguntur, statuenda differentia est.
 Nam Mathematicæ in primo certitudinis gradu esse dicuntur, quod naturam à
 materia seiunctam habeant, atque ad actum non deducantur, si tamen specu-
 lationes speculationibus conferamus, & acta actis, non adeo magna differen-
 tia intercedet, ut multi fortasse sunt arbitrati. Non igitur civilis facultas, aut
 oratoria, tam crassa minerva tradenda est, ut censet Aristoteles. Sed quoniam
 difficiliore habentur, eo diligentius ac dilucidius eorum præcepta sunt expli-
 canda, ut ad finem ipsis propositorum affectuionem, certamque rationeque
 ipsarum studiosi ducantur. Quod quidem in hac facultate tradenda nobis inxi-
 conari in animo est. Itaque cum huc usque ostendimus, fines ab Aristotele
 propositos, aut vere civilis facultatis fines non esse, aut rei ad illam
 explicandam nihil conferre, nunc quos veros ipsius finem, quæ præ-
 cipue, quamque eorum substantiam, & naturam, & materiam
 esse existimemus, dicemus. materiamque, quæ præcipue
 dum videtur.

Ad Bude.
 lib. 2. ver-
 sus finem.

Ethic. lib. 1
 c. 2. & 3.

HUMANITATEM, PRINCIPIVM ESSE IN
homine & appetitum iuuandi homines. Cap. V.

DVM autem ciuiliſ facultatis fines inueſtigamus, ſimul ipſius hominis quæ homo eſt, fines (vt iam diximus) videmur inquirere. Homo verò humanitate eſt homo. Primùm igitur videndum, quid ſit humanitas, ea enim cognita, faciùs fortaſſe erit cognoſcere, quæ ſit ea præditi, natura, & finis.

10 Itaque altiùs exordientes, rerum naturam dicimus, cum ad felicitàtem hominem formaret, pluribus illum dotibus cumulafſe, quæ ad eam adipiſcendam, ſunt neceſſariæ. Sed maxime omnium neceſſaria, & ſine qua nullo modo, voti compos fieri poſſet, reciproca eſt hominum animis ab eadem natura indita quædam inter ſe dilectio, quam humanitatem appellamus. Quæ quidem ſumi poſſe videtur, aut pro ſubſtantia, & ipſius hominis natura, aut pro accidente proprio ab ipſa hominis natura ſuente. Qui enim homines quofdam, ſumma humanitate præditos dicunt, quofdam exigua; vel alios eſſe humaniſſimos, alios verò parùm humanos, vel etiam humanitate carere; eodemque modo qui affirmant, litteris politioribus, rectaque parentum educatione, reddi pueros humaniores, pro accidente capere, videntur, & qualitate quadam, quæ intendi ac remitti, augeri ac minui poſſit.

20 Aliter autem conſideranti, etiam pro ipſa hominis natura, & rationali poteſtate accipitur. Nam cum homo diuerſis animæ poteſtatibus præditus ſit, nempe rationali, iraciſibili, & concupiſcibili, (vt cæteras nunc dimittamus) ſi illas aſſiduè exerceat, quæ ſenſitiuæ ſunt, & ſui tantum ſubiecti commoda ſpectant, concupiſcibilem ſcilicet, & iraciſibilem; rationalem verò torpeſcere ſinat, eaque aut nunquam, aut perrarò vtatur, non ſecùs, ac ſi ea careat, cæteris animalibus ſimilis euadet, quæ ijs ſolis facultatibus vtì poſſunt, quippe quibus rationalis à natura negata fuerit; & à vero homine, qui ea læpiùs operetur quæ eſt homo, plurimum differet; ità vt non modo minus rationalis, vel minus humanus appellari poſſit, verum etiam irrationalis omnino, & inhumanus, quaſi rationem, & humanitatem exuerit. Nam idem fere videbitur, nunquam ratione, & humanitate, aut quàm rariffimè vtì, & ea penitùs facultate carere. Ac pueri quidem qui nondum per ætatem exercere rationem poſſunt, ſi non probè educantur, vel vitæ moderatore ſunt deſtituti, qui eos rationem, atque humanitatem, colere doceant, cum eas tantum facultates ſequantur, quæ brutis animalibus ſunt communes, agreſtem quandam naturam induunt, ab vr bani hominis ingenio valde remotam.

30 Sed ſi ab ijs, qui eorum curam gerunt, paulatim aſſueſcunt rationi obtemperare, præſertim in ijs, quæ reliquorum ciuium conſuetudinem, & elegantiam ſpectant, ſenſim duritiæ & aſperitate morum depoſita, manſueſcunt, & quaſi cicurantur; vtì ex ſilueſtribus, nonnulla diligentia, vr bani redditi videantur. Quod nimirum ſit excitando in illis dormientem rationem, ac humanitatem, & coercendo, ac retundendo impetum ſenſitiuæ partis, qua ab initio rapiuntur; nec niſi poſt maturioris ætatis aduentum, & diuturnam diſciplinam, rationalis facultatis, & humanitatis uſum agnoſcunt. Qui igitur hoc modo humanitatem conſiderat, eam pro rationali poteſtate, vel pro humana natura capere videtur. Velut ille apud Comicum. *Homo ſum humani à me.*

50 *nihil alienum puto.* Vt cumque ſit, conſtat omnes in eo conuenire, vt ſit principium in homine diligendi hominem, vt eiùſdem naturæ conſortem, ac propterea illi bona & commoda deſiderandi, & in illum beneficia conferendi.

B

Neque

Neque enim aliud intelligi volunt, cum quempiam, humanitate præditum dicunt, quam appetitum illi inesse. Iupandi homines; cum verò alium humanitatis expertem asserunt, quam illum eodem appetitu carere. Qui quidem appetitus omnem prorsus animantis conditionem; videtur excedere, & esse in nobis quiddam diuinum. Nam cum cætera animalia, in proprijs tantum bonis, quibus indigent, comparandis, fruendisve, perpetuò sint occupata; eodemque modo quilibet homo, dum sensitiuas tantum suæ animæ facultates exercet, sibi soli, suisque dumtaxat commodis viuat, neglecta reliquorum cura; hoc principio, quod vel eius rationalis facultas, vel eius rationali facultati natura ingenitum est, nihil suum, nihil omninò proprium curat, ¹⁰ (cum illa nihilo egeat) sed alienum commodum appetit, & alijs tantummodo prospicit, & in conferendo alijs commoda occupatur. Quod profectò non humanum, sed diuinum penitus esse apparet. Diuina enim natura cum perfectissima sit, vel potius ipsa perfectio, nullius rei indiga est, sed omnibus indigentibus, cuncta bona commodaque largitur. Cumque omnia tantquam ab vbertimo fonte, ab ea sola, non aliunde proueniant, dum homo principio illo utitur bona conferendi, Dei minister, & munerum illius dispensator euadit. Quòd si omnes ex æquo bonis abundare, & suis appetitionibus satisfacere, ac voluptates rapere possent, nec quisquam alterius opibus vel opera indigeret, aliena beneficentia opus non esset, & diuinum hoc ²⁰ principium aut frustra esset homini traditum, aut saltem ocio inuolutum suas operationes non exerceret. Verùm cum res humanæ, fortunæ iniurijs, & mutationibus subijciantur; multi assiduè, varijs de causis in varias incidunt calamitates; & non modò cæteris bonis, commodisque priuantur, sed sæpe libertate, bonaque valetudine amissa, egestate, miseriaque premuntur. Alij contrà vel propria industria, & labore, vel eiusdem fortunæ prosperitate, & cælesti favore, augentur honoribus, diuitijs cumulantur, & bonorum omnium copia redundant. Itaque in hac perpetua rerum humanarum vicissitudine, datur homini diuina prouidentia opportunitas, tum fortunæ errores emendandi, tum pressos homines subleuandi, bonaque æquan- ³⁰ di; quæ pulchra nimirum, & egregia sunt, solius humanitatis opera. Vnde patet eam esse principium, quo qui præditus est, nihil aliud quam iuare homines cupit, eorum egestatibus occurrit, infortunijs obstat, & communi omnium commodo gaudet, quod cum adest, tueri contendit, cum abest, asserre. Cum igitur omnes homines æque à diuina benignitate ad beatitudinem facti sint, (quod ex animæ; & corporis potestatibus percipi potest, quas omnibus indifferenter traditas eodem modo videmus) eademque de causa, vniuersa bona in communem eorum usum ab ea producta sint, neque tamen ob diuersos casus, & impedimenta, suum effectum diuina voluntas consequatur; quicumque homini ad propriam felicitatem adi- ⁴⁰ piscendam opitulatur, Deo ipsi cooperari viderur, eique quodammodo auxilium ferre, in perficiendo homine, illius opere omnium maximo. Fit igitur Dei cooperator, & socius, & quasi diuini numinis particeps, & ipsi homini quasi Deus; quoniam nihil esse admirabilius potest, nec hominum generi magis optandum. Hinc C. Plinius *Deus est, inquit, mortali iuare mortalem, & hac ad eternam gloriam via.* Et is quidem Deum illud esse, audacius protulit; ut diuinum opus esse, facilius crederetur. Seneca quoque *hominibus, inquit, prodesse, natura iubet.* Et post, *hoc nempe ab homine exigitur, ut pro sit hominibus, si fieri potest, multis, si minus, paucis, si minus, proximis, si minus, sibi.* Propterea in prisca illa rudique ætate, qui maxima in hominum cætus commoda contulere, veluti qui ⁵⁰ frumenti, vel vini, vel olei, aliorumque bonorum usum, inuenisse feruntur; in Deorum numerum sunt relati; & ab alijs qui ea beneficia acci-
pere

pere, caelo ascripti, ob ingentia merita, diuinos honores sunt consecuti. Ad hunc autem finem uiuendi homines, natum hominem esse, illud praeter caetera demonstrat, quod cum eos iuuat, & in eos commoda confert, tum, ut ad eum finem a natura formatus, bonus absolute dicitur. Cuncta enim bona appellamus, ad eos fines respicientes, quorum gratia facta sunt. Sic culter absolute bonus dicitur, cum ad incidendum, ferra item bona, cum ad secandum est apta. Eodemque modo reliqua, quae ab artificibus fiunt. Vnde apparet hominem a summo opifice, ad eum tantum usum, finemque conditum esse, ut homines iuuet, cum bonus dumtaxat tum dicatur, cum illud praestat. Idem etiam ex moralibus virtutibus inferitur, quibus bonus redditur homo; nihil enim aliud efficere videntur, quam vel ne cui studiosus rioceat, vel ut reliquis hominibus, plurimum profit. Neque vero laudem, honorem, gloriam, aut nobilitatem, neque vllam eximiam voluptatem, (quae quidem res maxime ab omnibus expeti solent) absque humanitate, & beneficentia, adipisci licet. Hinc T. Vespasianus qui humani generis deliciae, est appellatus, quo die nullum beneficium contulisset, eum se amisisse querebatur. Quasi ad nullum alium usum tradita homini vita esset, quam ad aliorum hominum commoditatem. Ex quo manifestum fit, quantopere illi fallantur, qui quasi sibi solummodò nati sint, suas tantum res curant, & caeterorum hominum commoda negligentes, beneficentiam nihili faciunt, & diuini huius appetitus, sensum propemodum nullum habent. Nam humanitatem abiecta, vnà etiam propriae felicitatis spem abijciant necesse est; & indigni reddantur, in quos, non ab hominibus modò, sed nec etiam ab ipso summo opifice, beneficium vllum conferatur. Sed de his alius erit commodior dicendi locus.

H O N E S T A T E M H U M A N I T A T I S
moderamen, & ciuilibus facultatis finem esse.

30 Caput VI.



IC autem diuinus appetitus, ut caeteri, qui nobis natura in- sunt, cum sit sui finis in infinitum, nisi aliquatenus cohibeatur, nullo ferè delectu rapietur ad largienda omnia omnibus qui indigebunt; quo fiet, ut nobilissimae hominis actiones, ad sui finis consecutionem, nulla certa via rationeque sint processurae. Quamobrem constat aliquam illi moderationem, ac regulam necessariam esse, quam dum humanitate praeditus intuetur, aberrare non possit, sed semper recto tramite progrediens, facile ad eum quem per- git finem, ac sine errore perueniat. Nam ut appetitus, quo nostra com- 40 moda sequimur, ne nimium effusus sit, ac reliquis obsit, iure coercetur; ita is quo aliena quaerimus, ne nobis ipsis fraudi sit, aliquo est freno cohibendus. Non enim humanitatis causa, cunctis passim largienda sunt bona, sed bonis; ut ibi non omnia nobis capienda sunt, sed nostra tantum. Verum neque etiam vni, qui probus sit, quamuis egeat, omnia prorsus sunt tribuenda, sed quaedam, ne nos ipsos deseramus, & alios quibus debemus. Neque tamen pauciora cuique conferenda sunt, quam humanitas moderata, & ratio postulat; & omnino inter eum qui, beneficium confert, & eum qui accipit, mensura quaequam statuenda est, ut nec plura dentur, aut accipiantur, nec 50 pauciora, quam opus sit. Etenim eos, qui in suis bonis communicandis modum seruant, eaque tradunt, quibus, quando, & quantum oportet, laudamus, & honestè agere praedicamus; & è contrario eos carpimus, & vitu-

peramus, qui aut nihil penitus largiuntur, aut non quibus, & quando, & quantum est opus, & negamus, eorum actiones honestas esse, (Benefica enim actio ab honore, quo abundat, quique inde manat, honesta dicitur, inhonesta contraria.) Mediocre igitur collatum commodum, honestum erit, & mediocritas collatorum commodorum honestas; nam neque excedet neque deficiet, & tam dantis quam accipientis conditioni, loco, tempori, & cæteris congruet. Quin etiam largientis facultati, & accipientis indigentia, quadam erit proportionem par. Nam ad commodorum omnium inter homines, (quorum gratia producta sunt) æquationem, humanæ naturæ coniectus est oculus, ut qui pares habent, animæ, & corporis facultates, pariter quoque bonis fruuntur, & beatitudinem pariter acquirant. Qui igitur, æquare illa contendit, naturæ proposito, quantum in se est, satisfacit, & dum cæteris, ad felicitatis affectionem opitulatur, suam comparat. Verum cum non omnes æque digni sint bonis, sed alij plus, alij minus; qui enim eas animi, corporisque exercere facultates recusant, quas æquè omnibus, ad bonorum comparisonem, largitam esse naturam diximus, & desidia atque ignavia mancipati, ac reliquos negligentes, vix sibi ipsis laborare ac prodesse conantur; ij quidem, parum aut nihil merentur; illi etiam minus, qui cæteros lædunt, aut impediunt. Propterea ijs commoda haud sunt conferenda, sed apes imitandæ, quæ (ut ait Poeta *Ignavum fucus pecus à præsepibus arcens*. Illi contra, qui sunt, vel natura, vel electione coniuncti, vel qui sua, suorumque maiorum industria, & labore quæsitæ, communicare cæteris cupiunt, suaque humanitate, ac virtute, dum possunt, hominum generi sunt utilissimi; si qua tempestate agitentur, pluribus digni censendi sunt. Ita ut honestas non solum mediocritas sit commodorum, sed quasi ius quoddam nobilius inter dantem, & accipientem gratis, & ipsorum commodorum paritas quædam, verumtamen non absolutè, sed prout conditio utriusque, & dignitas exigit. Quamobrem honestatem dicemus esse, paritatem commodorum, inter beneficium, & egenum pro dignitate. Atque hæc humanitatis est moderamen, & omnium humanarum actionum, regula & mensura. Et est finis civili facultati propositus, nam in eum cunctæ studiosæ operationes tendunt, & eoque singulæ diriguntur.

HONESTATEM FINEM EXTERNUM

*et actionum perfectionem esse, voluptatem vero
internam, et agentis. Cap. VII.*



HÆC verò commodorum paritas, vel honestas, finis est quò tendimus materialis; Nam formalis ea est voluptas, quæ à benefico, ipsa commodorum collatione merenti affertur, eiusque ad felicitatem, qualiscumque promotio, quæ quidem moderatam benefici humanitatem stimulat, & ad gratis opitulandum impellit. Hic igitur civilis artificis definit motus, hic ultimus rerū agendarum est terminus, per se suaque natura expetendus, & summum bonum. Nimirum actionum hominis, quæ homo est, absoluta perfectio, quam Græci *εὐπαιδείαν*, vocant. Quapropter, cum vivere sit agere, vitæque actio, non ab ipsa voluptate, (ut Aristoteles censet) sed ab honestate vita perficitur. Atque hic finis externus est, ut bona valetudo medico. Nam ut medicus, non sui ipsius, sed ægrotantis gratia agit, & omnis eius cura, ad bonam illius valetudinem dirigitur, ita omnis civilis agentis, vel hominis actio, quæ est homo, ad gratuitam aliorum hominum commoditatem dirigenda est, neque aliud illum appetere, aut

aut curare, auidius oportet, quàm vt merentes, bona, & ex ijs voluptatem capiant, ac perficiantur. Verùm vt omnis appetens, cum deuenit de potestate ad actum, & expletur, voluptatem capit; veluti dux cupiens vincere cum vincit, & medicus cupiens sanare, cum sanat; ita humanitate impulsus, cupiens merentis commodum, & voluptatem, cum illam affert, ipse quoque voluptate perfunditur. Quæ ex aliena honestè allata voluptate voluptas: agentis ciuili, finis internus & perfectio est, nam vt externo fine, actio subiectumque perficitur, ita interno agens. Vera enim voluptas, (vt iam diximus) non actionum perfectio est, quæ quidem per se ipsas perfectæ sunt, cum sunt honestæ, sed

10 ipsius hominis quæ est homo, secundum singulas actiones rectè suæque naturæ congruenter agentis. Tunc autem rectè suæque naturæ congruenter agit, cum in bonos, (prout dictum est) libenter beneficia confert. Pulchrè enim M. Antoninus philosophus, vt vitis fert vnam cæteræque plantæ fructus pro sua quæque natura, nec vllam inde mercedem petunt; ita hominis naturam dicit esse, gratuitum homini beneficium afferre. Quo loco dubitandum videtur, num homo, nulla iniuria laceffitus, aliqua de causa malefacere alteri, & nocere honestè possit. Etenim si prouocetur, non dubium est quin se ipsum tueri liceat, & vim vi repellere, cum in hunc vsùm nobis natura, perindè ac reliquis animalibus, irascendi potestatem & vlciscendi instrumenta tradiderit, quibus tamen

20 hominem, non efferatè & rabidè, sed modestè vti, æquum est. At ad homines vtrò lædendos nullum principium à natura inditum, vt humanitatem ad iuandos, habemus. Quamuis enim interdum aliquem dicamus, aduersus alterum immanem fuisse, vt Phalaridem, aut Neronem, non eò dicimus, quòd homini immanitatem inesse, tanquam contrarium humanitati principium arbitramur, sed vt significemus huiusmodi hominem, in ea actione, quacumque de causa, humanitatem & naturam propriam deseruisse. Quod quidem non honestè, sed turpiter fieri certum est. Nihil enim honestū est, (vt rectè ait Aristoteles) quod sit præter naturam, quodque à moderata humanitate non proficiscatur. Ea igitur impulsi, ne à facinorosis vexentur boni, perdimus malos

30 atque euellimus, vt Agricolæ noxias plantas, ne bonas impediunt. Non minori autem dubitatione, dignum est, num beneficia honestè conferri, etiam in malos possint. Verum huius solutio, primùm ex ipsa honestatis definitione apparet; nam eam paritatem commodorum, esse dicimus, pro dignitate; nulla autem malis, huiusmodi dignitas inest. Prætereà qui in malos beneficia confert, bonos afficit iniuria, cum eos commodis priuet, quæ ijs debebantur. Ad hæc etiam exemplo nocet, debita enim probitati præmia, malitiæ tribuens, in ea malos confirmare, ad eamq. bonos inuitare videtur. Denique bene faciendo malis, eos potentiores reddit, aduersus bonos. Hæc igitur aliaque incommoda eos sequuntur, qui sunt in malos benefici, cum in sua improbitate obduruerunt.

40 Verum si ea beneficentia reuocare illos ad sanitatem, & reddere bonos valent, non modo honestè largiuntur, sed fortasse etiam honestius quàm si bonis largirentur, cum de republica benè mereantur, dum bonorum numerum augent, malorum minuunt, eosque beneficijs dignos reddunt, & ad fælicitatem idoneos. Cæterum ex ijs quæ dicta sunt patet, honestatem & voluptatem, si rectè sumantur, veros esse ciuili facultatis, atque hominis fines.

DE FÆLICITATE ET FÆLICI. Cap. VIII.



V. M. autem dictum sit, honestatem actionum omnium, vitæque perfectionem esse; voluptatem verò, honestè agentis, ac viventis, secundum actiones singulas; fælicitas cum pro absoluta hominis perfectione sumatur, erit honestè agentis, ac viventis, secundum actiones omnes perfectio; vel perennis, & continuata, hominis in tota vita honesta voluptas. Neque enim fælix dicitur dux qui semel, aut bis, sed qui sæpè victoriam est consecutus. Neque fælix medicus qui aliquando, sed qui semper, aut quàm sæpissimè sanat. Sic homo, tantum fælix appellari debet, cum potest, & vult prædesse merentibus, & sine intermissione prodest. Sic enim moderatam humanitatem exercens, suæque naturæ satisfaciens, perpetua fruitur voluptate. Et ut ex continua lapidum ad lapides appositione domus; & ex litorum adiectione ad litia tela perficitur, ita & in tota vita, ex continuis animi voluptatibus, fælicitas; & si singulæ operationes, & voluptates perfectæ fuerint, ita & congeries ex omnibus perfecta erit. Difficultatem aut parit, quoniam homo non simpliciter sumitur; nam Peripatetici eum capiunt, ut ex tribus animæ potestatibus constat, nempe rationali, irascibili, & concupiscibili. Fælicitas igitur eorum sententia, harum trium potestatum perfectio esset, hoc est earum assidua, & continuata voluptas. At omnes perfectæ esse non poterunt, sine certa inter se proportione, vel harmonia; ita ut tempora, & vices voluptatis percipiendæ inter ipsas commodè partiantur. Non iisdem obiectis, cunctæ perficiuntur, sed quælibet suis. Itaque huiusmodi proportio, vel harmonia honestas esset, uti finis & reconditudo humanarum operationum, pro voluptate artificiose, & sine errore percipiendæ, hoc est sine ullo dolore maxima. Hac igitur ratione, cuiuslibet animæ potestatis recta operatio & finis esset voluptas, omnium simul sumptarum honestas, omnium vero in tota vita beatitudo; At Stoici hominem sumunt, pro parte ratiocinatrice tantum, sed animam nulla re egere, & se ipsa contentam esse affirmant, & in sedandis affectibus, vel opinionibus extirpandis occupantur; ijs enim amotis, homo ab eisdem cum sapiens tum fælix existimatur; Nos verò aliter sentimus, etenim affectus quidem sedandos censemus, & animam ipsam, hoc præstare debere, ut suam dignitatem tranquillitatemque tueatur. Eam aut quæ diuina est, beneficia conferre oportere, nec ad bona comparanda ac distribuenda segnem esse. Nam quamvis nihilo egeat, Deum tamen imitari debet, qui nulla re egens, bona (ut dictum est) in communem egentium usum, abundè largitur. Cum enim homo, partem corpoream & imperfectam adiunctam habeat, licet quoad se nihil cupiat, imperfecti tamen perfectionem desideret, & pro viribus parerit necesse est, ne cui forte instrumenti ineptitudo sit impedimento; neque labores recuset oportet, nec pericula, mortemque ipsam, ut quamplurimis proficit. Si igitur homo Stoicorum more sumeretur, honestas non inter plures potestates proportio esset, sed vnius rationis, seu humanitatis reconditudo; siue ad maximas voluptates, ac fælicitatem directio, & aliquomodo ipsa voluptas, atque fælicitas. Non enim differunt nisi ratione, re autem convenire videntur. Nam si respicimus aliorum commoditatem, ut ipsis adiumento simus, honestas est; si perfectionem, quam ex huiusmodi actione acquirimus, deducendo nobilissimam potestatem ad actum, circa nobilissima obiecta, voluptas dicitur; hæc autem si toto vitæ tempore capitur, absoluta hominis perfectio appellatur, atque fælicitas. Controversia verò inter Peripateticos ac Stoicos (quoad propositum nostrum attinet) haud difficulter componi potest; nam cum ignobiliora in nobis, nobiliorum sint gratia, si honestas uti finis ultimus proponatur, ad

ad eamque omnia dirigantur, id est reliquis facultatibus satisfaciamus, ut rationalem ipsam, & humanitatem exercere possimus; omnes omnium potestatum voluptates, utpote ad vnam honestatem tendentes, honestæ erunt, ut salubria quæ ad sanitatem. Qua quidem ratione honestum esse dicemus, ut vir bonus in tempore bibat, edat, & reliquæ agat, quæ sibi ipsi necessaria & vtilia sunt, ut alienis commoditatibus consulere possit. Quo fiet, ut qui honestatem, tanquam finem sibi proponat (ut omnis studiosus, & bonus solet) eamque ut suæ vitæ ducem sequatur, continenter honestis voluptatibus perfusus futurus sit, atque in continua, & perenni suavitate victurus. Hunc autem hominem

10 omnes fœlicem dicent, neque hodie tantum, aut cras, sed perpetuo talem; nunquam enim illum voluptas deseret, honestatis gratia semper agentem. Quamobrem perpetuo etiam erit in fine, hoc est in ipsa honesta voluptate, ac fœlicitate. Aristotelis verò sententia in Politicis, *In fine contingit hominibus per rare esse, per sepe autem cessant, & utuntur iocis.* & ille quidem suæ sententiæ appositè dicit, non enim sunt in actu secundum virtutem, & ex consequenti non assidue fœlices, sed tantum dum prudenter quippiam operantur; absoluta autem actione, desinunt esse in fine, & ipsam fœlicitatem quasi vestem deponunt, in sequenti actione resumpturi. Nos autem ipsum etiam studiosi, & probi viri iocum, ac somnum honestum ducimus, modò sit ad honestatem directus, nimium

26 ut labores facilius ferre, & alacrior ad operationes redire, ac iuuare possit; longèque magis dum se ipsum parat, ut arte, industria, exercitatione, ad iuuandum sit aptior, honestè agere existimamus, nunquam enim semitam egreditur, quæ ad fœlicitatem tendit, sed ad eam assidue pergit, & in actu est aliquo secundum virtutem. Absurdum enim videtur cum omnes homines, (ut dictum est) ad fœlicitatem facti sint, eaque eorum sit vltima perfectio & finis, eos asserere in fine rarissimè esse. Nam qui hoc dicit idem paulò minus quàm frustrà genitos omnes affirmat. Quod quidem de prauis & improbis rectè fortasse existimatur, qui à propria natura desciscunt, & humanitatem abiectam, suam perfectionem sponte repudiant. At boni & probi, minimè à naturæ suæ proposito aberrantes, finem, ad quem geniti sunt consequi, & constanter retinere censendi sunt. Nam postquam consecuti difficillimè fuerint, facilè vel nulla de causa, illum amittere existimare, fortasse absurdius videri possit. Præstat igitur fœlicitatem asserere, continuatam voluptatem esse, perpetua ex honestate manantem, quam ex interpellatis, rarisque actibus, secundum virtutem, compositam. Inter bonum autem virum ac fœlicem hoc interest, quod bonus is est, qui (ut superius diximus) ad eum finem assequendum est aptus, ad quem illum natura genuit, nempe ad iuuandum homines, & ex consequenti ad honestatem, honestasque voluptates ac fœlicitatem. Fœlix verò is est, qui iam plures honestas voluptates est consecutus, & in ijs assidue vitam ducit. Ut bonus

40 est dux, qui militarem artem callat & copias aptè ducere ad victoriam consequendam nouit; fœlix aut, qui plures victorias, iam est adeptus. Eodemque modo in reliquis artibus, Bonus enim est Gubernator, qui regendæ nauis peritia pollet, fœlix, qui eam sæpius reduxit incolumem; hic etiam bonus medicus (ut dictum est) qui nouit ægrotantes sanare, fœlix vero, qui iam plures sanauit. Nam medicus ut bonus, ad suæ artis finem refertur, videlicet sanitatè, quam restituit; ut autem fœlix, ad suum appetitum, quo illam restituere cupiebat, eumque expleuit. Bonus igitur à fœlice, ratione tantum, non re differt; quæ enim commoda rectè conferens finem assequitur, ad quem natus est, bonus; quæ verò prodesse valde optabat, & profuit, atque inde voluptatem capit, fœlix dicitur. Itaque non omnino est idem bonus, ac fœlix, ut Stoici contendunt, qui extirpatis affectibus, virtutem ociosam relinquunt ac desident. Nam sufficere ad fœlicitatem volunt, & ferè cum ipsa eandem esse. Ac fœlix quidem

quidem esse nemo potest, nisi sit studiosus ac bonus; bonus autem quæ talis, fælix non est, sed quoquomodo, ad fælicitatem idoneus. Quamobrem haud immeritò irascuntur homines, cum eos aliquis esse bonos negat, à fælicitate enim excluduntur, ad quam, cum natura omnes geniti simus, fieri non potest, quin eam ardentissimè desideremus. Est igitur fælicitas (vt sermonem de eius essentia iam absolvamus) voluptas, quæ cunctis animæ potestatibus, in tota, vita rectè percipitur. Ex quo patet, dolores animi omnes abesse, eamque vitam prudenter, honestèque duci, & eum qui ita vivit, non modò sibi & suis, sed & patriæ & bonis quàm plurimis adiumento esse. Nam qui fælicitatem vitæ perfectæ, peractæque tantum attribuit, eam negat esse dum est, & asserit esse, cum fuit, sed amplius non est, vitæque imperfectæ, ac brevi, fælicitatem adimit. Quis autem neget, illum fælicem esse, qui animi, corporisque bonis abundat, atque externis, & ijs vt natura iubet ad aliorum commoditates, honestasque voluptates assiduè vititur? Huiusmodi verò hominem, quasi iam fælix sit, precantur omnes diu fælicem vivere; nam vt longa, vel brevis est vitæ, sic & fælicitas, quæ vitam ipsam comitatur, viventem absolutè perficit. Verum cum non ea solum considerentur, vt quæ fælix expetit dum vivit, sed quæ etiam optat, vt se mortuo eueniant; Iccirco ad eius appetitus expletionem, ac fælicitatem pertinere, posterorum, ac patriæ fortunam arbitramur. Nam cum humanus appetitus, (vt diximus) sit sui finis in infinitum, nihil ferè mortale appetere, nullique caducæ rei acquiescere potest; ita vt fælicitas in ijs quæ ad æternitatem spectant, videatur esse perfectio. Propterea quasi defunctorum beatitudo, filiorum ac patriæ calamitatibus impediatur, eorum interdum, non secus, ac si viverent, misereri solemus. Porro cum vivere nihil aliud sit, quàm circa obiecta versari, voluptates capiendo, dolores verò fugiendo, certè benè beatèque vivere, erit voluptates honestas capere, doloresque contrarios auersari; & beata vita, quæ in omnibus voluptatibus, cunctis animæ potestatibus optime compositis, circa nobilissima obiecta, prudenter, & secundum honestatem exigitur. Felicitas autem vt sanitas, magnam latitudinem habet; is enim est absolutè fælix, qui semper sine vllò impedimento, præclare agit, honestisque voluptatibus, non rationali tantum parte, sed reliquis etiam animæ potestatibus fruitur. Ille verò secundum quid, qui licèt ab aduersa fortuna, nonnunquam impediatur, & sensitiua parte dolorem percipiat, magnam tamen animo voluptatem capit, atque agere pro viribus honesta contendit. Vt absolutè sanus est, qui humoribus exactè æquatis, optimam temperiem est nactus; ille verò secundum quid, qui natura malè constitutus, aliquo humore peccante, ea tamen valetudine vititur, quam eius recipere temperies potest.

QVÆ AD FÆLICITATEM
adipiscendam sint necessaria. Cap. IX.



UNC autem quærendum est, quænam ad fælicitatis adeptionem necessaria videantur; alij enim alia censent. Nam Stoici solam sufficere virtutem autumant. Eam verò quæ qualis uè sit, & quomodo acquiratur, vel exerceatur, non docent; & euulsis affectibus (vt dictum est) ociosam esse permittunt, & videntur cum honestate & fælicitate confundere. Quo fit vt bonum etiam, ac fælicem eundem putent. Aristoteles verò longè aptius de virtute sermonem facit, & licet omnia, quæ ad eam spectant, non satis explicet; tamen ab honestate, fælicitateque distinguit; eamque habitum esse demonstrat, ad honestatem, ac fælicitatem perueniendi. Solam autem non suffice-

ficere, sed ea simul bona externa exigi, per quæ sit actiua. Nos igitur cunctis, Ethic.lib.1 c.8. artibus, ac facultatibus, ad suorum finium assecutionem, plura esse necessaria Ethi.lib.10 c.4. dicimus; nimirum vt artifex sciat, velit, ac possit suo munere fungi, nam sine Polit.7.c.3 his agendi principijs operari non licet. Duo enim priora ad formandum artifi-
 eis animum, nempe intellectum, ac voluntatem pertinent, vt cognoscat, & appetat quod prosequendum est. Reliquum vero tum ad corpus vt validum sit, tum ad externa, vt adsit libertas, eaque instrumenta, sine quibus fieri motus non potest. Præterea subiectam materiam adesse oportet, circa quam motus fiat; locumque ac tempus, vbi scilicet, & quando agatur, nam si desint, operatio cessat. Perspicua autem hæc sunt in singulis artibus. Erenim sutorem, (vt Aristotelis exemplo vtamur) primum necesse est calceum conficiendum cognoscere, & velle conficere, quod ars, & cognitio præstant. Deinde vt sanus sit ac liber, ne operatione prohibeatur. Præterea vt incidendi, & consuendi instrumenta non desint. Postremò pelles, quas incidat, & consuat; locus item, ac tempus, vbi, & quando, calceus conficiatur. Eodemque modo in cæteris. Ciuili igitur artificio, ad felicitatem adipiscendam, qui ei finis proponitur, eadem similiter sunt necessaria. Primum enim cognoscere illam oportet; nam nisi cognosceret, quænam esset & qualis, appetere nullo modo posset. Huiusmodi autem cognitio eiusdem ciuilis est facultatis. Postea velle, siquidem nisi eam
 20 vellet, atque appeteret, non prosequeretur. Hoc autem moralis virtutis est opus. Ad hæc valere eum, liberumque esse necessarium est, ne agere impediatur. Præterea instrumentis abundare, quibus virtutes, quæ ijs egent, exerceat; alioqui secundum eas non operaretur. Demum bonos viros, ac dignos eligere, in quos beneficia conferat; nam aliter, actio honesta non esset. Locum etiam tempusque obseruare, beneficijs merentes iuuandi. Non enim vbi, aut cum non egent, sed ibi & tunc, illis opitulari congruum est, vbi, & quando premuntur inopia. Itaque cui hæc adsint omnia, nullum dubium est, quin is absque magno labore, absolutam sit felicitatem consecutus. Verum cognitionem, ac voluntatem, ciuili artificio, (veluti cæteris) inesse oportere, simul etiam bonam
 30 valetudinem, ac libertatem, nemo erit fortasse qui ambigat; sed de potentia dubitatur; quæ videlicet, quantaque ad honestè agendum atque ad virtutes exercendas, sit necessaria. Si igitur absolutè felicem quærimus, magna potentia opus esse, ac bonorum copia videtur. Eum enim cui ad huiusmodi perfectionem aspirare licet, vt cunctis virtutibus præditum esse, ita singulas cum occasio feret, exercere oportet. Præcipuè autè præstantiores, nempe liberalitatem, magnificentiam, ac fortitudinem, quæ quidem à studioso sine opum affluentia, nihilo magis exerceri perfectè possunt, quàm citharædi ars, vel tibicinis, si cithara ipsa, vel tibia desit. Fortunarum autem modus, ac terminus, constitui commodè nequit, sed in vniuersum illum pro sua conditione satis fore
 40 opulentum arbitramur, quem inopia nullum deserere officium coget; sed aptus erit, omnibus abundè satisfacere, quibus debebit. Nam si in populos imperium obtineat, tum eius opes sufficere censendæ sunt, cum illis tributa, auidè imperare, & acerbè exigere non necesse habeat; eosque tueri ab hostibus possit, publicè ac priuatim fouere, Vrbes, regionesque operibus, ædificijsque exornare; sic enim beatitudinem, quam illis comparare tenetur, pro viribus comparans, suam assequetur. Si verò priuatus sit, tunc sufficere eius diuitiæ sunt existimandæ, cum patriæ, parentibus, liberis, cæterisque, quibus vel natura, vel electione obstringitur, cumulatè persolvere sit idoneus. Cuiusmodi esse censemus, primarios quosque cuiuslibet ciuitatis ciues. Siquidem omnium locupletissimi sunt, & ciuili potentia cæteris præstant. Quamquam ab ijs, neque patriam, neque reliquos quicquam expolcere, aut
 50 expectare par est, præter ea quæ non omnino incommodè possunt; quæ prompta,

pta, parataque consentaneum est perpetuò illum habere, qui honestè, ac secundum virtutes agere desiderat; & dare operam, tum rei suæ familiaris cura, tum nobili quapiam scientia, vel arte, quasi quodam diuitiarum fonte, vt potentiam augeat, & facultates; quò assiduè amplius prodesse valeat. Hæc igitur ad eum pertinere videntur, qui potest absolutè fælix euadere. Qui autem inferioris est ordinis, vel cui est, (vt ille ait) *res angusta domi*, modò adsit virtus, & promptus animus, ob tenuitatem, aut inopiam à fælicitate nunquam excluditur. Nam præterquàm quòd reliquas exercere virtutes potest, quibus, eadè instrumenta non sunt necessaria, facillè sibi, suisque ciuibus arte aliqua, industria, ratione, opem debitam & auxiliùm feret. Quin etiam fortitudinem, si minus apparatu, & copijs, saltem corporis animique viribus exercere, ipsamque liberalitatem, non valdè difficile erit. Nam doctrina, hortatu, monitu, non minora fortasse aliquis præbere gratuitò adiumenta poterit, (vt olim Socrates) quàm diuitijs alius, & consolandò, consilioque, (vt Terentianus Chremes) si non res, iuuerit: ita vt si minus absolutè, saltem secundum quid fælix fiat. Quanta igitur potentia, ad fælicitatis adeptionem, sit necessaria, determinatum sit hunc in modum.

HOMINEM, VT BONOS IUVANDO

felicem, ita eos lædendo miserum fieri. Cap. X. 20



Xijs quæ hætenus dicta sunt, patere perspicuè potest, fælicitatem studioso, ac bono, non valde difficilem comparatu esse. Etenim si à cæterorum hominum læsione abtineat, & quæ potest in eos, commoda conferat, (quod facillè fit, & in eo est situm, vt eas assuescat exercere virtutes, quæ id præstant) fælix euadet. Nam cum natura, ad fælicitatem quemque genuerit, illam efficere communissimam voluit. Quod quidem apertè ostendit, cum præter animæ, corporisque potestates, quas (vt dictum est) pariter omnes omnibus tradidit, vnumquemque bonum producat. Hoc autem ex eo apparet, quòd nisi contrarium probetur, aut ex eius actionibus & moribus constet, quilibet præsumitur bonus, & neminem lædere, sed omnes potius (saltem sine suo incommodo) iuuare velle, nimirum ad honestatem, fælicitatemque (vt diximus) idoneus esse. Cum enim videamus, omnes fere corpore probè composito nasci, videlicet ad eas actiones apto, ad quas singuli, natura gignuntur, (præter valde paucos, in quorum generatione, non natura, sed materia peccat) existimare oportet, cunctos longè magis anima rectè composita generari, nempe ad eum finem idoneos, ad quem generantur. Nam quò est corpore nobilior, atque diuinior, eò magis naturæ ipsi, eam curæ esse, consentaneum est. Si ergo boni cum sint, rectè honestèque operentur, finem sibi à natura propositum adipiscuntur, & perfecti, beatique euadunt. Fælicitatis enim operationes illæ, quæ à virtute proficiscuntur, bonæ scilicet, atque honestæ, dominæ sunt, (vt rectè Aristoteles asserit,) infælicitatis autem, contrariæ, videlicet inhonestæ, ac malæ. Quemadmodum igitur is, qui patriam bonosque iuuat, iuuando fit fælix; ita è contrario lædendo miser. Nam qui calamitatibus non sua culpa, sed fortunæ malignitate succumbit, non modò infælix ob eas non est, sed licet illæ magnæ sint, fælix tamen esse non desinit, (si antea erat) sed tantum secundum nonnullas virtutes operari posse. Non dicitur autem infælix, aut miser, nisi ab ijs, qui fælicitatem non rectè æstimant, sed verius ærumnosus, vel infortunatus dici potest. Non enim est infælicitas hominis illa conditio, in qua nihil mali patitur hominis natura, pars scilicet rationalis, aut in qua nihil peccauit humanitas. Nam nullæ calamitates efficere queunt, quò minus sis temperans,

rans, prudens, bonus; aut eripere omninò quicquam eorum, quæ hominis naturæ sunt propria. Neque illa miseria est appellanda, sed fælicitati ascribendum, si fortiter feras. Quamvis enim valetudinis, libertatis, diuitiarum, atque omninò potentia, fortuna domina statuatur, in animo certè nullum ius habet. Infortunatus igitur absolutè quidem felix esse non poterit; nam vel sensitiva parte dolorem capiet, vel opibus, facultatibusque multabitur, quarum inopia, complures pulchræ ac præclaræ præstantiorum virtutum actiones impedientur. Verùm secundum quid, fælix esse, non prohibebitur, nunquam enim rationalis pars, honestis voluptatibus frui desinet. Nam si calamitates æquanimis, vel Priamus ferat, nobilissimam virtutem videlicet patientiam exercebit, quæ si adsit, illum à fælicitate deturbari non sinet. Alioqui fortitudine, omnium virtutum præstantissima præditus, eamque magno bonorum fructu, & suo maximo periculo, ac damno exercens, cum secundum ipsam erit in actu, à fælicitate excludetur. Quin potius existimandum videtur, illum in ipsa etiam morte fælicem fore, etenim sensus dolores, præ animi voluptate nihili faciet, ac patriæ opitulandi cupiditate attractus, vt olim Codrus, Curtius, Regulus, se acerbis cruciatibus, & morti, libentissimè offerens, & voluptatis extensionem, intensione compensans, illi quidem, (si ita fors ferat) salutem, sibi verò gloriâ, & beatitudinem pariet. Neque enim eiusmodi mors, si eam fælicitas non con-

10
20
30

sequeretur, honesta & pulchra, dicenda esset, vt passim dicitur, Nam M. Tullius, *Mors, inquit, honesta, vitam quoque turpem exornat*. Poeta autem, *& pulchrum mori succurrit in armis*. Sed & pro patria interemptos in pugna beatissimos vocat. Et Masinissa fælicitem mortem suam futuram dicebat, si in complexu dexteræ Scipionis Aemiliani supremum spiritum posuisset. Non igitur fortunæ iniuria miser fieri, aut fælicitate priuari vllus potest, sed vt secundum virtutes agendo, & iuuando fit fælix, ita vitia exercendo, bonosque lædendo fit infælix.

30 **FÆLICITATEM NON HONORABLEM, SED**

potius admirabilem esse. Cap. XI.



ELIQUVM est vt videamus, num fælicitas (vt Aristoteles Ethic. lib. i. cap. 12.) bonum sit honorabile. Quod licet commodius, considerari posse putemus, postquam de honore actum à nobis fuerit, & illius perspecta natura; nihilominus ijs suppositis, quæ ibi sunt explicanda, nonnulla etiam in præsentia dicere oportuim duximus. Fælicitas igitur, & honor ex eodem quidem manare fonte; diuersa tamen via, rationeque videntur. Nam ex honestis

40
50

actionibus, in agentis animo gigni voluptatem, eamque per vitæ curriculum auctam, & continuatam, fælicitatem fieri, superius declaratum est. Ex eisdem autem actionibus, in animo cognoscentis opinionem de ipsius agentis virtute, & probitate oriri, quæ eius est honor, suo loco dicturi sumus. Cuius opinionis signa, quæ apud diuersos diuersa sunt, vt inclinari, loco cedere, aliaque similia, ipsa quoque honores dicuntur. Itaque cum honor, aut opinio sit de alterius probitate, & beneficentiâ, aut huiusmodi opinionis signum, de eo quidem, vt est opinio, Aristoteles nullum verbum fecit; sed tantummodò vt est signum. Nam in Rhetoricis honorem dicit esse opinionis bene factæ inditium; in Ethicis autem, honorem potius honorantis esse, quàm honorati; hoc est in honorantis potestate, potius quàm honorati repositum. Quod non ad opinionem spectat, quæ ex rei natura insurgit, sed ad signum, quod ab electione proficiscitur. Honor igitur, non minùs vt opinio est, quàm vt signum, virtuti, & probitati

Ethic. lib. i. cap. 12.
Lib. 1. c. 5. Ethic. lib. 1. c. 5.

bitati debetur (vel homini earum causa) tanquam medijs & habitibus, quibus ad fœlicitatem peruenitur, non autem ipsi fœlicitati, quæ virtutis, & probitatis est opus, atque vltimus finis. Eadem enim de honore ratio est, ac de laude; nam si honor, verbis explicetur, fit laus, quæ significatio est bonitatis; hoc tantum differunt, quòd honor illam dumtaxat bonitatem significat, quæ inest rationali naturæ; laus verò etiam illam, quæ est in re qualibet. Bonitas autem vel bonum, finis non est, sed quod ad finem conducit. Etenim *finem de-*
 Ad Eud. I. *finientes, reliqua eò bona demonstramus, (vt rectè ait Aristoteles) quòd finis causa existant.* Neque igitur ipsa fœlicitas, cum sit finis vltimus, bona propriè appellari potest; sed nobilius quiddam atque diuinius, & cuius gratia cætera omnia dicuntur bona; Perfectum ergo quid, ac principium esse, affirmandum est, (cum illius causa omnia omnes agamus) non tamen honorabile. Sed si quid huiusmodi ei attribuere necessarium sit, dicendum est potius admirabile esse. Admiramur enim ea, quæ omnem penitus mediocritatem excedunt, quorù magnitudine suspenditur animus, quoniã eorum causam ignorat. Iccirco admiratio principijs omnibus quadrare aptius videtur, quàm honor, què illis assignat Aristoteles; cum ipsa causis carentia, omnium sint causæ, quæ ab ipsis proueniunt.

E O R V M S E R I E S Q V A E I N

tota tractatione sunt explicanda. Cap. XII.



VIS igitur in hac vita, finis sit hominis, atque perfectio, ex ijs, quæ diximus patet. Cum autem ei, vt congruenter suæ naturæ viuat, in hominum cætu degendum sit, (nam in solitudine viuenti propositum finem consequi non liceret; deesset enim præter cætera, iuris, & honestatis exercendæ commoditas, quibus ademptis, exiguus humanæ rationi locus relinqueretur, & homo à brutis animalibus, parum, aut nihil differret.) necesse est eum, qui humanæ vitæ benè beatèque traducendæ, & ad ipsum finem sine errore perueniendi, sit rationem expositurus, de hominum inter se actionibus, conuictuque disciplinam tradere; vt quid cuique agendum vel fugiendum sit, quo loco, ac tempore, sit manifestum. Maxima igitur ciuilis facultatis pars, in ijs explicandis occupatur, quæ homini in diuersis societatibus, quibus cum cæteris hominibus, siue natura, siue electione coniungitur, diuersis locis ac temporibus, pro sua, & eorum conditione, sunt agenda. Verùm cum, non vnica tantum animæ potestate, sed pluribus præditus sit, quæ non solum inter se diuersæ sunt, sed sæpe etiam contrariæ, ita vt assidue hæc ad aliquid efficiendum inuitet, illa repugnet; quique hanc sequitur, rectè agat, qui illam aberret; cumque vtilissima sit in tota vita, ipsarum potestatum cognitio, & quo pacto qualibet vti, quamq. cohibere quis debeat, præsertim cum inter eas quoq. naturalis quædam intercedat societas; cui satisfacere illū oportet, qui veram honestamq. voluptatem capere desiderat: iccirco de animæ potestatibus, deq. earum obiectis, & natura, de gradibus inter se, de vsu, & repressione cuiusq. plurima dicenda videntur, & doctrina tradenda, secundū quam quilibet illis rectè, & sine errore vtatur; & quanto magis fieri possit, concors inter eas cōsensus, vel concertus, atq. harmonia constituantur, quæ recta ad fœlicitatem perducant. Hæc autem de potestatū societate, atque harmonia; in singulis hominibus, comparanda; prior huius tractationis pars erit. De societatibus verò inter homines, & proba in diuersis eorum cætibus consuetudine, posterior; vt prius homo in se ipso, deinde vt ciuilis societatis membrum consideretur. Et prius singuli homines deinde eorum diuersæ societates, ad beatitudinem dirigantur. Primo autem loco, de voluptate quid sit, & qualis dicere aggrediamur.

FINIS LIBRI PRIMI.



AD O V A R D I G V A L A N D I P I S A N I E P I S C O P I C A E S E N A T I S D E C I V I L I F A C V L T A T E

Liber Secundus.

DE V O L U P T A T E.
Capitulum I.



VOLUPTATIS contemplationem ad civilem quoque philosophum pertinere, dubium esse nemini debet. Eum enim, qui vitam bene, beatèque traducere sit instruendus, ante omnia scire decet, quas voluptates sequi, & à quibus abstinere oporteat; nam ex hac potissimum cognitione moralis disciplina ratio pendet. Quod Platoni etiam, & Aristoteli visum est, asserentibus non parum, sed totum referre, ut gaudere, ac dolere iuvenes assuescant, quibus gaudere, dolereque oportet: omnino enim virtutem morum, ac vitium in voluptatibus, doloribusque consistere. Quamobrem omnes, qui hactenus de morum philosophia agere sunt aggressi, plurima de voluptate scripsere, alij tamen alio modo. Idcirco de ea nos quoque agemus, quatenus spectare ad civilem artificem existimabimus; easque ipsius afferemus definitiones, quæ illius substantiæ, & subiectæ materiæ accommodatæ, & honestis actionibus exercendis vtilis esse videbuntur. Primum autem explicandum est, quid voluptatis nomine intelligamus: quidam enim iucunditatem illam tantummodo esse voluit, quæ suaviter ex boni alicuius fruitione, corporicis sensibus ablanditur; ut cum gustu dulcia, tactu venerea sentiuntur, reliquisque sensibus similiter. Quam quidem omnem turpitudinis insimulantes, in deteriore parte accipiunt. Propterea Plato malorum escam illam appellat, quod ea videlicet (ut ait M. Tullius) homines capiantur, ut hamo pisces; eaque nullam capitaliorem pestem hominibus à natura datam affirmat.

Quamquam in hac Aristippus, & eum sequutus Epicurus summum bonum constituerunt. De hac Iuvenalis intelligit cum ait: *Voluptatem commendat rior*

Plat. 2. de leg. in prin. Ethic. lib. 2 c. 3. & lib. 7 c. 11.

C rior

Ethic. lib. 7
& 10.


rior usus. Nam cum corpus in eius perceptione lassetur, ad spirituum, viriumque instaurationem, quiete quadam, ac tempore indiget, ut eam iterum percipere valeat. Hæc autem sensuum voluptas neque sola est, neque absolute damnanda est. Solam enim non esse, præter Aristotelis demonstrationes, aliorum complurium auctoritas, & ratio ostendit. Nam Isocrates: *Delectatio*, inquit, *iuncta honesto optima, seorsus pessima est*. Idemque M. Tullius: *Omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne, quo offendimur, dolor*. Et pulchrè D. Augustinus: *An vero habet, inquit, corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur a voluptatibus suis?* Sed & Grammatici hanc vocem mediã vocant, quòd tam in malam partem sumi, quàm in bonam possit. Sensuum autem voluptatem absolute damnandam non esse, argumento est, quòd natura eam commitem compluribus sensationibus addidit: sentientes igitur plerumque damnandi essemus, & nobis natura ipsa auctor esset erroris: cum tamen tantum abest, ut ea duce erreretur, ut is, qui eam non sequitur, solus aberret. Nos igitur dicimus, non sensibus modò, sed & ratione, & omnino cunctis animæ facultatibus, cum proprijs obiectis applicatæ, de potentia ad actum secundum naturam deveniunt, iucundam percipi delectationem, quæ appellatur voluptas; & eam, quæ sensibus percipitur, sensitivam; quæ ratione, rationalem vocari; Neque omnem probandam, vel reprobandam esse; verum eam solam esse probandam, quæ ex honestis actionibus advenit, vel eas adiuuat, quocumque modo; eam autem damnandam esse, quæ illis impedimento est, vel ex inhonestis actionibus provenit. Honestæ autem sunt actiones, quæ dignis, & bene merentibus commoda afferunt, ut patriæ, parentibus, & viris bonis; inhonestæ, contrariæ. Honestæ enim à rationali parte prodeunt: cum verò ijs actionibus exercendis, unde illæ manant, homo plerumque defatigetur, & recreatione indigeat; illæ etiam voluptates, quæ ipsum recreant, & instaurant, ut reverti ad labores possit, honestæ, ac probandæ sunt; ut quæ ex moderato cibo, potuque, itemque ex legitima coniugum coniunctione, ad speciem propagandam sumuntur: dum tamen loci, ac temporis, & cæterorum, quæ ad motus perfectionem exiguntur, ratio habeatur. Sensuum autem voluptates, quæ modum excedunt, omnes reiiciendæ, ac damnandæ sunt: neque minus rationales, ex ijs actionibus provenientes, in quibus sensitivæ parti ratio famulatur, quæ ab honestis longissimè absunt, cum sint omnes præter naturam. Nunc ea percurrenda videntur, quæ sunt à veteribus philosophiæ studiosis, de voluptatis substantia, & natura, memoriæ prodita.

V O L U P T A T E M , N O N

motum, aut actionem, neque actionis perfectionem esse, sed agentis.

Cap. 11.

40



VETRES igitur philosophi, cum animadverterent nos ex cibo, ac potu, alijsque huiusmodi, manifestam percipere voluptatem, eamque inde advenire, quòd ijs rebus expleamur, quibus indiget natura nostra; eam definire, generationem sensibilem in naturam proficiscentem, vel reditum à statu præter naturam, ad statum naturalem confertim factum. Propterea negabant ipsam esse finem posse, cum potius esset ad finem motio; finis verò is esset habendus, ad quem ex ea motione perveniretur. Nam cum ex imperfecta quadam constitutione, & indigentia appetitus exoriatur, ac tantisper sentiatur delectatio, dum imperfecta illa constitutio in perfectiorem commutetur, atque indigentia satisfiat, eaque expleta, con-

50

confestim desinat; videtur ita in motu sita voluptas, vt finem attingere nullo modo possit, sed eo adueniente euanescat. Hac verò in sententia tum Hippocrates, tum Plato, alijque non pauci fuere parum inuicem dissentientes. Aristoteles autem, huiusmodi sententia reiecta, voluptatem asserere videtur non Ethi. lib. 7. c. 11. motum, aut actionem esse, sed ipsius actionis perfectionem. Cumque viuere Ethi. lib. 10 cap. 4. sit agere, & vita hominis humana actio, voluptatem esse affirmat perfectionem vitæ. Nam cum vita bifariam sumatur, videlicet aut pro animæ coniunctione, nexuque cum corpore, cui opponitur mors, quæ illius nexus solutio est; & hoc modo perfectam dicimus vitam, eam animæ cum corpore coniunctionem, quæ tam diu permanet, quam diu corpus est aptum propria natura animam sustinere: in quem sensum accepit Aristoteles vitam perfectam, in Ethi. lib. 1. c. 7. felicitatis definitione. Aut sumitur vita pro operatione, hoc est, pro animæ potestatum proprijs obiectis, in singulis actionibus applicatione. Cum igitur viuere sit operari, pro varietate operationis, nimirum applicationis animæ potestatum ipsis obiectis, varia quoque erit vitæ ratio, atque perfectio. Ita vt hoc sensu, non pro omnium operationum cumulo vitæ perfecta sumatur, sed pro cuiusque operationis absolute; quam quidem actioni, vitæque ipsi, Aristotelis sententia, voluptas præstat. Nos verò (vt superius attigimus) actionis, vitæque perfectionem dicimus honestatem esse; voluptatem autem 2º non actionis & vitæ, sed ipsius agentis atque viuentis. Vt enim domus absoluta & perfecta dicitur, quo ad eam spectat, cum omnibus suis partibus, & proportionibus constat; itemque perfecta est, cum eam habitatori commoditatem præbet, quam præbere domus est apta; ita actio perfecta dicitur, quo ad ipsam attinet, cum in se recta, commensurataque, videlicet honesta est; respectu verò agentis perfecta dicitur, cum ei voluptatem affert. Est igitur voluptas agentis perfectio, ac viuentis, quæ non prouenit, nisi ex operatione honesta. Vt degendi commoditas degentis perfectio est, quæ tamen non aduenit, nisi ex domo rectè se habente, atque absoluta. Et vt quæstus gratia operantium duplex est finis, nempe tum ipsius operis absolutio, tum operantis 3º præmium; ædificatoris enim vnus est, domus probè constructa, a lter, ipsum lucrum; ita secundum ciuilem facultatem agentium. Nam finis, quo ad actionem spectat, honestas est; quò verò ad agentem, voluptas, quasi naturalis quædam honestarum operationum merces, ac pretium. Quòd si ædificatori pro maiori domus perfectione maior offeratur quæstus, vt plura lucrificiat, diligentius operi incumbet; ita cum ciuili agenti ex perfectiori operatione maior proponatur voluptas, perspicuum est, eum honestiora agere oportere, vt vberiore voluptatem adipiscatur. Numquam enim seiunguntur, neque fieri potest, vt ex vnus affectatione (modò rectè sit affectus) alterum non assequatur. Quin ij, qui malè affecti sunt, ea, quæ prosequuntur, licet 4º præter naturam sint, sibi voluptatem asserere putant, & honesta esse, cum tamen decipiuntur. Nihil enim honestum (vt ait Aristoteles) quod sit præter naturam. Nam vt vera honestaque voluptas percipiatur, necesse est potestatis operationem perfectam esse: & vt perfecta sit, oportet potestatem ipsam optimè esse dispositam, & obiectum nobilissimum, ac præstantissimum esse. Et reliqua omnia conuenire, quæ ad quemlibet motum absoluendum sunt necessaria. Perfectum enim id esse dicimus, cui nihil deest. Cum verò vita sit actio, & motus quidam, tum demum perfecta erit, cum omnia aderunt, quæ ad eum motum 5º exigunt. Appetere igitur voluptatem, est propriam perfectionem appetere, qui quidem appetitus non animatibus modo, sed rebus omnibus natura constantibus, ingentus est; scilicet vt propriam perfectionem, quantum in ipsis est, inquirant, & adipisci conentur; eaque expellant, aut vitent, quæ impediunt, vel imperfectionem aliquam asserunt. Appetimus igitur honestam voluptatem

teim, tanquam finem per se, suaque natura ab omnibus expetendum; cetera
 verò bona ut eam percipiamus, ac perficiamur. Hinc autem manifestum fit, vo-
 luptatem expletionem esse eius appetitus, qui à probè disposita potestate
 provenit; seu fruitionem expetiti boni. Appetimus enim non ut appetamus,
 sed ut bonis expetitis potiamur. At bonis potiri ac frui, & voluptatem ca-
 pere, & perfectè vivere, est prorsus idem. Dicitur est igitur, voluptatem
 viventis perfectionem esse, eamque percipi, cum probè dispositis potesta-
 tibus; nobilia obiecta offerantur, eaque concurrant omnia, quæ requiruntur
 ad motum. Verùm cum in omni nostra operatione, seu sentiamus, seu
 intelligamus, seu etiam civiliiter operemur, sensus ab ipsa voluptate num- 16
 quam separatur, nec quisquam voluptatem capiat, quin ea cognoscat, unde
 ipsa proveniat; fit, ut voluptas videatur esse sensus, vel nobilis obiecti, vel ope-
 rationis perfectæ, vel propriæ perfectionis. Cum enim dulce sentimus, aut
 huiusmodi quippiam, simul sentimus obiectum ipsum ad nos perficiendos
 idoneum, prout eius natura fert, & unà perficimur, capimusque voluptatem;
 simul etiam sentimus sentire nos & capere voluptatem, ac perfici. Atque
 uti cernentes colorem, nec sentientes nos eum cernere, nullo pacto quoad
 visum attinet, perficeremur, ita aliquid rectè agentes, nisi perciperemus nos
 rectè agere, non perficeremur, quoad eam spectat operationem. Hinc appa-
 ret, voluptatem sensum quendam esse seu cognitionem, vel non sine cogni- 26
 tione. Sensus autem atque cognitio, sentientis & cognoscentis sunt, itemque
 agentis atque viventis, non autem actionis & vitæ. Patet igitur ex his, volu-
 ptatem, non actionis, sed agentis perfectionem esse.

VOLUPTATIS PERFECTA DEFINITIO.

Cap. III.



A Perfectio ex finis adeptione consideratur. Animal enim
 ideò conditum est, ut circa obiecta rectè versetur, suæque
 animæ potestates illis applicans, ad actum deveniat, & vo- 30
 luptatem percipiat, ac perficiatur. Nam actus secundum na-
 turam, est potentia nobilior; homo enim in actu primo, no-
 bilior est homine in potentia, videlicet semine, aut fætu, aut
 omnino materia ad hominis formam recipiendam. Si autem ad se ipsum com-
 paratur, in actu secundo, ut dormiens ad vigilantem, aut quiescens ad operan-
 tem, absque dubio nobilior erit dum operabitur. Quòd si operando, aliquem af-
 sequitur finem, ut in ægroti curatione medicus, ignobilior videtur qui curat, eo
 qui sanavit, Et omnino in cunctis actionibus, qui opus absolvit, eo nobilior est,
 qui nondum finem est assecutus. Si igitur hominis forma nullum præterea fi-
 nem habet, qui eam perficiat, quippe quæ non propter aliud quicquam, sed ad 40
 Dei similitudinem, sui ipsius gratia condita est; non videbitur frustra condita,
 si id saltem agat, ut seipsam conseruet, in suo esse perfectò, hoc autem facit,
 dum nobilibus obiectis applicata, ad actum devenit; non ut inde quicquam se-
 quatur ad alia, sed ut ipsa in suam naturam perueniat, & in nobiliori statu per-
 maneat, quàm esse possit. Cuiuslibet enim rei natura (ut ait Aristoteles) illius
 est finis atque perfectio. Proinde ipse alicubi negat, præter ipsam actionem, ul-
 lum civili artificii propositum finem. Nam reuera aliæ formæ quæ sunt propter
 aliud, nisi suis fungantur muneribus, sunt inanes. Ars enim sutoria, nisi calceos
 conficiat, frustra erit. At forma animalis, cum nulli subordinetur, frustra videri
 poterit, nisi sibi ipsi viuat & consulat. Quod ut faciat, nõ videtur aliud agere pos- 50
 se, quàm voluptatem quærere, ut actu sit, ac perficiatur. Nam postquam natura-
 liter cupit agere, & circa obiecta versari, quod satius sit in actu secundo esse, quàm
 in pri-

olit lib. 1
 c. 2.
 Ethic. lib. 1
 c. 7. & lib. 6
 c. 5.

- in primo, dùm licet, nobilibus obiectis adhærés, perfectè agit; Vnde manat voluptas, quæ ex ijs quæ dicta sunt, videtur animæ perfectio esse, in actu secundo existentis. Nam si voluptas est finis, perfectio perficit habentem; & ipsemet agens, perfectior est quàm antea, postquam ipsum finem est assecutus. Anima igitur nostra voluptate vacans, imperfectior est se ipsa, dum voluptate perfunditur, hoc est dum nobilibus obiectis applicatur, & agit præclara, quàm dum cessat, aut agit turpia. Cùm Deo igitur ac præstantissimis naturis, in hoc conuenimus, quòd nobis nati sumus, & ad veras, honestasque voluptates percipiendas. Quò fit, vt qui voluptatem nullam capiunt, frustrà se ortos esse querantur. Et
- 20 ij etiam, vel vita ipsa videantur indigni, qui cum plures capere honestas possent, tamen nolunt. Omnes autem aliquam prosequuntur, *trahit enim*, vt ait Poeta, *sua quemque voluptas*. Nam alij se, veritatem querere dicunt, cùm tamen voluptatem sequantur. Quæ ex contemplatione percipitur. Alij magistratus, & publica munia, alijque alia; quæ quidem omnia, quandam asserunt sui generis voluptatem; ea tamen omnium maxima est, quæ ex hominum in homines, beneficentia prouenit. Quamobrem non latis commodè Plato, ac post eum Cicero, *nos non solum nobis, sed & alijs compluribus, natos esse*, affirmant; nam tùm maximè nobis nati sumus, cùm alijs viuimus, & in alios benè merentes, beneficia commodaque conferimus; neque enim aliunde nobis,
- 26 vera honestaque voluptas aduenit ac beatitudo. Quandoquidem, vt graui non decipiuntur, quoad motum deorsum, leuia quoad motum sursum, nec plantæ, & reliqua animalia suam perfectionem ignorant; ita neque homines suam penitus ignorare censendum est. Verùm cùm honestæ voluptates parum cognitæ sint, quod exigua de ijs, à veteribus facta mentio fuerit, multi voluptates omnes suspectas habent, tum ob importunam Epicuri doctrinam, quæ ipsum voluptatis inquinasse nomen videtur; tum verò, quasi omnes æquè sint fugiendæ, quòd nonnullæ, manifestè turpes, ac damnandæ sunt; perindè ac si quis cunctos flores abhorreat, quòd ex ijs nonnulli, non bene oleant; vel cunctas mulieres auersetur, quòd ex ijs nonnullæ sint impudicæ.
- 30 At si voluptas omnis repudianda dicatur, non est cur bona valetudo, libertas, vita, aut omninò bona vlla quærenda sint; cùm nihil prorsus aliud, quàm voluptatem efficiant, & illius gratia desiderentur. Denique nihil est causæ, cur animam ipsam, tam ardentè amemus, & nobis seruare studeamus; cum voluptas ipsa sit finis, cuius gratia anima est animantibus tradita, tanquam illius capiendæ principium. Cum igitur anima nostra, quibusdam obiectis sit apta perfici, quibusdam pollui, & contaminari; plurimùm refert, regulam quampiam, artemque callere, qua honesta à turpibus secernentes, ad perfectiuas, ac laudabiles voluptates capiendas, doloresque contrarios fugiendos, sine errore ducamur. Nunc de indolentia nonnulla dicenda sunt, ne quis fortè existimaret, eam voluptati antefereendam esse.
- 40

DE INDOLENTIA. Cap. IIII.



- ORVM opinionem, qui (vt paulò superiùs commemorauimus) voluptatem in motu collocauerunt, Nicolai Peripatetici, aliorumque secuta opinio de Indolentia est. Nam cùm animaduertent, eam indigentiam, imperfectamque constitutionem, quæ sensitiuum appetitum excitaret, sine dolore esse non posse, & reditum in naturalem statum, eum tantummodò dolorem fugare crederent, voluptatem arbitrati sunt non finem esse, sed quandam illius doloris quasi medelam, ipsam verò naturalem, eorum iudicio, constitutionem, (post perceptam scilicet voluptatem, & antè
- 30

nouam appetitionem) quam indolentiam appellabant utpote doloris omnis expertem, voluptati anteferentes, finem postremum esse dixere, in quo non modò singularum actionum perfectio, verum etiam ipsa humana beatitudo collocaretur. Longè enim præstabilius esse non indigere, quàm post indigentiam, illa assequi, quæ eam explerent. Cum eligibilius sit, de statu naturali, ad non naturalem non decidisse, quàm è statu præter naturam, rursus ad statum regredi secundum naturam. Nos autem necessarijs rebus comparatis, expulsaque indigentia, hominem in indolentia constitutum, voluptatem ex proportionatis obiectis capere oportere dicimus, ut in actu sit, ac perfectè viuat. Indolentiam verò, cum sit tam voluptatis, quàm appetitus omnis priuatio, dari in vigilante non putamus; quoniam potestates suorum obiectorum in infinitum cupidæ, perpetuò ad actum deuenire conantur. Et licet homo secundum vnam aut alteram ex ijs, in indolentia, & in appetitus vacuitate reperitur, tamen secundum reliquas, appetet in actu esse; quæ quidem est illius natura. Si igitur assererent absque appetitu, & obiectorum inuolutione, in continuo quopiam actu esse hominem posse, aliquid sanè dicerent; sic enim intelligentijs, Deoque ipsi valdè similis esset; Verùm cum id fieri, nullo modo possit, propterea quòd voluptas ex vnico actu non permanet, eaque abeunte imperfectus redditur homo, cum ex actu redeat ad potentiam; iccirco necessarium est, iterum naturæ perfectionem inquirere. Nam facultas aut est in potentia, aut in actu, nec datur medium, etenim si obiecta adsunt, & ijs applicatur, fit in actu; si absunt, aut non applicatur, est in potentia. Indolentia autem cum non sit actus, in ipsa potentia continetur. Qui igitur eam ponunt, non animaduertunt, se actui simpliciter præferre potentiam, in quam statim actu absoluto relabimur, & consequenter, in indigentiam; quæ cum præcedenti propinqua est actui, latet; & eo magis apparet, quo ab actu magis receditur. Tunc autem non est propriè viuere, quod patebit, si cunctas nostræ animæ facultates in indolentia, hoc est in potentia consideremus. Nam tunc nihil agimus, sequitur ergo, ut non viuamus, nisi fortasse, in habitu, & vita vegetatiua, ut plantæ, quod fit in somno, quem vigiliæ præferre videntur, qui voluptati indolentiam anteposunt. Dum igitur ij, perfectam vitam, & felicitatem inquirunt, ad eam constitutionem deueniunt, quæ pænè etiam non est vita, nedum humanæ vitæ perfectio, quæ ab omnibus quæritur. Ac cum indolentia priuatiuè dolori opponatur, voluptas verò secundum contrarietatem, non dubium est, cum dolor sit etiam per illos summum malum, id fore summum bonum, quod ei maximè aduersabitur, quæ est voluptas!

N V M M O T V S , A N Q V I E S ,

Num actus, an potentia sit nobilior.

Caput V.

49



VNC dubitationes quædam sunt proponendæ, quarum solutiones (licet alterius videantur esse facultatis) nihilominus, tam dicendis, quàm dicendis sunt necessariæ. Primum autem num motus, an quies, deinde num actus, an potentia, sit præstabilius; non enim deerunt, qui velint absolutè motum quieti, actum verò potentia anteferre. Quod tamen diligentibus indiget consideratione; cum aliquandò contrarium statuendum esse videatur. Ut enim in naturalibus generatio, nempe motus à non esse ad esse, quiete nobilior est, ut ad formam, & statum meliorem tendens; ita corruptio, videlicet motus de esse ad non esse, quiete est ignobilior, ut ad priuationem formæ, & ad statum tendens deteriorem. Et in artibus motus artificiosus, est quiete nobilior


nobilior, quippè quòd opus absoluat; motus verò temerarius, aut inertis, ignobilior, quòd corrumpat. Sic etiam in actu & potentia. Actus enim videndi, aut gustandi iucundum, vel vtile quippiam, nobilior est sua potentia, cum perficiat sentientem. Actus verò viuendi, aut gustandi molestum vel noxium, sua potentia est ignobilior, cum illum reddat imperfectiorem; & ita in cæteris potestatibus, pariterque in artibus. Simpliciter igitur nobilior, neque motus quiete, neque actus potentia dicendus; verum finis spectandus videtur, ad què ex quiete, vel potentia motu peruenitur. Etenim is motus, quo facultas progreditur à quiete vel potentia, ad naturalem vel artificialem finem, vel actum,

1^o quiete ac potentia illa, nobilior est. Nam in eo est naturæ artisvè perfectio, cuius gratia ab ipsa natura inditæ animali sunt potestates, & ab homine ars comparatur. Ex eoque fine, vel actu, semper expetendum sequitur aliquid. In naturalibus enim vel forma, vel agentis perfectio, quæ est voluptas. In artificialibus verò, forma aliqua artificialis, vel aptitudo ad voluptatem. Nam is demùm est motus, atque actus, tam secundum naturam, quàm secundum artem, qui ab imperfecto est ad perfectum, & ad perfectionem. Patet igitur ex his, tunc esse meliorem quiete motum, actumque potentia, cum ad finem secundum naturam, aut secundum artem peruenitur; tunc enim aliqua perfectio ab ijs causis intenta consequitur; cum autem est contrà, vel præter eas, contrarium accidit.

2^o

DE VOLVPTATVM SPECIEBVS.

Cap. VI.

3^o  VM igitur voluptas sit animæ in actu existentis perfectio, tot illius species esse videntur, quot animæ sunt potestates; nam quacumque ad actum deueniente, sentitur voluptas, & agens secundum potestatem illam perficitur. Etenim cum gustu, vel tactu naturaliter quis operatur, voluptatem capit, atque perficitur; non tamen vt homo, sed vt animal, cum sensitiuæ partis perfectio sit, quæ est ei, cum cæteris animalibus communis. Tunc autem voluptatem capit, perficiturque vt homo, cum secundum rationalem partem, quæ illius est propria, naturaliter operatur. Si igitur vegetatiua, negatur animæ potestas esse, omnis ei voluptas adimitur. Et sanè voluptates, quas capere ea potestas videtur, vel ea potestate homo, sensitiuæ potius sunt facultatis. Verùm hanc quæstionem exactè discutere, ad aliam scientiam pertinet; nos enim quocumque dato, nostram prosequemur tractationem. Nam si percipiat quis ea potestate voluptatem, non perficietur vt homo, neque vt animal, sed vt planta, cui vegetatiua potestas, siue anima, siue potius natura dicenda sit, propriè attribuitur. Quot autem animæ sint potestates, paulò post explicabimus. In præsentia enim satis est sumere, voluptatem, aliam sensitiuam, aliam rationalem esse; nam ad eas potestates, cæterarum quoque potestatum voluptates rediguntur. Sensitiuam verò, tam interioris sensus, quàm exterioris; siquidem imaginatione etiam ac memoria voluptatem capimus. Nam memoria præteritas voluptates, vt spes futuras præsentis reddit. Spes autem ad eam partem pertinet, ad quam res sperata; spes enim paternæ salutis ad rationalem; edendi verò aut bibendi, ad sensitiuam. Irascibilis quoque voluptas, tam rationalis, quàm sensitiua est; nam si publicas iniurias vlciscaris, rationalis; si verò proprias, tum rationalis est, cum est vltio moderata; tunc sensitiua, cum à moderatione discedit: Sic etiam morricis voluptas, ad eam enim partem pertinet, cui famulatur. Nam si cibi aut veneris gratia moueris

4^o

5^o

ueris, sensitiva est; si iuuandi homines causa, rationalis. Ad hanc igitur diuisionem, cunctæ voluptatum species reducuntur. Quælibet enim, vel sensu, vel ratione sentitur. Itaque cum omnis, aut sensitiva sit, aut rationalis; simpliciter quidem, (vt supra diximus) neutra probanda vel respuenda est, sed ea tantum probanda, quæ agentis naturæ congruit, ea respuenda, quæ ab illius natura recedit. Nam quarumdam mulierum voluptas, ex carbonum, aliorumque huiuscemodi eiu, instrumenti vitio prouenit, naturæque aduersatur; quapropter neque verè voluptas censenda est. Cibus enim naturalis, eorum quæ aluntur, ex eadem materia est, ex qua constant. Veneris item abusus, cum sint contra naturam, non hominis tantum, sed animalis, (ab ijs enim cætera animalia abstinent,) voluptates pariunt respuendas. Nam præterquam quod in ijs deseritur, naturæ propositum, non solum læditur, sed quasi illuditur ipsa natura, quæ cum homini, rationem dederit ducem, non videtur existimasse, cum à recto itinere, tam auersum fore. Hæ igitur omnes, ab humanitate atque ab honestate, quàm longissimè absunt, nihil enim honestum, (vt diximus) quod sit præter naturam. *Quod autem est secundum naturam, id suauè constringit, sequunturque omnia,* (vt Aristoteles asserit) *voluptatem natura consonam.* Quæ quidem vera est, nam quæ à natura recedit, non vera voluptas, sed falsa est; cum dolores admistos habeat, præsentis aut futuros, vel eiusdem potestatis, vel alterius. Cum enim siue ratio, siue sensus, voluptates à natura alienas sequuntur, ratio angitur, & suæ culpæ conscia, pœnas dat. Non solum autem, sensitiva voluptas damnatur, quod naturæ aduersetur, verum licet à qualitate naturali minimè discedat, est tamen ob quantitatem damnanda; similiter ob locum, ac tempus incongruum, ibi enim, & tunc, rationalis operatio impeditur.

Præterea, cum ex voluptatum iteratione habitus fiant, (vt suo loco demonstrabitur) cautè illam capere oportet, nè imprudenter vitia contrahantur. Quæ de sensitiva voluptate dicta sunt, eadem ferè dici de rationali possunt; semper enim est probanda, cum secundum suam naturam agens ratio illam percipit; semper damnanda, cum suam naturam deserens, & sensitivæ potestati inserviens, ea perfunditur, vt accidit, cum sibi quis, alieno cum incommodo consulit, veluti in quæstibus vetitis. Quæ quidem voluptas, quoad sensitivam partem, non actu, sed potentia est; quod verò ad rationalem, actu est quidem, sed contra illius naturam, nempe cum eius rei contrarium agat, quàm agere sua natura tenetur. Neque est etiam, minus improbanda, cum ad turpia humanitatem inuitat, siue illi turpiter ministrat, vt si quis furetur, vt donet. Tunc autem probanda est rationalis voluptas, cum eam capit homo, dum honestatis gratia rectè operatur, modò non minor, quàm pro agentis viribus actio fiat. Nam cum honestius quippiam fieri, ac præstabilius possit, & tamen minus fit, laudari omninò non potest. Hæc igitur honesta voluptas ac vera est; honesta quidem, quod ex alienis commodis capitur, vera autem, quod fit hominis quæ est homo vera perfectio. Cui sensitiva ministrans, eiusdem honestatis, & veritatis fit particeps.

DE HONESTÆ VOLUPTATIS

præstantia. Cap. VII.



ADEM autem, inter ipsas voluptates differentia est, quæ inter potestates vnde proueniunt; nam vt diuina pars, sensitivam in immensum dignitate exuperat, ita rationalis voluptas, eam quæ à sensu profluit. Hæc enim tum exigua & vilis, tum etiam breuissima est. Illa verò tum magna, & præclara, tum diuturna. Nam si conferas maximam voluptatem, quam sensu capere potes, cum ea quam

- quam ratione, ex magno beneficio optimè collato; nullam penitus inter eas proportionem comperies. Si enim (exempli causa) veneream voluptatem, vel abs te quâdiutissimè optatam, cum voluptate Horatij Coclitis, aut Camilli, aut Scipionis, ex defensa vel liberata patria compares, dejecto animo sis oportet; & nihili profus faciendus, si præ hac non illam abomineris, & vilissimam, ac sordidissimam iudices. Quòd si Aristotelis, aut Homeri, aut Maronis, aut T. Liuij, aliorumvè præstantissimorum virorum, opera proponantur; quis non eorundem, aut similium auctor esse malit, ad communem in omne æuum totius orbis utilitatem, aut delectationem; quàm eximias omnium sensuum voluptates toto suæ vitæ tempore, sine vlla intermissione percipere? Ac si cui detur intelligentia in genus humanum beneficia conferre posse, qualia Hercules contulisse fertur; cæterique qui Dij olim habiti sunt; quis non ea libentius eligat, quàm vel mille annos in continuis Sardanapali, reliquorumque omnium voluptatiorum delicijs, sine vilo dolore transigere? Qui enim commoditates gentibus affert, continua fruitur suauitate, dum eas sua opera lætas esse, & benè beatèque vivere, aut etiam victuras cognoscit. Atque hic rerum benè gestarum fructus, & iucunda collatorum beneficiorum memoria est. Nam populos conseruasse, patriam ab hostibus liberasse; suam familiam egregijs facinoribus nobilitasse; bonis omnibus oportunè opem tulisse, vt omnium celebratione digna sunt opera, ita perpetuò manent, non in eorum tantum animis, qui ex ijs commoda perceperunt, sed in agentium quoque, qui donec eis vita superest, continenter eximia voluptate fruuntur, quòd se intelligant nobilissimam animæ suæ partem fæliciter exercuisse, ac propterea se in sinu gestari, & omnibus cordi, ac venerationi esse. Contra verò qui parentibus, familiæ, patriæ, aut bonis obfuere, eos deserentes, aut prodentes, aut patrimonium turpiter absumentes; etsi voluptatibus nonnullis afficiuntur, & bonis non carent, semper tamen abominationi sunt omnibus, & miseram vitam ducunt; nam flagitiorum acerbior pœna conscientia est, nempe continuus quidam mæror, animique amaritudo, quæ cor edit, & assidue deterit; vt bonorum operum præmium suauitas illa est, quæ animo perpetuò hæret, & obuersatur, ita vt non facile minui possit; licet enim reliquæ potestates incommodè se habeant, nobilissima tamen exultat, vnde vera voluptas, ac beatitudo manat, quam ij consequuntur; qui plurimis benè merentibus opitulantur; quales sunt optimi principes, prudentia & humanitate insignes, scriptores eximij, viri fortes, ac liberales; qui in ferenda dignis ope, perpetuò sunt occupati. Ac quamuis interdum cessent, nunquàm tamen desinunt voluptate perfundi, quòd memoria probæ actiones quasi iterantur, & tanquam multiplicata vsura, præsentibus cum suis voluptatibus, sæpius animo offeruntur. Qui verò perditos homines, pluribus affici voluptatibus putant, turpissimè hallucinantur; primùm enim honestam voluptatem, nullam agnoscunt; & licet peruersa quadam imaginatione delectentur, quòd furati sint, quòd bonis aucti, quòd seruerint odia, aut detraxerint, cætera tamen delectatio nulla est, nisi ratione sensitiuæ voluptatis, quæ ex malè paritis bonis, & quæstu illicito, à rationali parte sensui inseruiente, & humanitate destituta, sperari potest. Longè autem differt eiusmodi partis rationalis voluptas, à præsentibus, & intenso gaudio, quod ex commodo, cæteris allato percipitur; quæ quidem pura sinceraque voluptas est, vnde omnis penitus dolor, ac mali timor abest; cum scelestorum voluptas, complures dolores admistos habeat; ab humanitate enim propriaque natura desciscientes, miseriam pro beatitudine petunt, pœnasque metuunt, atque interim anguntur, & scelerum suorum detestatione, (vt dictum est) interno supplicio cruciantur. Omnino autem qui reliquis hominibus prodesse assuescunt, & diuinam partem libenter exercent, ad cæteras voluptates quasi stupidi, insensati que redduntur. Quod quidem

quidem non aliunde fit, quàm quoniam (sicuti diximus) voluptatum inter se proportio eadem est cum proportione potestatum; unde illæ manant. Quantum enim distant à terrenis cælestia, à caducis æterna, tantumdem ab irrationali potestate, eiusque appetitu distat ratio, & humanitas; quæ cum infinita distantia sit, nullam penitus proportionem inter illas esse conuincit. Ex ijs autem, quæ dicta sunt, vulgarium, leuissimorumque hominum vitia cognosci, & corrigi possunt. Gaudent enim quòd multum comederint, aut biberint; quòd in venereis, præsertim vetitis, diù tamquàm in coeno volutati fuerint; quòd bonos læserint; quòd socios deceperint; quòd verba dederint; quòd petentibus commoda negauerint; seque minimas quasdam commoditates sibi comparasse glorientur, & minimos quosdam dolores, aut labores vitasse. Demum ægrè ferre videntur, quòd aliquando benè, & honestè, aut quòd omninò non male ac turpiter fecerint. Quæ sanè omnia non libero homine modò, sed homine prorsus sunt indigna, quippe, quæ ab ipsis etiam brutis sint aliena. Illa enim, remotis obiectis, nullo ex præteritis gaudio, vel mærore, nulla solitudine afficiuntur. Nos igitur, cum inanes vilesque huiusmodi voluptates, doloresvè ignobiliorum potestatum, animo, ac sermone repetimus, viliores, & abiectiores illis euadimus, & diuino summi Opificis munere, humana nimirum mente circa ignobilissima obiecta abutimur. Quamobrem aut iam infelices sumus, aut humanitate deposita, & nobis ipsis, alijsque infensi, atque odiosi, parum semper absumus à miseria.

DE IIS, QUÆ AD HONESTAM
voluptatem capiendam exiguntur. Cap. VIII.



T igitur cuncta humanæ beatitudinis impedimenta vitentur, & uera, honestaque uoluptas non solum cognosci, sed etiam non magno negotio percipi possit, postquam de ipsis animæ potestatis actum à nobis fuerit, si qua earum curatione, aut directione egere uidebitur, ne in proprijs operationibus circa propria obiecta fallatur, tradere præcepta conabimur: deinceps de ipsis obiectis, quæ, qualiaque esse oporteat, & quomodò sint præparanda: de loco item, ac tempore, cæterisque, quæ ad huius motus absolutionem sunt necessaria. Etenim quocumque ex his deficiente, operatio perfecta non erit, & uoluptas minimè percipietur. Ad ipsas uerò potestates illud etiam pertinebit, quod de cognitione dictum est; nam si quis dum benè ageret, malè se agere existimaret, uel contrà, uoluptatem nullam caperet. Itemque si bona obiecta, mala esse arbitraretur, & locum, tempus uè accommodatum, ineptum duceret. Cum autem de ijs egerimus, qui uoluptatem non percipiunt, quoniam aliquid ex ijs deest, aut deesse uidetur, quæ ad eum motum sunt opportuna; de illis sermo habendus erit, qui eisdem rebus decepti, consecutos se uoluptatem putant, cum ab ea longissimè abint, ut accidere mulieribus diximus, quæ corporis uitio affectæ carbones comedunt; eodemque modo de ijs, qui unde non oportet dolores capiunt, undè uerò oportet, non capiunt. Cuncti enim ijs assimulantur, qui rerum cognitioni dant operam; ac cum decipiuntur, putant se ueritatem adeptos, cum falsa sequantur: & tantum abest, ut animi perfectionem acquirant, ut longè illis deterius sint affecti, qui ambigunt, aut qui absolute ignorant. Sic etiam, qui rebus agendis incumbunt, aliquandò se suas actiones perfecisse censent, cum non perfecerint. Quamobrem non uoluptatem, sed ipsius umbram adipiscuntur, & deterius afficiuntur, quàm ij, qui aut confusam, aut nullam penitus uoluptatem capiunt, ac propterea, neuiquam perf-

perficiuntur. Solida enim, veraque voluptas, sine viuentis perfectione aduenire non potest. Cum autem vita humana, quæ talis, (vti dictum est) in tradendis commodis transigatur, qui probè constitutus fuerit, ex maximorum commodorum collatione, maximam sentiet voluptatem. Idcirco, qui cunctis hominibus, quàm maximè fieri potest, beneficia conferunt; vera voluptate, ac beatitudine perfruuntur. Quales sunt ij, qui veram religionem conseruant, populorum vnionem tuentur, & augent, ciuitates condunt, & leges sanciant gentibus saluberrimas; quique fame, pestilentia, bello, & perditorum hominum improbitate liberant, mundantque regiones; atque ij, qui scientias, artesque præclaras, & res gestas, in communem omnium vtilitatem memoriz commendant. At ij, qui aduersus hominum commoda quidpiam moluntur, societates dirimentes, respublicas labefactantes, veram religionem impijs opinionibus inficientes, à felicitate longissimè abesse censendi sunt; cum eorum vita imperfectissima sit, & in summis animi molestijs, angoribusque constituta. Nam necesse est illos, cum humanitatem abiecerint, perpetuò suorum immanium flagitiorum, ac scelerum conscientia torqueri. Voluptates verò falsæ, & inanes sunt, quæ ex potestate malè habente, aut ex fucatis obiectis proueniunt; ac quoties ignobilissimam, atque imperfectissimam vitam viuentes, nobilissimam, ac perfectissimam negligunt. Sic enim in grauissimos dolores, & in dedecus, perpetuamque ignominiam delabuntur: licet præclarè secum agi existiment, dum genio indulgent, & obsequuntur. Patet igitur, idem esse dicere de humano appetitu explendo, deque hominis perfectione, ac vera voluptate. Cum enim appetimus, nihil aliud, quàm huiusmodi perfectionem inquirimus: hunc autem appetitum explemus, dum voluptatem percipimus. Quam quidem in tota vita perceptam, eandem diximus esse cum felicitate, absolutaque hominis perfectione, modò cunctis animæ potestatibus rectè capiatur. Nihil igitur intererit, seu veram voluptatem hominis appellemus perfectionem, seu humani appetitus expletionem, seu felicitatem. Hisque vocibus quasi omninò eisdem in tota tractatione vtemur: de dolore autem veræ voluptati contrario, contraria omnia dici poterunt. Hactenus de voluptate, ac dolore, deinceps de appetitu dicendum videretur.

DE APPETITV. Cap. IX.



40 **V**M dictum sit voluptatem appetitus expletionem esse, & voluptas simpliciter, & vera, appetitus autem rectus sumatur, definire prius appetitum oportet; deinde diuidere, vt cunctæ illius species pateant; præterea examinare, quisnam rectus, aut non rectus sit, quis inanis, aut minus. Cumque appetitus appetentis sit, necesse est etiam de appetente sermonem facere: & quoniam qui appetit, aliquid appetit, de appetibili quoque dicendum erit: nam de illius fine, quæ est ipsa voluptas, satis, superque iam dictum est. Cum igitur homo à rerum natura formandus esset, rationale ac sociabile animal, ad eam voluptatem capiendam aptum, quæ ratione, societateque comparari potest; verisimile est illam, si commodè potuisset, eum ab initio absolutum, perfectumque fuisse formaturam, appetitu dumtaxat rationali præditum, quo in cætu hominum vteretur. Verum cum ex huiusmodi materia condendus esset, quæ ab ipso statim ortu particeps illius perfectionis esse non poterat, cum fluxa esset, & vaga; necessarium fuit, vt ei potestates quasdam adiungeret, quibus tum resarciret eas sui corporis partes, quæ caloris interni vi, atque ambientis absumerentur, tum recipere incrementum posset, vt eam perfectionem assequeretur, cuius gratia fuerat institutus. Itaque cum cibo

cibo, potuque opus esset, alijque quamplurimis; vt augmentum caperet, & conseruaretur: idcirco inditi sunt illi ab ea stimuli quidam, quibus excitaretur ad ea prosequenda, quæ sibi viderentur bona, & ad declinanda contraria. Quibus stimuli appetitus appellatur, quibus omnibus fere latens quidam doloris sensus, & quasi morsus admittitur, quem tenere nituntur, atque expellere. Quod si obiectis perinde annexus esset boni, ijque inhaereret, ac plantæ, appetitibus non fuisset opus: ipsæ enim potestates nullis irritamentis ea continenter attraherent, quibus vniuersum corpus indigeret. Verum cum ab ipsis obiectis, ac bonis hominem natura distinxerit, eumque imperfectum genuerit, eorum applicatione perficiendum, necessarium fuit, vt cum abessent obiecta, nec se totopotestatibus offerrent, ea homo prosequeretur, vt eorum præsentia perfici posset. Nam cum bona perfectiua sint, dupliciter ab illis perfici possumus; vel cum ea nobis vltro occurrunt; vel cum nos ipsi eisdem absentibus obuiam procedimus. Quemadmodum enim alimentâ nutriunt (si quidem se commodè habeant) modò applicentur, licet minime appetantur, eodemque pacto medicamenta afficiunt: ita expetibilia; hoc est, bona ipsa perficere censei possent, siue appetantur, siue non, modò admoueantur; omnino enim bona sunt perfectiua. Quamobrem dubitari potest, num ex bono de improviso alicui potestati oblati, sine præcedenti appetitu sentiat voluptas. Sane puer, si quis in os eius aliud agentis bellaria ingerat, videtur percepturus ex ijs voluptatem, licet non appetierit, quæ antè non nouerat. Si autem ex bono haud expetita voluptas sentitur, appetitus expletio, voluptas non erit, vt nos asserimus. Dicendum igitur videtur, appetitum omnem, cum sui sit finis in infinitum, propria obiecta semper appetere, si minus in actu, saltem in habitu, & si minus in particulari, saltem in vniuersali. Quamquam enim esuriens, aut sitiens non hunc cibum, aut potum appetit, quem non nouit; tamen in vniuersum, cibum suauem, potumque appetit; itaque hunc sumens, qui est huiusmodi, voluptate perfunditur. Quamuis etiam dici possit, quod si illi obiecto sponte gustus sit applicandus, necesse est, vt sibi bonum esse cognoscat, alioqui non applicabitur, sed vel in os iam ingestum continuò expetitur. Si autem cognoscendi, ac diiudicandi spatium detur, dabitur etiam appetendi obiectum, licet præsens. Nam statim boni cognitionem appetitus sequitur, etsi non semper sequitur actio: aliquo enim casu impediri, vel ab ipso appetente reiici potest, metu mali, aut doloris imminentis, vel secuturi. Alia etiam dubitatio est, num omni appetitui dolor insit; diximus enim, cunctis fere latentem quandam doloris sensum admittum esse, quem conantur expellere: dicendum est autem omni irrationalis partis appetitui dolorem inesse, cuius expulsio voluptatem affert, vt patet in sitiente, dum bibit. At rationalis partis appetitui quamuis dolor insit quidam, vt dum cupit bonus prodesse bonis, non tamen purus est dolor, vt sitiens, sed delectationem nonnullam admittam habet: gaudet enim quòd honesta desideret, vt postquam profuit, similiter gaudet, quòd honeste profuerit. Contra vero malus, angitur ante operationem cogitur, quòd obesse cupiat, & postquam obfuit, quòd contra humanitatem, propriamque naturam sit operatus.

QVID SIT APPETITVS.

Cap. X.



IPSA autem appetitus quædam animæ expositio ad bona capi-
 pienda videtur (Nihil enim interit, siue anima, siue is, in quo
 illa est, operari dicatur) tum motus principium sit ad ea prose-
 quenda: Anima enim nostra, dum otiosa est, & nihil appetit,
 aut auersatur, assimilari potest lanci in neutram partem inclinanti,
 & in æquilibrium constitutæ. Cum verò appetit, aut auersatur,
 perinde est, ac dum trutina in hanc, vel illam partem propendet: nam ut
 lancem pondera; ita bona, & mala, animum huc, vel illuc impellunt. Quan-
 tum igitur in alteram partem fertur, tantumdem ab altera dimouetur. Id autem,
 quod vel appetitur, vel declinatur, ipsi ponderi proportionem respondet: si
 enim præponderat, deorsum vergit, lancemque ad se rapit. Quod si grauius sit
 æquipondium, ipsum defertur, & ad se vergere cogit examen, ab eoque refu-
 gere, quod ponderatur. Anima igitur nostra, cum versus obiectum inclinat,
 quasi examen versus pondus, appetere dicitur. Cum verò ab obiecto retrahitur,
 quasi examen versus æquipondium, dicitur fugere. Si quis autem æqui-
 pondium, vt aliud obiectum capiat, dum examen ad ipsum vergit, non fuge-
 re illud dicitur, sed appetere. Vt proposito bello, & pace, hac quidem tam-
 quam æquipondio, illo verò pondere, appetitus ad pacem inclinans, non bel-
 lum fugere, sed appetere pacem dicitur. Ex his palam fit, nos, dum aliquid
 fugimus, aliud quidpiam appetere, nec quidquam appetere posse, quin aliud
 auersemur. Nam quod alterius respectu fuga, respectu alterius appetitus di-
 citur, & è conuerso. Quapropter non esset diminuta tractatio, si de solo ap-
 petitu sermo fieret, & definitio voluptatis, quod sit appetitus expletio, pro-
 be tradita appareret. Verum quoniam quibusdam animæ motibus impossi-
 ta non sunt nomina, quasi appetitus sint, sed quasi fuga, vt metus; idcirco
 erit a nobis aliquo modo etiam de fuga considerandum. Est igitur appeti-
 tus inclinatio animæ, hoc est, motui principij, ad aliquod bonum prosequen-
 dum. Auersio autem, vel fuga appetitui contraria, est animæ declinatio ab
 aliquo malo. Omnis autem animæ propensio perfectionem quandam spe-
 rat; omnis verò perfectio alicuius potestatis finis, ac perfectio est, vel se-
 cundum illam, hominis. Quot igitur sunt animæ potestates, totidem (vt
 etiam supra diximus) sunt perfectiones; quod si qua potestas sit alteri subordi-
 nata, eius etiam perfectio alterius perfectioni suberit. Itaque si homo vnica
 tantum, simplicique potestate constaret, vnica esset, & simplex illius perfe-
 ctio, & vnica, simplicemque perciperet voluptatem. Vt Deus, cuius voluptas,
 atque perfectio simplex, & exactissima est, ac perpetua, cum semper actu sit,
 immo actus, & obiectis perfectiuis non egeat, cum ipse sibi obiectum sit, sum-
 maque perfectio. Homo verò ad propriam operationem exercendam, & ad
 propriam acquirendam perfectionem pluribus animæ potestatibus indiget, que
 cum inter se genere differant, earum quoque perfectiones genere distinguen-
 tur. Vt autem nos ad cognitionem habemus, ita ad appetitionem: in cogni-
 tione verò sumus aut opinantes, aut ambigentes, aut scientes. Et vt anima ad
 affirmationem, aut negationem propendet; ita ad prosecutionem, aut fugam:
 & vt quædam confuse cognoscit, ita etiam appetit. Et vt in vniuersum co-
 gnoscimus, vt omnibus bonis bene faciendum; ita in vniuersum appeti-
 mus. Et, vt fieri potest, vt in vniuersum cognoscentes, in particulari decipiamur;
 ita in vniuersum appetentes, in particulari non appetimus. Itaque eadem ani-
 ma dupliciter considerari potest, vel respectu obiectorum, & vt recipit rerum

D images

imagines; & sic cognoscere dicitur, & vera esse, vel ut ad ipsa obiecta inclinatur, & sic dicitur appetere, quæ quidem ambo re sunt eadem; ratione verò differunt. Nunc quæri potest, utrum obiectum magis moueat, bonum ne ad prosecutionem, an malum ad fugam. Dicunt enim sequentem currere, fugientem volare, ut Ovidius: *Pedibus timor addidit alas*. Ac sane differre inter se obiecta viribus, & efficacia videntur. Nam mala fugientes, bona, quia illis opponuntur, sequi videmur; ut fugientes mortem, sequimur vitam; quod obiectum efficacissimum est, & valde aptum mouere. Qui igitur alteri mortem asserere cupit, facit obiectum sequatur irascibilis potestatis, quod vehemens est: non tamen ita mouetur, ut is, cui parat eam asserere, qui longe praestabilius obiectum, nimirum propriam salutem, vitæque conseruationem sequi videtur; & sic in cæteris. In vniuersum autem damni timor, quam lucris spes efficacius mouet.

DE APPETITIVVM DIFFERENTIIS.

Cap. XI.



Vitalis igitur appetitus sit animæ inclinatio, manifestum est, totum esse appetituum species, quot ipsius animæ potestates; velut etiam de voluptate, ac perfectione diximus, quarum eadem ratio est. Supponamus autem in praesentia, quod alias demonstrabitur, triplicem esse animæ potestatem, nempe vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi. Quarum omnium comites, ac ministræ sunt, motrix, atque irascibilis, quæ quidem sunt potestates cunctis communes. Motrix enim existit reliquarum omnium gratia; nimirum ut admoueantur proprijs obiectis bonis, & à malis recedant; eodemque modo irascibilis insurgit, ut tueatur potestatum omnium obiecta bona, mala autem repellat. Quæ licet in cæteris animalibus vegetatiuæ, ac sensitivæ tantum sit ministra, ac rutrix; in homine tamen etiã rationali famulatur. Hæ autem quamquam ab alijs aliter diuiduntur, nobis tamen hoc modo diuidere visum est, quia facilius, commodiusque tradere præcepta licebit, quibus singulas moderemur; nec re ipsa, sed modo tantum diuidendi ab alijs differemus. Quoniam igitur animæ potestates quinque esse videntur, totidem etiam appetituum species eisdem respondentes erunt: Et quemadmodum potestates sunt inter se subordinatæ, & altera subternitur, & inseruit alteri, ita etiam appetitus. Ac tam potestates, quam appetitus ita inter se coniunguntur, ut alteri altera esse adiumento possit. Etenim visus ea cernit, quæ gustui sunt offerenda, & reliquæ simili modo. Vegetatiua igitur ea potestas est, qua nutrimur, augemur, & generare nobis simile possumus: quæ ideo animanti est omni à natura tributa, ut in indiuiduo, atque in specie conseruetur. Huius appetitus naturalis dicitur, cuius partes sunt, cibi potusque desiderium, ex venarum hepatis attractione, suctuque ventriculi excitatum, quæ fames, sitisque naturales dicuntur, & vnà libido venerea. Vnde oritur voluntaria cupiditas tangendi, gustandique ea, quæ naturalibus illis appetitibus satisfacere possunt. Omnino autem huiusmodi cum cæteris, qui ad animalis salutem traditi sunt, ut spirandi, & excernendi, dormiendique appetitus, modò corpus recte se habeat, semper recti erunt, atque appetent secundum naturam; quòd si præter naturam appetant, ab artifice reparandæ valetudinis corrigentur. Ut igitur appetant, aut non, nulla doceri methodo possunt; quando autem, ac quomodo eos ex- plere deceat, suo loco dicturi sumus. Hanc vegetatiuam potestatem sequitur sensitiva, tam exterior, quam interior, qua commoda reliquis asserimus pote-

Plac. lib. 4.
de rep. &
Gal. lib. 5.
de decret.
Hip. & Pla.
c. vii.


potestatibus, & in propriorum obiectorum præsentia capimus voluptatem, atque perficimur.

NUM SENSITIVA POTESTAS

vegetatiuæ gratia fit, an contra.

Cap. XII.

30


 OC autem loco oriri ambiguitas posset, num sensitiva vegetatiuæ gratia fit, an hæc potius illius causa. Ac videretur existimandum, sensus omnes animalibus ad nutritionem, & generationem traditos. Tactum enim, gustumque constat præcipue tributos esse, vt in cibo, potuque, ac venereis vtamur: reliquos item sensus, vt eorum differentias percipiamus, & ea prosequi possimus, quæ bona, & vtilia; ea fugere, quæ mala, & inutilia ventri, ac veneri videantur. Verùm si res hoc modo se habeat, nihil aliud videri poterit animal, quam planta quædam exactior, & elaboratior: cum omnes fere potestates, quibus præditum est, nutritioni tantum, ac generationi inseruiant. Nam homini quoque rationem adiunctam esse opinari liceret, vt parare ea posset, quæ etiam in posterum ad victum, & ad generationem essent necessaria; vt haberent sensus parata omnia, quibus commodè, ac sine magno labore vterentur. Atque ita vegetatiuæ sensitivam, huius verò, ratiocinandi potestatem ministram esse confiteremur. Eademque ratione intellectui sensum, sensui vim vegetandi præstare. Cum ea potestas nobilior, & præstabilior censenda sit, cuius gratia ceteræ sunt nobis inditæ. Quo quidem nihil absurdius cogitari posset. Quamobrem dicendum videtur, vegetatiuam subiectam, substratamque reliquis esse, cui tamquam basi, ac fundamento aliæ innitantur; ratiatrici itidem sensitivam: singulis verò propria quædam opera esse attributa, in quibus propria voluptas consistat, atque perfectio. Ipsæ autem voluptates, ac perfectiones quò maiores, ac nobiliores sunt, eò præstantiores potestates illas esse ostendunt, à

20
30
40
50
 quibus proueniunt. Itaque vt mittamus summam illam voluptatem, quæ ratione percipitur, qua supernis mentibus simillimi redduntur homines, non negligenda etiam illa est, quam sensibus ipsis sentimus. Quæ quidem eò nobilior, ac purior est, quò sensus à vegetatiua potestate magis recedunt, & minus communicare cum illa videntur, vt visus, atque auditus; quorum voluptates perfectiores sunt, ac magis continuæ. Gustus enim, ac tactus cum propius ad vegetandi potestatem accedant, licet intensiores quodammodo sint, & vehementiores, impuriore tamen sunt, & breuiore, & cum maiori doloris sensu videntur admitti: cum magis in deperditi reparatione consistant, & de non naturali statu in naturalem corpus restituant; quo sensu doloris reliqui

sensus, longè minus afficiuntur, & ratio ipsa fere caret. Ipsa verò vegetandi potestas, vel nullam voluptatem, vel exilem, hebetemque capit; quo etiam fit, vt reliquis imperfectior censi debeat. Neque verò aliæ illi ministrare, aut inseruire dicendæ sunt; sed cum propriam per se voluptatem, ac perfectionem inquirent ex obiectis proprijs, vt ex sapore gustus, ex tangibilibus qualitatibus tactus; fit, vt illa quoque propriam perfectionem adipiscatur, quasi ex accidenti quodam, & præter aliarum facultatum intentionem. Quòd si quis contendat, ratiocinandi vim sensitivæ gratia traditam esse, hanc autem vegetatiuæ; interrogandus erit, cur omnino ipsa vegetandi potestas animanti tradita fuerit, qua vel prorsus nullam, & insensibilem percipit

voluptatem, vel tam exilem, hebetemque (vt diximus) vti nihili penitus duccenda sit. Neque enim causa esset hæc insensibilis fere voluptas, cur animalia tam impotenter vitam amarent, mortemque perhorrescerent. Itaque

Magu. mo-
ral. lib. 2,
c. 19.

existimemus necesse est, datam animali vegetandi potestatem esse sensitivam gratia, hominibus autem utramque, ratiocinativam. Nam quæ imperfectiora sunt in nobis, & ignobiliora, ut etiam Aristoteles asserit, perfectiorum sunt gratia, & nobiliorum. Vivit autem animal, quæ animal, perficiturque sentiendo, homo verò intelligendo, ac ratiocinando. Cum igitur videamus sensitivam, & ratiocinativam potestatem curam gerere ipsius vegetativæ, dicendum est, hoc ideo fieri, quia opem ferre natura cupiunt, & adiutrices esse eius potestatis, quæ per se bruta, & inepra sibi ipsi præsidio esse non potest: ut Principes in civitate, & Magistratus privatorum negotia curant, eorumque fortunas tuentur, eodemque modo tutor pupilli, vel potius equi dominus, ut eo possit uti, & equitare cum libet, Patet igitur ex his sensitivam potestatem nobiliorem esse vegetativam.

DE RELIQUARVM POTESTATVM
appetitibus. Cap. XIII.



SENSITIVAE autem potestatis duæ (ut diximus) sunt partes, videlicet interior sentiendi vis, & exterior: & hæc rursus in quinque sensus dividitur, quasi fores, per quas ad animam obiectorum species deferuntur, visum, auditum, olfactum, gustum, ac tactum. Dividitur etiam interior in communem sensum, ad quem exteriores ij terminantur, & à quo dijudicantur, & quasi affirmantur, vel negantur, quæ ab ijs fuerint delata; & in imaginationem, in qua obiectorum species receptæ imprimuntur. Quæ cum eas impressas conseruat, memoria dicitur. Impressio enim hæc in parte interiori proportione ei respondet, quæ sit in sensorijs, & ut hæc in obiecti præsentia dicitur sensatio, vel cognitio, ita illa in imaginis præsentia, vel impressione manente, memoria; quæ est sensatio, vel cognitio quædam in absentia obiecti extrinseci, vel sensationis externæ. Ratiocinatrix verò potestas duplex est, alia enim speculatiua dicitur, alia actiua, quæ sine tantummodo distinguuntur: nam speculatiua contemplamur omnium, quæ sunt, substantias, atque naturas, earumque veritatem inuestigamus, cognitaque fruimur, & quiescimus. Nullius enim actionis principium est, sed in ipsa veritatis cognitione, tanquam fine proprio terminatur. Actiua autem finis, non veritatis cognitio est, sed alius; qui per actiones acquiritur; atque hæc propria est hominis, quæ homo est: quamobrem tum hominis natura, tum (ut superius dictum est) humanitas dicitur, cuius interuentu homini homo quasi nexu quodam copulatur, eoque sociabilis est. Omnis enim potestas duas habitudines habet; vnam, qua respicit se, & propria obiecta; alteram, qua compositum; ut visus coloribus delectatur, & ijs, quæ ad hominis vitam conducunt. Ratio verò, cum sit potestas quædam, gaudet veritate in se, deinde hominis commodo, ut reliquæ potestates. Verum cum sit quoddam diuinum, non suo tantum commodo, sed etiam cæterorum hominum commodo gaudet. Nam boni, & diuinæ naturæ est, effundere se, alijsque prodesse. Eadem igitur potestas ratione sui contemplatur, ut facultas in homine, aliarum quærit commoda facultatum, & totius hominis: videtur enim inter ipsas potestates societas quædam (ut dictum est) ita ut altera alteri sit adiumento. Præterea cum ipsa ratio cuiusdam diuinitatis sit particeps, non potest, ut brutæ potestates, commodis proprijs tantummodo subiecti gaudere; sed, ut diuinam naturam exerceat, cæteris omnibus prodesse cupit. Motrix autem potestas, quæ reliquis (vti diximus) inservire videtur, nullas recipit diuisiones, sed quietis etiam consideratio ad eam refertur.

At

At irascibilis, licet ab ira denominata sit, utpote notiori, & vehementiori, duplex tamen & ipsa est: non enim solum corruptentia corrumpere, verum etiam conservantia conservare conatur. Cunctis autem animae potestatibus suis appetitus respondet, quo ad propriam perfectionem singule excitantur, & ad proprias feruntur operationes; unde semper aliquid boni provenit, licet interdum minus appareat: cupiunt enim in actu esse, & circa propria obiecta versari, ut propriam voluptatem, ac perfectionem adipiscantur. Etenim sic vivere dicimur, cum potestatem aliquam exercemus. Quo fit, ut oculus videre appetat, auditus audire, & omnino sentire sensus, semper quidem ad aliquem usum, quamvis nulla alia plerumque de causa fieri videatur, quam ut sentiat, & sit in actu: verumtamen sensatio illa semper vel alteri facultati, vel ipsi animali conferre invenietur. Eodemque modo ratio ipsa discurrere appetit; numquam tamen omnino frustra, veluti cum inania figmenta concipimus, quasi quedam vigilantium somnia, & in aere (quod aiunt) extruimus oppida. Idem in motrice facultate contingere palam est. Cupit enim equus in campum excurrere, & canes, ceteraque animalia ludere motibus plurimis inter se, & certare cursu videntur. Nosque ipsi, dum valemus, saltationibus, aliisque corporis motibus dediti sumus; in morbo autem, vel lassitudine quiescendi appetitus succedit. Irascibilis autem potestas ea quidem parte, qua eos iuvat, qui profuere, & gratitudine utitur, libentissime exercetur, & non leve percipit voluptatem: ea vero, qua persequitur iniurias, & laedentem laedere contendit, licet videatur ferre coacta, neque voluptatem percipere, sed dolorem potius expellere; nonnullos tamen ad ultionem ita vehementer impellit, ut humanitatem omnem abijciant. Quod vel idcirco faciunt, quod natura, & consuetudine parum sunt humani: sed potius ad saevitiam, & spiritatem inclinant; vel quod praeter ceteris timidi, & ignavi, ne ab alijs facile laedantur, ultores acerrimi haberi cupiunt, & reliquis ad propulsandas iniurias paratiores. Ad summam, omnis potestas ad actum devenire cupit, & voluptatem capere, ac perfectionem assequi, quod vere est vivere: qui enim nihil agit, & ad actum potestates non redigit, parum ab homine picto, vel a mortuo differre videtur. Quamobrem cupimus omnes potestates singulas exercere, aliam tamen magis alia, qua videlicet praevalemus: etenim ea maiorem capere voluptatem, & magis perfici, vivereque videmur. Propterea leves gesticulari, loquaces loqui maxime amant. Hic autem appetitus dicitur esse secundum naturam propriam cuiuslibet potestatis. Aliquando vero non tam propriam, quam alienam perfectionem inquirunt; cum scilicet sensitiva ea sentit, quae vegetativae, ratio quae sensitivae, motrix autem, aut irascibilis, quae ceteris sunt oportuna. Ac dum ea agunt, alias quidem potestates perficiunt, se ipsas vero non semper; ut cum sensus vegetativae causa amarum gustat medicamentum. Aut cum in fame, sitique comedimus, aut bibimus ea, quae alioqui molesta sunt, nec unquam sponte gustarentur.

30 Cum igitur hoc modo potestates consideramus, quatenus scilicet altera alterius opera utitur, in earum enumeratione eas tantum sumimus, quarum gratia reliquae operantur, illis neglectis, quarum aliae ministerio utuntur. Idcirco alij aliter eas dividere solent, quam a nobis diuisae sint; videlicet quod alia sit rationalis, alia irrationalis; & haec vel concupiscibilis, vel irascibilis. Qua in diuisione motrix, ac sensitiva sunt praetermissae, quippe quae ceterarum tantum causa animali traditae videantur, vel ceteris sint admistae. Itaque hanc diuisionem nos etiam sequi oportet, ut perspiciamus, quot appetituum species iuxta ipsam sint statuendae. Rationalis igitur potestatis appetitus, & similiter auersatio, rationalis vocatur. Atque hi, aut finis sunt, aut eorum, quae ad finem. Finis autem boni voluntas dicitur, mali vero dici voluntas potest. Eorum autem, quae ad finem bonum, electio, quae ad malum, reiectio appellatur. Sed & inter vo-

luntatem, & voluntatem; dari media inuoluntas videtur; ratione scilicet vel ignorantia, vel ambiguitatis; Irascibilis autem appetitus bonorum expetit conseruationem, corruptionem declinat. Quo fit, vt conseruantium animalium conseruationem appetat, & lædentium corruptionem; & vt conseruantium corruptionem vitat, ita lædentium conseruationem. Concupiscibilis vero appetit obiecta conseruantia corpus, tam in indiuiduo, quam in specie, vitat destruentia vtroque modo. His omnibus appetitibus, sensus, motusque inserviunt, quamquam (vt dictum est) propria voluptate non carent. Verum cum de appetitibus satis dictum sit, nunc de affectibus, qui aut idem sunt, aut ætissima cum ijs cognatione iunguntur, differamus.

D. E. N. C. I. V. I. L. D. F. A. C. V. L. T. A. T. E. Cap. XIV.



ANIMA nostra ita natura comparata est, vt obiectorum omnium, quæ ei offeruntur, imagines, impressionesque recipiat; quæ quoniam ipsam aliquo modo disponunt, atque afficiunt, affectus, siue affectiones nuncupari solent. Nos tamen ab hac appellatione eas impressiones secernimus, quæ veritatis duraxat cognitionem spectant, nec vilo modo ad actiones pertinere videntur; vt sensibilibus, aut etiam intelligibilibus affe-

ctiones, quæ ad ciuiles operationes non sunt ordinatæ, sed in ipsa veri indagatione terminantur. Ita vt affectus ij tantum sint motus, quibus animæ appetitiuæ pars concitatur, vel illius animæ potestatis, quæ versatur circa actiones. Cum vero anima, nisi ei aliquid obijciatur, quiescat, nec vilo pacto afficiatur, aut moueatur; necesse est ei obiecta offerri, quæ suas imprimantur species eam moucant, & ad aliquid agendum inuitent, quæ bona videntur, aut mala, non quæ vera, vel falsa. Quamuis existimare quispiam posset, animam non semper ab obiectis moueri, sed nonnumquam suapte natura excitari ad appetenda, ac prosequenda bona, vt in fame, siti, & venerea cupiditate videtur accedere. Atque in singulis potestatibus desiderium propriæ perfectionis apparet, licet non tam perspicuum, quam in fame, vel siti: in potestate enim visua videnti appetitus inest, in auditu audiendi, & in ceteris simili modo. Nam quælibet potestas cupit deuenire de potentia ad actum, in quo est (vt diximus) perfectio, atque voluptas. Verumtamen, etsi maxime quis concesserit eas vltro moueri, non tamen moueri censendæ sunt, nisi confuso quodam modo, & vniuersali quadam, vel habituali obiectorum appetitione, cum propriam imperfectionem sentientes, eam fugere expetant quocumque modo. Sed ad determinatas obeundas operationes determinatis obiectis est opus. Appetitus enim non nisi ex affirmatione, & negatione, vel quasi, excitari potest, vt rectè censuit Aristoteles. Affirmatio autem, ac negatio, sine obiectis nulla est, vel externis quidem, vel internis. Nam quomodocumque appetant potestates, ab obiecto aliquo inuitantur, siue id sit determinatum, siue indeterminatum. Et ventriculi suctum in fame, vel siti efficiens obiectum, malum videtur, quod expellere cupit anima. Aut ille suctus est motus à lædentibus obiectis proueniens, doloremque inferens, quem natura auersatur, & cupit effugere; ideoque obiecta ipsum inferentia quærit expellere. Qui igitur Platonem sequuntur, qui animam ad obiecta moueri censet, vt Scotus voluntatis libertati fauens, opinari poterunt, etiam absque obiectis appetere animam, & moueri. Nos autem hoc loco Aristotelis sententiam sequemur, qui animam ab obiectis moueri dicit; cum nobis verior, nostroque instituto accommodatior videatur: neminem tamen impedimus, quo minus, vtram velit, sequatur, cum omnino parum interfit, & in ciuili facultate nullum propterea sequatur incommodum. Dicat quis nos, cum

Ethic. lib. 6
c. 2.

De anima
lib. 3. &
lib. de motu
animal.

cum de appetitibus egimus, de affectibus etiā egisse; restat non ita se habet: nam licet omnes appetitus sint affectus, non tamen omnes affectus sunt appetitus. Cum enim in bona casu incidimus, afficimur quidem, & voluptatem percipimus, non tamen ad ea appetimus (vt dictum est.) Affectus autem, quidē cum appetitu videntur, re quidem idem sunt, ratione verō differunt: nam appetitus dicitur, quatenus a potestatibus pendent, earumque ad bona prosecutiones sunt motus; affectus verō, quatenus pendent ab obiectis, eorumque in ipsis potestatibus, sunt impressiones. Appetitus enim est appetentis appetitus, affectus autem obiecti, id est, obiecti affectus. Vt vulnus alio modo vulnerati, alio verō vulnerantis est vulnus. Cibus quoque, cum extra est, dicitur attrahere; & afferere, idemque motus, vt in anima patiente consideratur, dicitur appetitus. Itaque ex obiectis, cum absque nostra præcedente cognitione, vel appetitu, ad nos mouentur, vel nos ipsi in ea casu incidimus, percipimus voluptatem, aut dolorem, & (vt dictum est) afficimur, qui tamen affectus nullo modo appetitus dicens est. Neque huiusmodi affectiones laudandæ, aut vituperandæ sunt, nisi quid præterea agamus, aut appetamus: sed quibus hæc contingunt, fortunati, vel infortunati dicuntur, modò ea magnitudinem aliquam habeant. Obiecta verō quiescentia, cum nobis offeruntur, gignunt in anima nostra suas species, & sub ratione boni, vel mali, tamquam fines, vel vt tamquam conferentia ad fines, per se, si immediata sint, secundariò, si sint mediata, nos ad se attrahunt, vel à se repellunt. Vnde omnes illæ appetitiones, vel auersiones excitantur, quæ ad internam animalis conseruationem conducunt: vt cum se nobis indigentibus cibus, potus ve offert, vel mulier; quibus de rebus supra dictum est, cum de appetitu loqueremur. Excitant autem nos ad sui prosecutionem, modò aliquid non impediatur ex parte obiectorum, vel extrinsecorum, vel etiam ex parte nostri: ex parte quidem obiectorum, vt si confusa sint, aut tecta, aut huiusmodi, vt cognosci non facile possint, vel, quatenus ad ea spectat, male disposita: ex parte verò extrinsecorum, si locus, vel tempus, vel applicatio non sit accommodata: ex parte vero nostri, si potestates non sint probe affectæ, aut licet ea potestate quiescamus, quæ ad illud obiectum pertinet, alio tamen vehementiori motu mouemur, qui nos impedit, quo minùs id prosequamur. Quomodo se res habeat, quiescentibus obiectis, dictum iam est; quod scilicet gignunt in nobis appetitiones, ac desideria, quibus ad ea prosecutionem impellimur: motus autem obiectis, siue vt mobilibus consideratis, vel ad nos, vel ad alios, plures appetitionum, & auersionum species in nobis gignuntur. Nam si animata sint, & quæ talia inspecta, id est, quæ habent in se principium motus, seu moueantur, seu quiescant, modò aliquo pacto nobis quiete, vel motu conferant, aut saltem non lædant, cum lædere deberent, irascibilis facultatis amorem conciliant, qui à concupiscibilis facultatis amore, specie differt, de quo, cum de appetitu egimus, locuti sumus. Si verò mala sint, animataque, vel tamquam animata accepta, & superari, aut lædi à nobis, aut repelli posse videantur, ira insurgit. Omnia igitur obiecta, præter ea, quæ indifferentia sunt, manifestam voluptatem, aut dolorem cum pariunt, cum facultatibus applicantur, vel facultates illis: sed affectus, vt etiam appetitus, in oblatione obiectorum, ante applicationem considerantur; & tunc voluptatem afferunt, aut dolorem, spe, vel metu. Animus enim præuenit, quasi ex obiecto promittente ex se voluptatem, mediante spe, haurire, vel elicere veluti primitias quasdam, & voluptatis ipsius prægustationem. Libat enim spes, & sperati boni arrham quandam prægustat. Eademque, quoad malum, metus ratio est. Nam tam memoria, quam spe, ac metu, quasi præsentia redduntur obiecta, & voluptas quædam, ac dolor affertur. Ex dictis patet, non appetitiones modo, sed actiones quoque ipsas, quibus voluptatem, doloremue percipimus, aliquo

aliquo modo affectiones esse. Etenim affici dicimur, dum obiectorum in nobis impressionem respicimus, quæ (vt dictum est) voluptatem pariunt, siue dolorem appetere autem, cum principium in nobis ea prosequendi exoritur: agere verò, cum ad eorum assecutionem mouemur, vel cum iam ea assecuti, accommodamus vel nostris facultatibus ipsa obiecta, vel ipsis obiectis facultates. Nostræque actiones nihil fere aliud esse videntur, quam huiusmodi accommodationes. Et agere, vel hoc modo accommodare, est viuere. Cumque viuere sit circa obiecta versari, voluptatem capiendo, siue dolorem; viuere, & affici aliquo modo sunt idem. De obiectorum igitur viribus in vniuersali loqui, & de affectionibus prope idem esse videtur: ipsorum enim vires nihil præterea sunt, quam facultates eo modo afficiendi, quo dictum est. De viribus autem eorum in particulari suo loco dicturi sumus, prout nostro instituto videbitur conuenire. Hinc apparet eum, qui de appetitibus agit, agere etiam de affectibus oportere, quoniam re ferre idem sunt: nec separandi videntur, cum ad eundem finem spectent, & ad eundem motum. Obiecta igitur absentia, modò cognoscantur, nos afficiunt, & in nobis appetitionem, motumque cient, vt ad ea prosequenda insurgamus: præsentia verò, & admota, appetitus ipsos expleant, perficiuntque potestates. Vnde etiam perspicuum sit, ratiocinatricis quoque potestatis obiecta illam afficere, eiusque appetitiones, actionesque aliquo modo affectiones appellandas esse. Cum autem dictum sit, affici, idem aliquo modo esse, ac viuere; viuamus autem aliquando bene, aliquando male, hoc est, secundum ciuilibis facultatis præcepta, vel contra, sit vt ij, qui non recte viuunt, aut non recte ab obiectis afficiuntur, & ex consequenti non recte lætantur, aut dolent, curatione egeant, & sæpe non circa eas tantum actiones, circa quas præcipue peccant, verum etiam circa plurimas, & fere circa vitam omnem perperam dispositi sint, ac curandi. Vt qui nimium moerent, lugent, anguntur, & omnino desperant; non modo in ipsis actionibus, vnde ijs, moeror, & desperatio aduenit, errore ducuntur; sed non ea interim bona operantur moerore illo distracti, quæ possent, ac deberent; & consolatione indigent, ac monitione, vt velint ea, quæ fiunt, fieri, vt fiunt, vt probe Stoici dicunt. Eodemque pacto qui voluptatibus quibusdam nimium detinentur, & maiorem delectationem sentire se putant, quam reuera sentiant, & quam aliunde sentiri possit. Longe enim maiores ex alijs rebus capere fortasse possent, quas per ignorantiam omittunt. Tribus igitur modis ab obiectis afficimur: vno, quando cognoscimus; alio, quando appetimus; postremo, quando explemur: ita vt obiecta sint cognoscibilia, appetibilia, & expletiva. Cum igitur omnibus modis bene erga illa sumus affecti, curatore nullo egemus, sed fortasse hortatore. Cum verò circa ea aliquo modo peccamus, curandi sumus, vt, cum quid deest, iuuandi. Neque cum Stoicis sentiendum, qui ipsas obiectorum affectiones, & appetitus, opiniones esse affirmant: sic enim tota ciuilis facultas ruit. At nos affectione, viribusque obiectorum nihil certius existimamus. Quis enim eum non irrideat, qui seruitutem, vulnera, mortem, dolorem vllum asferre neget? aut cibum, potum, ac venerem, vel opes, regna, imperia, vllam voluptatem?

Potius igitur asserendum est decipi illos, atque insanire, quam omnes simul homines, quorum sententia, hæc omnia

inter bona numerari, & plurimi fieri constat.

Quod autem omnes affirmant, Aristotele ipso teste, id verum esse censendum est.

esse

censendum

est.

QVID SIT AFFECTVS, ET
quid affectu moueri. Cap. XV.

OMNES igitur obiectorum impressiones, communissima signifi-
 catione affectus dicuntur, vt dictum est. Alio verò modo om-
 nes motus à recta ratione auerentes hoc nomine appellantur,
 prout etiam perturbationes. Nam vt aqua, ceterique liquores,
 quibus terreum aliquid, & alieni generis admistum est, dum il-
 lud immotum in fundo manet, clari, ac perspicui sunt; cum autem commo-
 uetur, ac confunditur, claritate, ac perspicuitate amissa, turbidi fiunt: sic ani-
 ma nostra, dum singularum facultatum vitia, quæ illius quasi sedimentum, fræ-
 cesque sunt, immota quiescunt, ac resident, ratio lucida, claraque permanet,
 & sedatis motibus, præsidet. Cum verò sæculenta, ac lutulenta illa pars pro-
 priorum obiectorum præsentatione concutitur, confusa anima, ratio pertur-
 batur, nec suæ naturæ puritatem, & perfectionem conseruare, aut exercere
 potest. Quamobrem huiusmodi perturbatio, vel affectus, videtur definiri pos-
 se animæ commotio à proprijs obiectis excitata, rationalem facultatem, eius-
 que claritatem perturbans. Vnde appellatur affectus, quod anima ab obiectis
 afficiatur, & quamquam in cunctis appetitibus afficitur, in ijs proprie affe-
 ctus dicitur, in quibus ratio (vt diximus) perturbatur, & à Græcis simili ratio-
 ne appellatur πάθος. Fit enim ab obiecto (vt Aristoteles censet) impressio
 quædam in corde, & motus internus, vnde sequitur externus. Idcirco tum ip-
 se, tum Galenus, ceterique naturales philosophi affectus definiunt per mo-
 tum, qui à spiritibus, vel sanguine fit in corde. Nam cum in ijs resideat anima,
 vel eius vis, dum contrahuntur ad cor, tamquam fontem, videntur obiectum
 malum fugere, quàm maxime possunt: dum verò per corpus funduntur, vi-
 dentur obuiam ire obiecto bono; qui motus in timore, ac spe, fieri sentiuntur.
 In ira autem circa cor accenditur sanguis, & calidior factus prodit ad robo-
 randa membra. In pudore verò videtur ad velandam faciem dispergi, quæ
 maxime homo dignoscitur, quæ tacita quædam humanæ naturæ admonitio
 est, prætermissi officij, quod is, qui peccat, celare vultum, & se ipsum debet;
 vt à propria natura desciscens. Et hæc quidem vera sunt, nobis autem neuri-
 quam necessaria, quibus ipsorum affectuam formalis definitio sufficit: unde
 eos sedandi præcipua ratio suo loco sumenda est. Cum autem sensitiuæ facul-
 tates nobis à natura traditæ sint, vt ijs operemur, quando, & quantum oportet,
 & vt recta ratio præscribit, qui illius præscriptum seruat, non dicitur rapi
 affectibus, quamuis ab illarum facultatum obiectis moueatur: sed tum af-
 fectibus moueri dicitur, cum ab eisdem facultatibus neque quando, neque
 quantum oportet, mouetur; neque ipsa ratione duce, sed ea de sua sede detur-
 bara, illæ in homine exercent imperium. Et Aristoteles, qui tum rectam esse
 rationem censet, cum affectus sedati sint, haud mirum est, si in rhetoricis asse-
 rat, oratorem, qui affectus moueat, ei similem esse, qui normam, qua sit vsu-
 rus, prius inflectit, nempe rationem ipsam, cum recta est. Qui enim rationem
 dominari oportere dicunt, recte dicunt aliquo modo, siquidem rationem re-
 ctam iudicant: at illa recta non erit, nisi eadem, quæ ius, atque honestas desi-
 deret, & tam ad ius, quàm ad honestatem assequendam, & conseruandam suas
 actiones dirigat. Affectus igitur pro quolibet motu à ratione eo modo recta
 auerente capitur, siue ille rationis sit, siue aliorum appetituum motus. Itaque
 ille affectu mouetur, qui præter propositum, & institutum rationis rectæ seu
 appetitui, tam irrationali, quàm rationali non moderato regendum permit-
 tit.

De motu
animalium
lib.


Lib. 5. c. 13

Magn. mo-
ral. lib. 2. c.
7. & 10.
Rhet. lib. 1.
cap. 1.

tit. Licet enim misericordiam vnus rationalis potestatis affectum esse dictum sit, tamen si quis iudex ea adductus perditum hominem reum absoluat, id affectu motus egisse dicendus est, non minus, quam qui ira, aut cupiditate percutus facinus aliquod perpetret à recta ratione abhorrens. Qui verò rationem recte distantem sequitur, quamuis misericordia moueatur, aut amore, non dicetur affectu motus. Similiter si quis iratus in fontes, aut in hostes læuiat, vel vim sibi, aut patri, patriæque inferentem interimat, Sed & quicumque rationi obtemperans erranti, non tamen errare existimanti labatur, non dicetur affectu motus errasse. Tunc autem est recta ratio (vt dictum est) eum rectà ad ius, vel honestatem tendit, & dirigit, vel per iuris, & honestatis semitam ad veram voluptatem, ac felicitatem; quod demum propositum, institutumque est, ac scopus rationis rectæ. De hac autem semita deturbare iudices, cæterosque plerumque oratores conantur, alijque, qui mouere affectus contendunt: quod olim optima ratione alicubi permissum non fuit.

DE AFFECTVVM DIFFERENTIIS.

Cap. XVI.




IMPRESSIONES igitur, & motus, qui affectus dicuntur, in cunctis sunt animæ potestatibus, in quibus etiam appetitus, & voluptates; videlicet rationali, concupiscibili, & irascibili: in vegetatiua enim, & motrice aut nulli sunt, aut obscuri, & imbecilli, quemadmodum & appetitus diximus, & voluptates. In cunctis autem videntur, secundum proportionem quandam, fere iidem esse; cū amor, odium, spes, ac timor, in omnibus appareant. Diuersus est tamen irascibilis amor ab amore concupiscibilis, & rationalis, itemque cæteri. Nam amor irascibilis est appetitus conseruandi iuuantia, odium contra, ea perdendi quæ perdere vellent. Concupiscibilis amor veneris appetitus est, odium autem eius auersatio, Rationalis amor est humanitas, quæ appetitio est beneficiendi dignis; vt odium appetitus nocendi perditis, & indignis. Idem autem de spe, ac timore dicendum. Cum enim ab alicuius motus principio ad finem, hoc est, ab obiecti impressione ad voluptatis consecutionem, vel doloris fugam, plures motus sæpenumero intercedant, vt obiectorum præparatio, vel sui ipsius, vel loci, vel temporis, & aliorum; & omnia, quæ agenda sunt, sint etiam cognoscenda; dum ratiocinamur, & nobiscum difficultates, & impedimenta diligenter expendimus, eaque superari posse, vel non posse conijcimus; sit, ut aliquando opinemur, nos id, quod appetimus, assecuturos, quique ex ea opinione affectus oritur, spes appellatur; aliquando uerò, nos minime assecuturos, & affectus ex ea proueniens metus dicitur: qui quidem affectus tam circa præcipui finis assecutionem, quàm mediocriū excitantur. Ex metu autem ipso non retrahimur, sed retardamur à rei optatæ prosecutione; cum (licet ualidus metus sit) opinio tamen sit quædam, non certitudo; sed ex desperatione ita retrahimur, ut motum amplius non prosequamur. Est enim desperatio quasi certitudo quædam, uel firma opinio, quòd aut malum non effugiemus, aut bonum assequi non licebit. Quæ illi spei opponitur, quæ omni ferè metu uacat, & potius boni expectatio dici potest. Nam in omni spe quidam semper admixtus est metus, qui tamen non ex eodem respectu, sed ex alio oritur; ut cum ab amico pecuniam mutuo petitori sumus; quæ enim amicus est, uel ei alias commodauimus, opinamur nos accepturos; quæ uerò est auarus, uel fortasse non habet, opinamur nos minime accepturos. Quæ duæ opiniones, spes, ac metus dicuntur, & simul esse uideantur. Hic tamen affectus ab ea opinione denominatur quæ præualet; si enim maior insit opinio nos optatum bonum consecutu-

secuturos, spes appellatur; si verò ea præualeat, qua nos bonum non adepturos, aut malum non vitaturos opinamur, metus. Spe autem omnino exclusa, desperatio dicitur; metu verò omni eiecto, fiducia, vel securitas, quam audacia sequitur. Spes igitur in irascibili potestate est opinio, quod explebitur, quoad amorem, vel odium, vel iram, & reliquas eius proprias appetitiones. Sic in concupiscibili, & rationali. Spei verò desperatio secundum priuationem opponitur, timor autem secundum contrarietatem; & est opinio, quod non explebitur, hoc est, non potietur bono, & voluptate, vel non effugiet malum. Ac in nonnullis ex his dantur gradus, quorum sunt quibusdam imposita nomina, quibusdam minime. Est enim amor magnus, maior, & maximus, vel vehementis, itemque odium: sed latitudines nomina propria non sunt sortitæ, & metaphorice exprimentur, vt ardor, feruor, & huiusmodi, de amore; rabies, venenum, de odio. Spei quoque explicantur diuersi gradus cum adiunctis quibusdam; vt viua spes, ardens, feruida. Timoris verò gradus nominibus proprijs sunt distincti, vt formido, paor, terror, horror, & huiusmodi; vt etiam distincti sunt, & diuersi eiusdem motus in animo, atque in corpore. Conturbatio autem, consternatio, & exanimatio, atque his similes non timoris species videntur, sed effectus. Nonnulli autem affectus proprii sunt, vt pudor rationalis potestatis tantum: est enim vel dedecoris, vel iustæ reprehensionis metus, quo bruta carent. Hinc Græci *κύνωπα*, quasi canina facie impudentem appellant. Sic & misericordia, quæ videtur appetitus remotionis malorum ab indigno, licet nostri videantur capere pro habitu, cuius actiones miserationes vocantur. Itemq. indignatio, quæ videtur appetitus priuationis bonorum indigni, vel improbatio. Inter communes est locanda inuidia, nam cunctis inest potestatibus. Inuidet enim bruta quoque alijs eiusdem speciei, vel proportionatæ, cibum, & venerem, concupiscibili potestate; maternas verò blanditias, vel domini, aut etiam egregias vltiones, irascibili. Rationalis verò potestas cum irrationalibus inseruit, vtilia commoda, quæ aliæ potestates non agnoscunt: cum autem per se operatur, inuidet magnitudinem beneficiorum, nisi hæc potius emulatio dicenda sit, quæ, nisi bona opera impediatur, semper in bonam partem accipitur, prout etiam indignatio; inuidia autem semper in malam. Zelotypia non est idem cum inuidia: hæc enim est moeror ex bono alieno; illa timor, ne quis fruatur suo. Præter simplices autem affectus, mistos esse alios, ex ijs, quæ diximus, patet: spes enim & metus, amorem & odium comitantur: quin ipsummet amori odiū nonnumquam adiunctum est. Dicit enim Catullus: *Odi, & amo, quare id faciam fortasse requiris: nescio, sed fieri sentio, & excrucior*. Amant autem ob formam, concupiscibili potestate, oderunt ob mores, irascibili: nam secundum eandem potestatem, eodem tempore eandem prosequi amore simul, & odio, nullo modo licet. Recensentur à M. Fullio, & alijs inter affectus nonnulli, meo iudicio, non satis comode.

Libido enim, cupiditas, & concupiscentia, non sunt affectus, neq. appetitus particulares, sed generis voces, & eadem cum ipso appetitu: nisi quis capiat libidinem pro appetitu irascibili, cupiditatem, & concupiscentiã pro concupiscibili. Desiderium quoque commune est. Delectatio, lætitia, gaudium, hilaritas, vel exhilaratio non sunt affectus, sed voluptatis species, vel significationes, vel effectus. Vt molestia, ægritudo, moeror, sollicitudo, ærumna, angor, & afflictatio, doloris. Similiter luctus, eiulatus, stetus, planctus, ploratus, lamentatio: vt nec risus, cachinnus, & forte exultatio, & iubilatio: nam vt hæc sunt opera, vel actus voluptatem indicantes, ab eaque fluentes, ita illa dolorem, & eius effectus, de quibus agendum, cum de voluptate agitur, aut dolore. Voluptas autem, & dolor minime omnium sunt affectus: neque enim appetitus, vel motus, sed fines appetitionum, & animi motuum omnium. Verum cum satis de affectibus dictum videatur, nunc de expetendis, ac fugiendis, vel de bonis, malisque dicamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.



AD O V A R D I G V A L A N D I
P I S A N I
E P I S C O P I C A E S E N A T I S
D E C I V I L I F A C U L T A T E

Liber Tertius.



D E B O N I S , A C M A L I S : V E L D E
expetendis, & fugiendis Caput I.



ethic. lib. 7
E. 11.

BONI appellatio latissima est, non secus atque entis, siue ³⁰
salubris, eorumque omnium, quæ ad vnum, aut ab vno di-
cuntur. Nam, vt in medicina omnia, quæ ad sanitatem,
conferunt, salubria; ita in civili facultate omnia, quæ ali-
quo modo ad voluptatem conducunt, bona vocantur. Pro-
pterea illam Aristoteles finem ἀρετῆς appellat. Et vt
in ea causæ, subiectum, actiones, & signa, medicinalia, vel
salubria nuncupantur; ita in hac obiectum, vt coniunx, subiectum, vt appetens,
actio, vt congressus, signû, vt amoris illius indicium erga virum, bona dicuntur.
Et idem de reliquis intelligendum, quæ exiguntur ad motum, vt de agente,
loco, tempore, cæterisque similibus. Vt autem medicamenta ægrotanti afferunt ⁴⁰
sanitatem; ita propria cuiuslibet appetitus obiecta appetenti afferunt vo-
luptatem. Et vt ea, quæ ad medicamentorum compositionem pertinent, vt phar-
macopolæ, vasa, aliaque huiusmodi ad valetudinis comparationem dicuntur
conducere; ita ea, quæ ad obiectorum, reliquorumue, quæ ad hunc motum at-
tinent, nempe loci, temporis, atque huiusmodi præparationem, bona vri-
lia esse dicuntur, & ad voluptatem parandam idonea. Nam licet per se, & im-
mediate non conferant, mediate tamen, & secundoario voluptatem parant.
Voluptas igitur sanitati proportionem respondet. Quamobrem vt ea, quæ sani-
tatem ipsam conseruant, restitunt, sustinent, introducunt, indicant, aut ipsi ⁵⁰
quocumque alio modo conferunt, dicuntur salubria; ita cum voluptas sit su-
premus omnium rerum agendarum finis, & summum bonum, quæcumque eam
conseruant, parant, recipiunt, introducunt, indicant, aut ad eam comparan-
dam

dam alia quavis ratione conducunt, bona appellantur. Huiusmodi autem boni appellatio ad vnum est, prout entis, ac salubris, vt supra diximus. Verum enim bonum compluribus voluptas ipsa videtur, cum extremum, finisque sit, quò bona omnia diriguntur, & cuius gratia bona appetimus; quippe quæ ad eam comparandam conducunt, qua etiam ratione bona appellari videntur. Finem enim definiens (vt ait Aristoteles) reliqua eò bona demonstramus, quòd finis causa existant. Sunt autem bona aut secundum quid, aut simpliciter: nam bona secundum quid ad finem secundum quid relationem habent, vt ad incidendum, ad secandum, & similia: bona verò simpliciter sunt, quæ ad finem simpliciter dictum, voluptatem scilicet, referuntur. Bona igitur dicuntur, quæcumque sunt apta eum finem consequi, ad quem natura, vel arte sunt comparata; eoque meliora, quò aptius, ac facilius eum consequi possunt: absolute autem bona, quæ ad voluptatem ipsam adipiscendam sunt apta. Num autem voluptas bonum, vel maius quiddam, ac diuinius censenda sit, aliàs perscrutabimur: in præsentia enim de ijs bonis sermo nobis est faciendus, quibus ipsa voluptas, vt medicamentis sanitas, comparatur: itemque de reliquis, quæ ad hunc motum absoluendum sunt necessaria. Nam de fine, hoc est, de voluptate iam dictum est: de appetente verò, hoc est, de subiecto mox dicetur: de officio quoque, loco, tempore, cæterisque suis erit dicendi locus. Hic enim agendum nobis de bonis est, vt sunt obiecta, vti omnia disposita sint, quemadmodum postulare natura videtur. Etenim licet vnum omnibus nomen accommodari videatur; res tamen plures sunt, de quibus est arte tradentibus necessario differendum. Huiusmodi igitur boni ideam negat Aristoteles inueniri, aut fingi posse, cum tamen facillimè sit. Nam vt concedamus medicinalia, & salubria, aliaque his similia vnicam rationem, qua talia, non habere, neque vniuoce prædicari, ac propterea defini non posse, non tamen negandum est, in nominibus ad vnum, vel in rebus ipsis, quæ ijs nominibus significantur, naturam quandam vniuocam reperiri, quæ commode defini possit, & ad quam reliqua, quæ ab ipsa dicuntur, nec nisi illius respectu, participatione, & inhærentia defini queunt, referuntur omnia. Prout idem ostendit, cum de ente agit; & medici, cum de salubribus sermonem faciunt. Hoc igitur vniuocum à nobis inuestigandum, & quidnam sit, exponendum videtur. Itaque cum illud vere, simpliciter, & vniuoce, ac per se bonum dicatur, quodcumque per se expetitur, & suapte natura appetibile est (qua quidem ratione bonum dicitur potentia esse) vel quodcumque explet appetitum nostrum (qua ratione actu est bonum) sit, vt nihil aliud bonum sit, quàm voluptatis vel actu, vel potentia allatum. Potentia quidem si dicatur, & consideretur, vt appetibile, vel expletium; actu verò, si consideretur vt explens, aut volupe. Est autem velut instrumentum ciuilibus artificis, vt medici medicamentum, & aliquo modo ipsius voluptatis efficiens. Quapropter bonum pro obiecto sumptum defini poterit, id, quod est aptum afferre voluptatem appetenti; vel id, cuius præsentia appetitus expletur; vel id, cuius commoda applicatione bene, beateque viuatur. Hinc perspicuum est, tot ipsorum bonorum genera esse, quot appetituum species. Bonorum igitur diuisio ab appetitus diuisione sumenda videtur. Cum enim (vt summatim dicamus) duplex sit appetitus, sensitiuus scilicet, ac rationalis, bonum, & obiectum, quod sensitiuo appetitui voluptatis est allatum, iucundum dicetur; vt cibus, femina; bonum verò, quod est volupe rationali appetitui, vel voluntati, honestum appellabitur. Quæ bona sigillatim omnia suo loco à nobis explicabuntur, vt quidnam re ipsa sint, cognosci aper tissime possit. Cùm igitur bonum, prout obiectum, per se expetibile sit; patet prudentiam, scientiam, sanitatem, pulchritudinem, robur, & omnino animi, corporisque virtutes minime per se expetibiles esse. Nec obstat, quod ex prudentia, vel sanitate maximam quilibet percipere voluptatem videtur: hoc enim proinde fit, quia sentiunt se disponi, aptosque reddi, ad veras, ac solidas voluptates corpore, aut animo

Ethic. lib. 1.
cap. 6.

E capien-

capiendas; quibus frui nullo modo possunt, nisi hæc recte disposita sint, & ad ipsa applicentur obiecta. Cum igitur bona huiusmodi sint, mala contraria erunt, per se scilicet fugienda, & doloris allatiua: & quæ quidem sensui dolorem afferunt, iniucunda, siue molesta; quæ verò animo, turpia, siue inhonesta dicentur: atque hæc immediate mala, mediate autem quæ ad ea conducunt, aut quæ impediunt bona, vt inutilia, aut quæ vtilia auferunt. Cumque bona non ea solam appellentur, quæ afferunt voluptatem, sed etiam, quæ dolorem adimunt, mala contra ea dicentur, quæ vel dolorem afferunt, vel voluptatem expellunt: & hæc itidem dupliciter, actu videlicet, vel potentia. Neutra verò illa sunt, quæ nec bona, nec mala, vel quæ partim bona, partim mala, vel quæ aliquando bona, aliquando mala, vel quæ alicui facultati bona, alicui mala: Nec bona nobis, nec mala sunt, quæ neque voluptatem afferre possunt, neque dolorem, vt quæ nullo pacto hominem attingunt, vt terra, quæ est in centro; partim bona, partim mala, vt dulcia simul, & amara, quale est mel absinthio infectum. Cætera autem per se satis sunt manifesta, & siqua obscura videbuntur, à nobis infra explanari poterunt.

DE BONORVM DIVISIONE. Cap. II.

BONORVM, vt sunt obiecta, diuisionem pro appetituum diuisione faciendam esse paulò superius dictum est. Verùm cum eorum differentia sint cognoscenda, vt ea, quæ vnus sunt generis, cum ijs comparari possint, quæ sunt alterius, vel inter se vnum, aut simul plura; absoluta ipsorum diuisio est necessaria, quæ fit à diuersis diuerso modo: quamquam difficile est, omnia eorum genera vnica diuisione complecti; sed difficilius, quæ ab vna comprehenduntur, ad aliam redigere. Considerandum est igitur, diuisionem hanc ab omnibus causis sumi posse, primum autem à subiecta materia, hoc est, ab homine, cui voluptatis sunt allatiua. Alia enim interna, alia verò externa dicuntur, nimirum cum intra, vel extra ipsum reperiantur. Interna sunt animi, corporis, atque ex vtroque compositi; & cuncta vel naturalia, vel accidentalialia, & aduentitia. Bona animi naturalia, vel intellectum ad proprias actiones recte obeundas disponunt, vt ingenium, ac iudicium; vel ad eas voluntatem inducunt, vt proba intentio, ac discretio. Hæc ob voluntatis libertatem in melius, ac deterius immutantur; illa verò immutabilia sunt; sed vt inertia hebescere, ita vsu, & exercitatione expoliri, ac limari possunt. Bona animi accidentalialia ex virtutes sunt, à quibus eadem potestas, & appetitus in habitu perficiuntur, velut intellectus ab ijs, quibus verum à falso, bonum à malo dignoscitur, quæ intellectiua dicuntur, voluntas autem ab ijs, quibus bonum cognitum expetimus, atque prosequimur, malum verò detestamur, ac fugimus, quæ appellantur morales. His enim ipsam voluntatem, non appetitum irrationalem perfici, alibi demonstrabimus. Animi item bona accidentalialia, sunt huiusmodi virtutum tam intellectiuarum, quam moralium operationes, à quibus ipsæ potestates actu perficiuntur. Naturalia corporis bona, constitutiones, virtutesque illæ sunt, quibus ipsum, eiusque propriæ operationes ad animæ imperium prompte exequendum perfectæ redduntur: nempe bona valetudo, robur, celeritas, & pulchritudo. Bona valetudo corpus parat ad reddendas, quoad ipsum attinet, omnium potestatum operationes perfectas interius, atque exterius circa propria obiecta. Robur facilius parat obiecta iuuantia, & expellit noxia. Celeritas, qua agilitas comprehenditur; noxia cito fugit; iuuantia sequitur. Pulchritudo animum hominis ad se allicit, & vt obiectum delectans ad societatem, & vniionem inuitat, quemadmodum cæteræ eius comites qualitates, elegantia,

Lib. 5. c. 6.
& lib. 10.
c. 6.

tia, venustas, indoles, & oris dignitas. Bona corporis accidentalia in earumdem corporearum virtutum artificiali expositione consistunt. Compositi autem bona, animæ, & corpori communia sunt, ut vita, & rectæ partium operationes. Et hæc quidem quoad bona interna. Externæ verò ea sunt, quæ cum sint extra ipsum hominem, ei ad voluptatem assequendam conducunt. Quorum alia efficientes illius causæ sunt, ut bona fortuna, ac vir bonus, qui simul subiectum est eam percipiens. Nonnulla impedimentorum sunt remotiones, veluti pax, & ius, atque libertas. Nonnulla etiam instrumenta, ut propria obiecta, nec non patria, parentes, amici, ac reliquæ opes. Nonnulla quoque probæ constitutionis in homine sunt signa ad veram voluptatem percipiendam, ut honor, dignitas, atque nobilitas; denique tempus, ac locus, ubi, & quando voluptas confertur, aut percipitur. Cum hac bonorum diuisione à subiecto sumpta ea conuenit, quæ ab agente, ut cum aiunt alia à natura, Deoque ipso prouenire, alia à studio, & consuetudine, alia verò a fortuna. A natura, Deoque adueniunt tam probæ potestatum, partiumque animæ, corporisque naturales constitutiones, quàm partes ipsæ, ac potestates. A studio, ac consuetudine, boni earum habitus, & operationes. A fortuna fere bona ipsa externa. Eadem autem diuisio à fine sumitur, quæ non valde ab ea diuersa est, quam mutato respectu superius pro appetituum diuisione sumendam diximus, ut bona vel honesta, vel iucunda sint, vel etiam vtilia. Honestæ ea propriè sunt, quæ per se, suaque natura, & ut præcipuæ causæ honestam voluptatem afferunt, quam ex commodo percipi dictum est, quod in bonum virum, dignumque confertur. Quæ bona vera etiam appellantur, quòd veram afferant voluptatem, ut probæ constitutiones, & habitus, actusque voluntatis, bona videlicet intentio, ac discretio, cum morum virtutibus, earumque operationibus. Iucundæ sunt, quæ potestatibus nostris admota oblectant, & pro eorum natura actu voluptatem afferunt, ut sunt propria obiecta; hoc est, in vniuersum intellectui vera, appetitui bona; & particulatim visui pulchrum, sonorum auditui, gustui dulce, & ita in reliquis. Vtilia verò, quæ aptitudinem aliquam, & commoditatem afferunt ad voluptatem percipiendam; & per accidens, prout instrumenta ad obiecta propria comparanda, non per se, suaque natura, velut ipsa propria obiecta iuuant, ut pecunia. Itaque, mediantibus honestis, iucunda, atque vtilia vir bonus confert: neque minas ipsa honesta, cum socium doctrina, & exemplis sibi similem reddit. Hinc apparet, bona vtilia non modò eadem cum honestis non esse (ut Stoici afferunt) verum numquam nisi ex accidenti conuenire. Bonaque honesta non dicuntur vtilia, neque hæc honesta, nisi valde improprie. Iucundæ verò, & vtilia sæpe conueniunt, diuersis tamen respectibus. Aqua enim in sici gustui iucunda est, ut obiectum proprium; utilis autem varijs hominum necessitatibus. Quæ autem turpia, & molesta, & inutilia dicenda sint, ut ijs, quæ diximus, contraria, facile considerari potest. Bonorum diuisio à forma esset in eligibilia per se, vel ob aliud; quæ quoniam cum superioribus coincidunt, omittatur. Ad summam, ut bona secundum quid cuncta dicuntur, quæ ad motum particularem conferunt, quo particularem finem, aut voluptatem acquirimus; ita absolute bona, quæ ad eum motum, quo vltimum finem, & veram voluptatem assequimur. Quæ quidem omnia ad tria illa capita referuntur, quæ superius diximus ad iuuandum esse necessaria, nempe scire, velle, & posse prodesse; nam scire ad intellectum recte constitutum, vel probis habitibus imbutum pertinet, velle ad voluntatem, posse ad compositum, videlicet ad totum hominem cum bonis externis.



VNC autem metiendi, atque æstimandi bona ratio aliqua explicanda videtur, vt ex propositis diuisionibus, cum occasio postulet, ea inter se comparare, eorumque expendere dignitatem possimus, ne quando in melioris, ac præstantioris electione decipiamur. Quam quidem ad rem duæ se nobis mensuræ offerunt; communis altera, quæ rei naturam comitatur, eaque omnia metimur bona; altera verò particularis, quæ ab hominum opinione procedit, qua ea dumtaxat metimur, quæ in hominum cõmercijs commutantur. Harum autem altera ipsa est voluptas, altera verò nummus. Nam quoad priorem attinet, cum ea bona dicantur, quæ voluptatem afferunt, meliora profecto, ac digniora illa dicenda sunt, quæ maiorem afferunt voluptatem, & ad felicitatem magis conducunt. Cum autem huiusmodi voluptas (vt dictum est) ex eo commodo, beneficioq. sumatur, quod confertur in alterum, huius mensuræ loco erit, non minus commodum, quod confertur, quàm ea voluptas, quæ inde exoritur. Itaque maius id bonum dicitur, à quo voluptas maior, & maius hominibus commodum aduenit. Si igitur internorum bonorum genus cum externorum genere (vt in superiori diuisione apparet) ad hanc mensuram examinetur, nullum dubium est, quin ab internis superentur externa: si enim interna desint, necessario ipsum commodum, & vera simul voluptas deest: quod in externis non accidit, cum pluribus modis solis internis alteri prodesse possimus, etiam fortunæ, hominumque ope deficiente, vt doctrina, consilio, monitu, corporisque auxilio. Idemq. de animi bonis à corporeis seiunctis statuendum est, quæ externis eadẽ ratione antecedunt. Nec cuncta modò animi bona simul iuncta, verum etiã tam ea, quæ intellectus sunt, quàm quæ voluntatis, à se inuicem separata; non minus naturalia, quàm accidentalia. Quin etiam sola ipsius corporis bona, eadẽ externa superant; tum quia corpus coniunctum animæ instrumentũ est, externa verò instrumenta sunt à composito separata, ideoq. etiam corpori famulantur; tũ verò, quia sine illis, quàm sine his difficilius est alteri opulari. Idemq. compositi bonis contingit, externis enim magis etiam, quàm corporea præstant. Itaq. corporis, ac cõpositi bona præferimus externis: quæ verò sunt animi, ijs, quæ corporis, cum hoc illius instrumentũ natura sit, cumq. hoc terrestre, illud æthereum; propterea eadem inter vtrumque, quæ inter cælum, ac terram proportio est, eademq. inter vtriusque bona. De ijs, quæ ad compositum spectant, idem fere dici potest: nam ob corpoream missionem ab animo superatur, & ex consequenti eius bona ab animi bonis, sine quibus humanam vitam traducere nullo modo licet. Inter ea verò, quæ solius sunt animi, morum virtutes (vt etiam superius dictum est) intellectus virtutibus, vt intellectui voluntas, præstant. Quod similiter sit manifestum ex bonorum collatione, iuxta diuisionem à fine sumptam: honesta enim iucundis, atque vtilibus longe antecedunt; cum illis potissimum accepta humana felicitas sit referenda. Vtilibus verò iucunda, cum horum gratia illa sint, veluti instrumenta. Inter huius autem diuisionis genera dantur gradus: nam honesto honestius, vt etiam iucundo, & vtili iucundius est, & vtilius. Hæc autem eadem priori mensura metimur: honestius enim est beneficium, quo bene merentem magis iuauimus: iucundius, quod alicui potestati maiorẽ, vel digniori æqualem voluptatem affert: vtilius, quo plura, vel maiora bona, vel facilius consequi possumus. Non leuem autem in bonorum æstimatione difficultatem parit humanorum appetituũ varietas; nam non minus consuetudine, quàm natura sunt diuersissimi. Quamobrem eadem obiecta eisdẽ diuersorũ hominum potestatibus non eodem modo satisfaciunt; sed diuersos diuersa delectant.

Nam

Nam id aiunt vere bonum, & pulchrum esse, quod placet; non quod re ipsa est tale. Ut iucundum sit, non tam absolute tale, quàm huic, & hoc tempore: similiter etiam vtile ob eandem causam, honestum vero ob diuersam, nempe ob qualitatum tam dantium, quàm recipientium differentiam: quo fit, vt eadem actio vni sit; alteri verò non sit honesta; neque alio loco, vel tempore eidem. Atque hæc de bonorum æstimatione; iuxta priorem mensuram in vniuersum dicta sufficiant. Si quis verò bonum aliquod internum cum externo conferre velit, vt bonam valetudinem cum diuitijs; fortasse absolute statuere facilius erit, quam secundum quid, vt in homine, quàm in hoc homine. Nihilominus existimandum videtur, id bonum cuilibet eligibilius esse, quod, cunctis perpenlis, censei poterit illius felicitati conducibilius. Idcirco alicui fortasse diuitiæ bona valetudine eligibiliores erunt, quibus suo officio ad alienum commodum magis satisfacere possit, atque ita felicior fieri. Verumtamen ipsa quoque natura dignitatum gradus inter bona tacite quodammodo indicat. Siquidem ea plura sunt facienda, quorum socio ægrius palmam concedimus: maiori enim voluptate priuamur. Et magis irascimur, cum nobis obijcitur bonæ intentionis, vel discretionis, vel moralium virtutum inopia: nam harum detractio non solum inquinat probitatem, sed aufert. Idem fere, quo ad ingenium, ac iudicium accidit; ac si in ijs cedere necessarium sit, excusant se homines, quòd non animaduuerint, aut non potuerint, aut alias huiusmodi suæ imprudentiæ causas afferunt. Cæteris tamen paribus, fere omnes tacite de his bonis secum gloriuntur, & reliquos præ se contemnunt, ac quo ijs magis carent, plura æstimant: suam enim imperfectionem minus intelligunt. Corporum bonorum palmam facilius cedimus, ijs tamen exceptis, in quibus felicitatis nostræ fundamenta reponimus; vt mulier in pulchritudine. Externa cedimus minus anxie, iniurius tamen patimur ijs superari, quæ valde amamus, vt auarus diuitijs, vnde omnis illius voluptas prouenit. Eadem autem mensura conferri inter se, atque æstimari cætera possunt, quæ aliquod homini adiumentum præstant; neque animalia solum, & plantæ, ac metalla, aliaque huiusmodi, verum hominem ipsum sua libertate priuatum sæpe pro ijs commodis, quæ in seruitute alijs hominibus affert, minoris fieri videmus, quàm nonnulla bruta animalia, quamquam suapte natura inæstimabilem. Sed & elementa, & cæli ipsi hoc iudicium subeunt. Pindarus enim optimam censet aquam, Pylarchus ignem; alij verò ærem, aut terram, vt pro ijs commodis, quæ hominum generi afferunt, considerantur. Etenim cæli, atque astra, quæ vt agentes causæ instrumentales magnam nobis nostrorum bonorum partem infundunt, non pro eorum ordine, ac situ à nobis æstimantur, sed pro beneficijs, quæ inde peruenire ad nos arbitramur. Nam Soli, à cuius lumine, & motu non hominum modò vita, sed inferiora omnia præcipue pendent, primæ sine controuersia deferuntur. Eademque reliquorum haberi ratio potest. Quo igitur ad priorem mensuram attinet; tot dicta sint. Altera verò, videlicet nummus, non natura, sed hominum opinione consistit, eaque suppletur permutationis incommoda magna humanarum societatum commoditate; cum rerum omnium, quæ inter homines commutantur, pretia exacte definiat; ita vt vbi, ac potestate fere cuncta illa bona sit, in quæ commutatur. Hæc tamen definitio haud firma, & stabilis est; sed pro hominum vsibus, atque appetitibus variatur: Nam vbi bona abundant, aut minus placent, minoris fiunt; vbi verò eorum penuria est, aut magis delectant, plura. Quapropter adamas gemma omnium pretiosissima, quod sit lucida, scintillans, & pati vix possit, hac ætate copiæ causa minoris fit, quàm aliæ quæpiam, quas naturæ superat dignitate. Ac cibus, qui alteri suauitate, & salubritate cedit, nonnūquam sua raritate eidem præstat. Quod in cæteris quoque bonis contingit: quin ipse nummus, cum quædam sit honorum species,

sua, plerumq. natura utilis, ac pretiosa, cuius diuersis locis, ac tēporibus diuersa copia, vel penuria est; vbi, & quando deficit, res præ ipso minoris fiunt; vbi verò, & quando abundat, pluris. Omnino autem secunda hæc mensura, primam sequitur: eius enim commodum spectat, ac voluptatem, cui metitur; qui pluris ea faciet bona, quibus eget, aut delectatur, quàm alius, aut etiam quàm is ipse ea, quibus minus eget, & è quibus minorem capit delectationem, quamuis suapte natura sint digniora. Quamobrem alij statuas, ac pictas tabulas, quas pæne nihili nonnulli faciunt, immensi thesauri loco habent: alij gemmas, aut equos, & arma, aliaque huiusmodi. Ad summam, bona neutiquam secundum propriam naturam æstimantur, verum ad eius voluptatem, commo- 10 dumque relata, qui ijs est vsurus. Quod similiter videmus accidere in ipsis boni viri qualitatibus, bonisque operationibus æstimandis: non enim tam eas spectamus, quàm commodum, ac beneficium, quod ab ijs provenit. Quin etiam nostra opinione de aliena scientia, voluntate, potentiaque iuuandi (quem honorem esse diximus) hominem quoque ipsum æstimamus, atque metimur, cum hæc quasi vera, & congrua mensura eius probitatis, & dignitatis, & vt proprium ipsius pretium, loco pecuniariæ æstimationis succedat. Sed hæc alibi. Nunc de appetente dicendum.

DE APPETENTE. Cap. IV.



ANIMAL, dum quiescit, nec quidquam appetit, aut auer-
satur, licet ei nihil ad propriam perfectionem deesse videatur,
nihilominus imperfectum est. Cum enim appetendi sit poten-
tia præditum, vt agat, atque inde perficiatur, & viuat; frustra
erit illa potentia, quæ numquam redigetur ad actum: & cum
operari absque appetitu non possit, nec perfici, aut viuere
absque actione, si appetitu vacabit, actione, ac perfectione
vacabit, nec viuere dici poterit. Vt igitur viuat, appetere ipsum necesse est;
tunc autem appetit, cum bona cognoscit; tunc auersatur, cum mala: qua de 30
re satis antea loquuti sumus. Est autem appetens is, qui ab animi quiete ad
motum transit, & boni cognitione rapitur ad ipsum prosequendum. Recte igitur
appetens idem penitus erit cum prudente, vel cum artifice ciuili, ac viro
probo. Vnde patet, eum facultatem habiturum expendendi obiectorum omnium
vires, & coniiciendi, quantum ex quolibet voluptatis percipi possit, eamque
percepturum ita, vt dolores repellat. Quod si plura fuerint obiecta proposita,
ea prosecuturum, quæ fuerint præstantiora, maioremque afferent voluptatem;
pluribus verò malis propositis, deterrimum maxime auersaturum. Quod si
quorundam obiectorum vires ei parum compertæ erunt, eos consulat artifices,
qui circa obiecta illa versantur; vt de salubribus medicum, de cibarijs cocum, 40
idemque in reliquis. Hic est enim inter omnes artifices architectus, cæterisq.
tamquam ministris vititur (vt iam dictum est) ad propria munera obeunda.
Cum autem vitæ bene, beateque degendæ sit artifex, illum moderate prosequi
omnia oportet, neque videlicet inrense; neque remisse, neque in suis opera-
tionibus vehementiorem esse, aut segniorem, sed recta ratione duce omnia
agere. Patet igitur eum cuncta prosecuturum, vt sapientem decet, ac bonum
virum. Bonus autem vir in præsentia is est habendus, qui omnibus appetitibus
ex merito satisfacit, & quantum in ipso est, aut omnes iam moderatos explet,
aut nobilissimos, si quando ex accidenti quopiam inter se pugnarent. Non
enim (vt Stoici sensere) corporis voluptates sua natura animi voluptatibus 50
aduersantur, sed aliquando; nimirum cum id, quod aliqua potestas appetit,
aut alteri potestati, aut simul omnibus sit inutile; veluti cum ægrotans appetit
potum

potum, qui bonæ valetudini repugnat. Itaque non modò cohibere inanes appetitiones, & reprehensione dignas poterit; verùm etiam ingruentia, & se temere offerentia obiecta, si bona fuerint, capere; si autem mala, declinare optime nouerit. Cum verò quilibet propriam perfectionem, & eximias optet voluptates; idcirco nobilissima omnium facultatum obiecta expetit, ipsalque facultates, quàm exactissime fieri possit, ad eas perspiciendas accommodatas. Verùm quoniam quid absolutè optimum sit, vel optime affectum, cognitu difficillimum est, ac si probe cognosceretur, non ita facilè illud adipisci possemus; ideo fit, vt aliorum, præsertim æqualium, bona spectemus, eaque aut æquare, 10 aut etiam superare conemur. Cumque assecuti ea sumus, alia maiora prosequimur, oculos assidue in eos conijcientes, quos nobis æquales, aut paulo superiores existimamus, vt eos primum æquare, deinde etiam superare possimus. Ita vt cum omnes fere viuentes vicisse videamur, cum defunctis etiam certemus, si quos egregios fuisse iudicemus: quòd si nulli huiusmodi iudicentur, cum nascituris certamus, vel cum nobismet ipsis; vt ea demùm videamur consequi cupere, quæ nullus vmquam possederit, aut potis sit possidere. Etenim omnis homo natura non minus posse, quàm (quod ait Aristoteles) scire desiderat, cum sint (vt ante dictum est) agendi principia. Hinc fit, vt ij, qui vere opibus non, 20 excellent, nihilo secius glorientur, & iacent, ostententque se, ac sua bona; vt credantur habere eximia omnia, & cæteris admirationi sint, ac laudentur. Laus enim quamquam præcipue virtutis signum videtur, est etiam (vt diximus) omnium bonorum indicium, Hac autem de causa, non modò sua bona inquirunt homines, verùm etiam aliorum mala. Hinc oriuntur inuidiæ, detractio- nes, irrisiones, aliaque huiusmodi, de quibus suo loco dicemus. Hanc etiam ob causam varias artes, habitusque etiam inanes sibi vendicant, vt vel in minimis bonis, nonnumquam etiam in malis (quando bonis, ac maximis nequeunt) præstare cæteris videantur.

Metaphys.
Lib. 1. c. 1.
in princ.

DE AGENTE, VEL DE

30 *civili artifice. Cap. V.*



VE MADMODVM obiecta in animo nostro necessariò excitant appetitiones, rapiuntque ad se, & voluptatis capiendæ causa ad sui prosecutionem compellunt: ita ipse animus concitatus corpus ad obiecta mouet. Cognitis enim bonis, continuò appetitus insurgit, ac, nisi quid impediatur, ad ea prosecutionem impellit. Quamquam non desunt, qui existiment, voluntatem ab obiectis nullo modo cogi, sed si bona offerantur, posse non velle, vt Scotus, alijque non pauci. Quorum quidem opinioni Aristoteles refragatur, cum asserit in rebus agendis, syllogismo confecto, eum, qui ratio- 40 cinatus est, conclusionis loco ad obiectum bonum moueri. Præterea quòd in intellectu verum est, aut falsum, id esse in appetitu prosecutionem, aut fugam. Idem & D. Thomas sensisse videtur, cum voluntatis perfectionem arguere censet, eam ab obiectis bonis cogi, necessitatemque obiectorum non destrueret voluntatem, sed construere. Vt cumque sit, agens semper operabitur, quod appetitus dictabit; & nisi ab extrinseco aliquo principio coactus sit, semper aget sponte. Agens igitur secundum civilem facultatem, de quo in præsentia sermo habetur, is est, qui ea prosequitur, quæ dictat appetitus rectus, eas capiens voluptates, quas oportet, & quando. Quamobrem laude, & honore dignus 50 erit, suæque vitæ rationem reddere, & iure à nemine reprehendi poterit, sibi- que, ac patriæ, cunctisque bonis erit commoditati, atque ornamento. Denique optime, ac beatissime viuet, vt ex eius inter cæteros excellentia facile sit intel-

Ethic. lib. 7
c. 3. & lib.
de motu
animal.

intelligere, quantum reliquis artibus præstet civilis facultas. Nam cæteri; nisi boni viri sint, bene, beateque vivere nequeunt: at homines hac vna facultate boni redduntur, & felicitatem adipiscuntur. Cum igitur post appetitiones agens agat, eum à leuioribus malis retardari non decet, quò minus maiora prosequatur bona; quod segnes faciunt, & ignavi, qui vel pigritia, vel vitiosa verecundia, vel alia quavis leuissima causa à maximis actionibus reuocantur: Alij verò leuibus quibusdam voluptatibus, præsentibus tamen, à grauissimorum prosecutione auertuntur: vel exiguo aliquo bono retrahuntur à declinatione magni mali. Idcirco prudenter dicere consueuerunt: Diu deliberandum esse, quod agas: cum verò consulueris, maturè factò opus esse. Quod præceptum est necessarium, non quidem quòd, cognito vere bono, retrahi possimus, quò minus id prosequamur; sed quòd nonnumquam leuioribus quibusdam malis retardemur, quæ omnino reijcere oportet. Itaq. agens, seu prudens, seu civilis artifex, ac vir bonus est is, qui facultatem habet accommodandi obiectis suas potestates, vel obiecta potestatibus; ad appetitus expletionem, vel voluptatis adeptionem, vt se ipsum perficiat. Quique suas potestates ita elaboratas habet, vt ex nobilissimis obiectis voluptatem percipere possit. Cum autem prudentia, ac civilis facultas principia sint, quibus appetens, atque agens scire possunt, quid agendum, aut appetendum sit, & quando, quantum, cæteraque huiusmodi; idcirco de ijs hoc loco agi commode poterat: verum nos commodius esse duximus tractationem de his omnibus societati beneficæ reseruare. lib. 10. & 11. eademque ratione de virtute, quæ principium est ea prosequendi, quæ dicat prudentia, ac civilis facultas: prudentia enim facit, vt quis sciat; virtus verò, vt appetere, atque agere secundum eam scientiam velit. Cum verò agentem moueri appetitione dicamus, aduertendum est, illam duplicem esse; nempe finis, & eorum, quæ sunt ad finem. Finis item duplex est; generalis scilicet, & particularis: vterque autem excitat appetitum, non tamen hominem mouet, nisi ea, quæ sunt ad finem, simul offerantur: vel etiam mouet ad ea sibi comparanda, quæ sunt ad finem. Vt generalis finis, puta diuitiæ, excitabit appetitum, & vna ad eas artes exercendas alliciet, quibus ipsæ diuitiæ comparantur; vel ad ea loca petenda, quæ pecunia abundant. Finis autem particularis, vt arcis expugnatio, excitabit ad milites, scilicet comparandas, quæ nisi videamur consequi posse, non mouemur, & si qui mouentur, temerarij existimantur: omnino enim homines bene affecti potius incipere nolunt, quam incepta ad finem non perducere.

DE OFFICIO AGENTIS, SIVE
civilis artificis. Cap. VI.



A GENTIS, siue civilis artificis officium est, applicare suis facultatibus obiecta, ad veram voluptatem percipiendam: vel accommodare suas facultates ipsis obiectis: vel circa nobilissima obiecta nobilissima facultate versari. Est etiam voluptatis adeptio, & sensus. Et agere recte, moderate, prudenter, ad honestæ voluptatis consecutionem. Hoc autem modo agere, & secundum virtutem agere; est bene vivere. Atque hæc secundum virtutem actio omnium nobilissima est, ac præstantissima. Ita, vt Aristoteles, cū nihil excogitare præclarior, optabiliusue potuerit, non sit veritus in ea ipsa summum bonum, ac felicitatem locare, ratus omnium rerum agendarum finem, cum præstantissimus sit, ac perfectissimus, suaque natura maxime expetendus, nihil aliud, quam actionem secundum virtutem esse debere: quippe quæ præstantissima sit, ac perfectissima; & in qua civilis artificis opus terminari videatur. Cum ta-
men

men aliter se res habeat, & alius sit civilis facultatis finis (vt supra abunde differuimus) ab actione, & motu, quo assequi illum contendimus. Qui tamen finis non videtur à motu, aut actione separari posse, sed agendo, acquiritur. Cum enim antea dictum sit, voluptatem supremum finem, & uiuentis perfectionem esse, nec illum perfici posse absque moderatarum facultatum nobilibus obiectis applicatione; hoc autem sit secundum virtutem agere; patet, voluptatem comitari ipsam actionem, vel simul cum ipsa exerceri. Cum igitur fere coniunctæ sint, actio secundum virtutem, atque honestas, & voluptas, & hæc illam consequatur simul; perspicuum est, eadem debere esse præcepta illius, qui finis loco actionem statuat, & illius, qui voluptatem. Quod fit, vt hæc nostra ab ijs, quæ Aristoteles tradidit, non valde diuersa futura sint. Cum autem honestatem pro actionum perfectione constituerimus, alia quædam apponenda erunt præter ea, quæ ad actionem, ac voluptatem attinent, licet in eodem motu sint omnia. Si verò actionem finem esse diceremus, docere oporteret, quonam pacto illa inchoanda, & deinceps prosequenda esset, modò artem agendi rectè tradere cuperemus: quod nullibi fecit Aristoteles, vt initio explicatum est. Agentis quoque officium est, quodlibet obiectum secundum dignitatem appetere, & circa ipsum commode versari ad expletionem appetitus, & voluptatis assecutionem. Vel ita moueri, vt ex datis obiectis apte, recteque quàm maximas poterit, eliciat voluptates: vel ita vt, citò, tutò, facilè, & secundum cæteras motus rectitudines, ex obiectis voluptatem percipiat. Definitum est a nobis officium, pluribus modis, vt quid sit, & quomodo suo singuli fungi officio possint, intelligatur. Quamcumq. autem ex his definitionibus quis acceperit, vtiliorem, magisq. opportunam civili tractationi, atque tradenda inuenturum existimamus, ijs, quæ à M. Tullio afferuntur. Nam cum is bifariam illud secuerit, atque aliud perfectum esse dixerit, aliud medium, perfectum illud esse asserit, quod rectum est; medium verò, cuius ratio probabilis reddi possit. Ac vt mittamus tum diuisionis illius rationem, tum quod in veraque definitione assignanda genus est prætermissum, illud maxime animaduertendum putamus, quod ex ijs definitionibus nemò intelligere poterit, quid verè officium sit, & quonam pacto quis agens suo officio functus esse dicatur. Præterquam quod in opere, quo ab ipso traduntur officia, & definitiones nulli prorsus vsui sint: cum tamen, si artificiose ea doctrina tradenda fuerat, vniuersam ab ijs definitionum principijs deduci, & tamquam a fontibus fluere oportuisset, sed de his aliàs. Officium autem non in agendo solum, verum etiã in rectè appetendo, & magis etiã in cognoscendo consistit; & ideo ijs, qui male egerint, obijci solet, quod eorum officium erat prius diligenter considerasse, quid assequi possent. Totum enim fere in diligenti cognitione, rerumq. agendarum consideratione videtur esse repositum. Præcepta autem cognoscendi singula bona omnibus modis, suis locis à nobis traduntur. Hoc enim differunt prudentes ab ijs, qui temere ab obiectis ipsis afficiuntur, & infantibus similes sunt, qui flammam atrectare cupiunt splendore decepti.

De officio
lib. 1.

QVOD IN VNIVERSVM COGNITIONEM

appetitio, hanc verò actio sequatur. Cap. VII.



VBITANDVM autem videtur, num semper cognitionem appetitus sequatur, nam multi, qui mala cognoscunt, deponere tamen eorum appetitionem nequeunt. Vt qui mulierem perditæ amat, quam intelligit sibi dispendio, ac dedecori esse, forsitan etiam deformem. Accedit quòd in cognitione non ita firmus sit habitus, vt in appetitu. Nam si vel centies opinati simus falsum quiddam verum esse, non tamen ei opinioni tam pertinaciter hæremus, quin eam dimittamus.

dimittamus, si quando id, quod est, offeratur, & doceamur verum esse. Id quod in appetitu non videtur accidere: nam quod diu appetuimus, quamuis maxime perspicimus bonum non esse, appetere tamen non desinimus; & vix fieri posse videtur, ut, habitu appetendi contracto, desistere liceat. Præterea eadem permanente boni alicuius cognitione, appetitus processu temporis paulatim augetur, nec idem, qui fuit ab initio, manet. Postremò videmur earum rerum desiderio tangi, quas cognoscimus non modò bonas non esse, sed necesse omnino, ut defuncti filij, vel amici. Contra tamen sentiunt Plato, Aristoteles, & reliqui fere Philosophi, affirmantes cognitionem appetitui semper antecedere, & qualis cognitio sit, talem consequi appetitum; & rem ipsam penitus introsipientibus manifeste apparebit, aliter fieri nullo modo posse. Idem enim animus cognoscit, & appetit: sed quæ respicit bonum, aut malum, affirmando, aut negando cognoscere dicitur: quæ verò secundum cognitionem prosequitur, aut fugit, dicitur appetere, vel auersari. Et ut in parte cognoscitiua ex pluribus particularibus cognitis fit vniuersale, quod omne huiusmodi sit bonum, & prosequendum; ita in parte appetitiua, ex pluribus particularibus appetitionibus fit habitus illud appetendi. Nam capiens quis voluptatem ex aliqua operatione, ea impulsus alias appetit, & sic fit vniuersale in parte cognoscitiua, quæ fatetur se ipsa experientia cognouisse id obiectum bonum esse, & ex eo voluptatem percipi, quod asserere non potest ex alijs operationibus. Sic etiam fit habitus in parte appetitiua: ita ut re non differant, vniuersale in parte cognoscitiua, & habitus in appetitiua. Et ut quolibet particulari oblato, quod sub illo vniuersali contineatur, non possumus non cognoscere; ita eodè ut bono proposito, non appetere. Nec obstat quod Aristoteles dicit incontinentes, qui vniuersale habent, tamen peccare; nam respondemus, quod illud vniuersale non erit ab illis per inductionem, & ex pluribus particularibus propria experientia cognitum; sed vel ratiocinatione aliqua, vel auditu acceptum: si enim vniuersale inductione quæsitum esset, iam ille esset prudens; & non erraret. Quod fortasse intelligebat Socrates, cum dicebat, non errare eos, qui scirent, sed qui opinarentur: & ita eos, qui habent vniuersale, inter scientes numerabat; & qui non fallerentur; eos verò, qui fallerentur, inter opinantes. Ut igitur difficile est eos, qui circa vniuersalia, vel circa principia decipiuntur, refellere, propterea quòd suas positiones, tamquam veras, & optime cognitæ pertinacissime defendunt, ut apparet in ijs, qui sunt diuersis addicti sectis; ita difficile est eos, qui habitum malum contraxerunt, a deo immutare, ut recte appetant. Ut autem ijs, qui nondum confecerunt vniuersale, in diuersam sententiam perducere possunt; ita ijs, qui nondum habitum perfecerunt, in diuersas pertrahi possunt appetitiones. Et ut qui aliquod vniuersale falsò ex particularibus collegere, non possent de sua opinione aliò communiori vniuersali deduci; ut qui omnem aquam frigidam esse collegisset, dicenti, omnia liquida esse calida, non assentiretur, sed ei oporteret ostendere aliquam particularem aquam, velut balnei calidam, vnde illud vniuersale falsum esse perciperet. Ita is, qui habitum contraxit, puta mæchandi, non poterit ab eo habitu diuelli, neque ab opinione, quòd illud bonum sit, alio principio, puta quod nemini nocendum, vel suum cuique tribuendum: sed necesse erit ostendere ex particularibus quibusdam operationibus, videlicet temperantiæ, maiorem voluptatem sequi. Ex dictis apparet ea omnia præcepta, quæ cognoscitiuæ potestati accommodantur, appetitiuæ etiam accommodari, præterquam fortasse in quorundam obiectorum præsentia, eorum præsertim, quæ concupiscibilem, aut irascibilem potestatem maxime mouent. In ijs enim obiectis, ut plurimum, minus periculi est, quæ rationalem potestatem dumtaxat afficiunt:

nam

Ethic. lib. 7
cap. 3.

nam verisimile est plerisque minus peccaturos, apud quos pecunia, aut aliud huiusmodi; quam si mulier forma præstans deponeretur. Eodem modo dicendum est de actione respectu appetitionis, quo de appetitione respectu cognitionis: nam præsentia obiectorum actionem etiam ipsam aliquando impedit, quò minus appetitum sequatur. Præcepta igitur fere omnia, aut certè plurima; circa cognitionem erunt occupata. Verum ij, qui ciuilem facultatem profiteri cupiunt, & bonorum virorum appellacionem exoptant, non in ipsis tantummodo præceptis immorari debent, sed etiam rectis appetitionibus, atque actionibus honestis, ac moderatis assidue exerceri: sic enim fiet, vt in iurisprudentia, & medica facultate, cæterisque artibus videmus, vti quis non theoreticam tantum, sed practicam quoque ipsam calleat, cum ad operationem probe absoluendam vtraque sit necessaria: si tamen altera carendum sit, præstabit practicam tenere, quam theoreticam; vtilior est enim, & ad agendum accommodatior. Nam vt Empiricus plures, quam theoreticus sanat, ita & appetituum, actionumque vsus (quippe cum ex eo fiat habitus) magis actiones ipsas rectas; moderatasq. obire coget. Quamuis autem omnis actio tam bona, quam mala à cognitione, tamquam proprio principio pendeat; non tamen laus, aut culpa omnis in cognitionem refertur: sed appetitus quoque, ac potestates laudari, aut carpi solent. Quod in ijs apparet, qui ob exigua quædam mala valde consternantur, aut ob leuia quædam bona lætitiâ gestiunt, & exultant. Nam eos non solum culpamus, quòd circa cognitionem decepti sint, verum etiam irridemus, quòd nimiam voluptatem, aut dolorem perceperint, vnde minus oportuisset. Perspicuum igitur est, appetitus omnes cognitionem sequi, & firmam de obiectis opinionem: quamobrem non omnino male sensere Stoici, qui appetitus definiunt opiniones esse dixerunt, nosque nulla alia de causa errare voluere, quam quòd opinionibus deciperemur. Errabant tamen, dum appetitus cum opinionibus confundebant, cum sint re ipsa omnino distincti: licet, quoad præcepta, modo recte sensissent, aut nullus exinde consequi error potuisset, aut perexiguus. Errabant etiam existimantes sapientem carere opinionibus, & scire omnia oportere, cum Socrate hac in re sentientes, qui virtutes scientias esse putabat.

Ethic. lib. 6
cap. ult. &
magn. moral. lib. 1. c. 1

OBIECTVM LEVE PRÆSENS, CVR

interdum magis moueat, quam futurum

Cap. VIII.

IN vniuersum igitur qualis est ipsa cognitio, talis etiam appetitus esse videtur. In particularibus verò nonnumquam accidit, vt aliquo obiecto proposito, quod leuem in præsentia voluptatem afferre possit, in posterum autem grauem dolorem; licet vtrumque cognoscamus, nihilominus illud appetimus, atque prosequimur. Quòd an propterea fieri dicendum est, quia appetitus præsentis boni cognitionem sequatur, malum verò futurum aut non credat venturum esse, aut leuius fore existimet? An, quia magis trahit appetitus, quam distrahat auersatio; cum bonum præsens, ac propinquum sit, & idcirco magis inuitet, atq. alliciat; malum autem futurum, ac remotum, & ideo minus excitet potestates? An, licet malum maius videatur, quam illa voluptas, nihilominus præsentia, & certitudo exiguæ illi voluptati addita, facit, vt longe maior videatur, quam dolor futurus, quamuis maximus, cum incertus sit, & à potestatibus ipsis remotus? An, in prosecutione præsentis voluptatis plures potestates, aut sensus concurrunt, quam in auersatione futuri doloris? Idem quo-

Ethic. lib. 7
c. 3. & mag.
mor. l. b. 2.
cap. 6.

quoque dicendum, cum obiectum ob exiguum præsentem dolorem auersamur; licet magna inde voluptas esset infecutura. Itaque si quis hoc principium retineat, quod obiecta præsentia, quamuis leuiora, magis tamen moueant, quam futura, quæ grauiora sint, non cogetur (quod Aristoteles de incontinente opinatur) dicere eum principij oblitum esse. Nam quemadmodum elementa (ut philosophi naturales affirmant) eò celerius mouentur, quò proprijs locis, ac perfectionibus fuerint propinquiora; ita & potestates animæ nostræ, quò suæ perfectioni, vel perfectiuis obiectis propius admouentur, eò vehementius rapiuntur. Quamobrem sapienter præcipiunt, qui obiectorum præsentiam, & occasionem magnopere fugiendam esse pronunciant. Vnde fit, vt cum aliquem voluptate frui, ac perfici conspiciamus, vehementius etiam excitemur, quam ex sola obiecti præsentia; quippe qui ipsam perfectionis imaginem certius inueamur, quam ex solo obiecto. Quod in brutis magis perspicuum est: vehementissime enim incitantur, cum aliquod animal eiusdem speciei, ventri, aut veneri dare operam cernunt. De dolore idem dicendum est: nam cum aliquem prope nos graue quidpiam pati, aut perire videmus, longe magis expauescimus, atque auersamur.

COGNITIONE VNA EXISTENTE, CVR AB EA
diuersa appetitiones proueniant. Cap. IX.



OC autem loco videtur soluenda quædam de animæ potestatibus dubitatio, quæ scilicet ratione fiat, vt cum actio ab appetitu procedat, appetitus autem à cognitione, cognitio verò vna sit, plures tamen ab ea proueniant appetitiones, quarum alia prosequi velit, alia fugere. Videretur enim ab vnica cognitione, quòd res prosequenda sit, vel fugienda, oriri debere vnica appetitus, & actio vna, pro vnus finis adeptione. Quapropter Socrates, quia vnica esse cognitionem putabat, omnes scientes bonos esse dicebat, & virtutes scientias quasdam esse, & eum, qui sciret, falli non posse: erroris autem esse causam, quod aliquando haud sciamus, sed opinemur. Fortasse enim intelligere voluit incontinentes in eorum numero non esse, qui scirent, hoc est, vniuersale haberent (vt ante diximus) ex inductione, & particularibus collectum; sed in numero opinantium, hoc est, eorum, qui haberent quidem vniuersale, non tamen collectum ex particularibus, sed auditu, vel aliqua ratiocinatione acceptum; non tamen in ea actione illam sequerentur opinionem, sed aut obliuiscerentur, aut recordarentur, vt ebrius. Itaque eadem fere credebatur, quæ Aristoteles, à quo tamen reprehenditur, quia idem est, moueri nos scientia, atque opinione: nam opinio, quæ præualet, non secus mouet, atque scientia. Dicit autem eos, qui in vniuersali cognoscunt, aut oblitos esse principij, aut ignorare particulare id sub vniuersali contineri, & nescire accommodare. Ita vt omnes sustineant ab vna cognitione non posse oriri, nisi vnum appetitum: nam si cui furari malum videbitur, eorum sententia aut non furabitur, aut id particulare non agnoscet furtum esse; & ita in omnibus, quod semel tamquam bonum, aut malum cognitum erit, ad prosequendum, vel fugiendum impellet. Atque hinc existimat Aristoteles, iram rationis imperium non expectare, sed quasi ipsa mandauerit, & simpliciter bonum sit id, quod est agendum, illud prosequi. Idemque fere de concupiscibili affirmat, eos dicens, qui in actu venereo sunt, vti ratione non posse. Idcirco principio non vtuntur, sed sunt tamquam ebrij. Nos autem Aristotelis opinionem reprobendam ducimus, cum multos videamus, ipsum vniuersale probe cognoscere, nec particulare, quod sub eo est, ignorare, tamen labi. Vt cum furatur quis, furtum ipsum singulare

Ethic. lib. 7
cap. 6.

Ethic. lib. 7
cap. 3.

gulare cognoscit, & ipsam furari malum putat, nihilominus prosequitur. Non hic loquimur de fure, qui contraxit habitum; sed de eo, qui vehementius aliquid experit, quod sine furto assequi nequit; prout etiam existimabit quis sue religionis, sue valetudinis causa bonum esse ieiunio, & inedia, uti, cum tamen hoc vniuersale caller, nihilominus non abstinere, & idem in reliquis. Dicunt enim se gula attractos, vel ira percitos, aliaque huiusmodi. Aristoteles igitur non minus experientie repugnare videtur, quam Socrates, quem tamen ideo inculcat, quod aduersus experientiam dicere videretur. Itaque nos, cum perspicimus singulas potestates proprijs, sibi que ac-

1^o comodatis obiectis seorsum a reliquis moueri, arbitramur, singulas suis etiam cognitionibus duci. Ita vt vnica propositione, qua affirmetur aliquid obiectum bonum esse, non omnes excitentur; sed ea tantum, cuius id obiectum proprium est, ac perfectiuum. Cum enim videamus cuncta animalia ratione carentia, sua obiecta cognoscere, in ijsque appetitus insurgere: idem quoque in homine iudicandum censemus. Et quemadmodum videmus ex ijs quaedam, quae sensus acutiores habent, eminus ea prospicere, quae bona sunt, aut noxia: vt aquila visu, canis odoratu leporem sentit; eodem pacto de homine existimamus, qui rationem habet, quasi quemdam acutiorem sensum, quo futura, & remotiora cernere possit. Hoc autem nemini mirum videri debet:

2^o nam vt oculus colores tantummodo sentit, auris sonum, reliquique sensus determinata percipiunt, propriaque obiecta, non aliena; ita & de ipsis potestatibus existimare par est; singulas scilicet propria obiecta experere, ad eaque moueri. Ac profecto dum contendunt inter se potestates, palam faciunt, aliam aliud obiectum appetere; quique huiusmodi in se ipso pugnam non sentit, vix homo dicendus videtur. Vnde illud D. Pauli: Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Praeterea cum concupiscibilis eadem sit in brutis, atque in nobis (vt de vegetatiua sentit Aristoteles) in ijs autem nullam rationem agnoscat; dicendum est, nec etiam in

Ethic. lib. 1. c. vii.

homine agnoscere posse, atque itidem irascibilem. Nam cum animalia quaedam sint, quae irascibili potestate carent; concupiscibili autem sint praedita; videtur altera ab altera separari, ita vt nulla sit potestas, quae alterius cognoscat obiectum, praeter rationem, quae non suum modo bonum cognoscit, & appetit, verum etiam reliquarum potestatum bona. Cum igitur aliquid offertur obiectum concupiscibilis, aut irascibilis proprium, ratio quoque ipsum percipit, ac si vere sit bonum, eo ipsas frui permittit; si vero bonum non sit, hanc vim habet, vt id sub diuersis speciebus eisdem potestatibus offerat. Ita vt ipsaemet, quae antea cupiebant tamquam sibi ipsis bonum, postea tamquam malum repudient. Vt si quis vlciscendi animo aduersus laedentem moueretur, ratio autem dicitaret, illum ea vltione laesurum amicos, vel gaudium hostibus allaturum, abstineret ab eo motu.

4^o Idemque de concupiscibili. Itaque concedimus, eo modo interdum peccare homines, quem affert Aristoteles: nimirum aut vniuersalis oblitos, aut ad illud non redigentes particulare. Tunc autem se expurgant, quod vel oblitos sint, vel non animaduertent, vel etiam, quod non agnouerint particulare eiusmodi esse, quod sub eo vniuersali comprehenderetur. At vbi eo modo, quem nos proposuimus, errant, non dicunt, se nescientes peccasse, vel non aduertentes, sed scientes singula, quae ad motum exiguntur, tamen errasse vel ira percitos, vel concupiscentia; & obiecti praestantiam, & perfectionem accusant: vt mulieris eximiam formam, aut iniuriam non ferendam, aut opportunitatem, aut ipsam cupiditatem; & dicere solent: Coegisset peccare Sanctos. Et: Cibum, ex quo vel mortui gustassent, aliaque huiusmodi. Ex dictis patet, quod licet cognitio vna videatur, sua tamen

F singulis


singulis potestatibus obiectio non sit, si eadem res eodem tempore vni bonum, alteri malum, alteri vero fortasse videatur, indifferens & diuerso tamen respectu; licet vbi diuersorum obiectorum rationem subeat. Vt aliena vxore frui; concupiscibili bonum videbitur, rationi malum, irascibili forte indifferens eodem tempore videri poterit: nisi igitur quis obiecta, bona quæ cognouerit, non simpliciter (neque enim, vt dictum est, quidquam huiusmodi reperitur ex his, quæ nos voluptatis sunt allatura) sed quatenus ad singulas potestates referuntur, non poterit ea expendere; ac perspicere quodnam melius sit; atque ponderare singulas potestatis cuiuslibet actiones. Opus est etiam, vt cognoscat obiectorum excellentiam, vnius potestatis præ-¹⁰ aia, vt scire possit; quibuscumque eodem tempore obiectis propositis, quodnam potissimum sit prosequendum. Et vnico proposito, num sequendum sit, an fugiendum. Et denique vt harmonia constituarur, de qua superius locuti sumus.

DE POTESTATUM MINISTRIBUS
se ordine, & connexionē. Cap. X.

Homo vnica tantum animæ potestate sua natura præditus efficitur, vnans tantum, simplicemque voluptatem ad suam perfectionem exaceret, & ad eius assentionem vnico tantum motu indigeret; eodemque pacto errores circa vnum finem, vnumque motum tantum modo orirentur. Verum cum plures potestates sint; plures necesse est voluptatum species esse, & ad eas adiepicendas plures motus, multiplicisque errores contingere. Diximus autem cas quinque esse; vegetatiuam scilicet, sensitiuam, ac rationalem; & hæc tria omnium ministras, irascibilem, ac motricem. Inter hæc igitur humana animæ potestates eum Stoicis ordinem statuere, vbi sola rationalis bona esset, reliquæ non bonæ; eamque quasi tyrannidem quandam exercentem cæteris imperare, quas veluti seruas esse, nec vnquam per se ipsas recte operari; nisi cum ab illa infingeretur. Cumque omnes affectus, atque appetitus irrationalis partis stirpitus eradicanos assuerent; videntur omnem penitus irrationalem potestatem è medio tollere velle: quippe quæ non inutilis modo ab ipsis existimetur, verum etiam perniciofa. Quod si eadem illis fuissent formandi hominis vires, quæ docendi; fortasse præstantius animal eorum artificio esset homo, quàm naturæ opera: nam quasi de cælestium intelligentiarum numero, ratione tantummodo vteretur, nec alia indigeret, mouereturque potestate. Verum cum ita natura constitutus sit, vt pluribus potestatibus constet, præcipere, ne ijs omnibus moueatur, perinde est, ac si quis docere velit animal; ne sitiatur, ne esuriatur, aut lapidem, ne descendat. Quod si cum Platone, & Aristotele affirmarent, irascibilem, ac concupiscibilem potestatem ita à rationali instrui, subigique posse, vt non magis mouerentur, quàm pro obiecto; ferendi essent: at cum eas deletere potestates contendant, non inutilia modo præcepta tradunt, verum etiam irritanda. Contra Epicurei, cum rationem cæteris potestatibus inferuire velint, eam reliquarum ministras statuunt, videntur quasi directe illis aduersari. Quapropter non mirum est, si eorum placita tanto omnium consensu recepta fuerint, quæ Stoicorum opinionum maxime vigenti repugnarent; & quàm illa seueras, horridaque; tam hæc lenia essent, ac mitia. Itaque Stoici irrationalem partem rationalis seruam statuunt; hæc illi (vt diximus) tamquam tyrannum præficientes. Epicurei verò rationalem seruite irrationali malunt, quasi populatam quendam statum inter potestates; infimum videlicet, ac deterrimum

terrimum constituentes. Plato autem, & Aristoteles mediam quamdam
 viam ingressi, rationalem potestatem reliquarum quasi reginam constituerunt,
 dum eam directricem illarum, ac præptricem statuunt: idem enim videtur:
 nam tam præceptor, quam rex, ad populi, ac discipulorum vtilitatem cum au-
 thoritate præficiuntur. Nos autem cum Hippocrate, atque Galeno non secus
 se habere in anima nostra potestates existimamus, ac in optimatum republica
 Magistratus eum ratio reliquis sit veluti Senatus præposita; & si quid ab alijs,
 quasi humilioribus quibusdam Magistratibus peccetur, ipsa corrigit, atque
 emendat: si verò recte agant, sua vti auctoritate permittit; & præcauet, ne quid
 illis esse possit impedimento: atque interim ipsa suas operationes longe cæteris
 digniores exercere non desinit; ita tamen, vt reliquas non impediatur. Nam
 dum aliqua operatur, hæud semper aliæ eodem articulo temporis operari posse
 videntur, licet sint perfectiores, præter vnã vegetatiuam, quæ numquam
 cessat, eiusque defectus à ratione corrigi nequeunt; idcirco Aristoteles eam Ethic. lib. 1
cap. vlt.
 reliquit. Tum verò plures potestates cooperantur, cum vnum obiectum deser-
 tit omnibus. Diuersitas autem opinionum circa animæ potestates non minus,
 quam finium varietas, præter cætera causa est, vt diuersa sint etiam philoso-
 phantium sectæ, & varia viuendi præcepta tradantur. Cum igitur nostra opi-
 nio à Platonis, atque Aristotelis opinione parum recedat, parum etiam erunt
 nostra præcepta ab eorum præceptis, principiisque diuersa: plurima tamen
 trademus, quæ ab ijs nevtiquam cogitata fuere, quæ in communi vsu vitæ ver-
 santur, & ab omnibus maxime necessaria esse censentur. Atqui quemadmo-
 dum in republica ex diuersis Magistratibus concordibus, sit vnum quasi corpus,
 quod regimen dicitur, vel ipsa respublica; ita ex eunctis appetitibus in vnum
 quasi conflatis, & conspirantibus sit quidam quasi concentus, & harmonia,
 quæ ex habitudine, & nexu, respectuque oritur, quem alter habet ad alterum,
 perinde atque in musica mistio ex acuto, & graui, quæ est vnio quædam, cum
 ex diuersis vnum quodammodo constat recte se habens. Et vt hæc aures de-
 mulcet, & auditum perficit, ita illa totum componit, ac perficit hominem, ea-
 que est perfecta virtus, & probitas ipsa. Hanc autem harmoniam nos pro viri-
 bus quæremus conficere, & eò præcepta dirigemus, vt huiusmodi reddantur
 homines, vti suis vtantur potestatibus, ne altera impediatur alteram, quæ vera
 est animi tranquillitas, & constitutio ad bene, beateque viuendum. Eaque
 erit vita cum recta ratione: nam aut ipsa ratio ciuili facultate instructa opera-
 bitur, reliquis potestatibus non impediens; aut reliquæ potestates secun-
 dum naturam operabuntur, ratione ipsa non repugnante, sed consentiente.
 Non tamen omnia, ea dictante, fient, sed sufficiet, in multis non reclamare.

40 QVIBVS MODIS POTESTATES
 inter se pugnent. Cap. XI.



VM igitur ad hominis perfectionem exigatur, vt cunctæ illius
 potestates conueniant, nec alia aliam impediatur; cumque videamus
 plerumque illas sibi inuicem aduersari; videtur opportunum esse,
 prius recensere, quibus inter se modis pugnent, & à recto
 aberrant, vt cognitis erroribus, ac remotis, eas componere,
 & concordare possimus. Percurremus autem non omnes potestates,
 nimis enim opætosum esset, & longior, ac infuauior tractatio fieret; sed præcipuas dum-
 taxat illas, nimirum rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, dimissis in præsen-
 tia motrice, ac vegetatiua, à quibus lōge minus peccatur, & multo facilius, quam

in cæteris corriguntur errores; neque tamen à nobis earum negligetur cura, sed in commodiorem locum rejicietur. Combinandæ igitur, ac complicandæ sunt inter se potestates illæ, ut quot modis dissident, certantque inuicem, cognoscamus, Cum verò tres sint, si singulæ singulis, & simul binis opponantur; duodecim oppositionum modi fient, ex quibus sex, qui cum alijs coincidunt, sunt rejiciendi. De reliquis ordine dicendum videtur. Prima species erit, si ratio concupiscibili aduersetur; altera, si irascibili; tertia, si utriusque; quarta, si concupiscibilis rationali simul, & irascibili; quinta, si irascibili tantum; postrema, si irascibilis concupiscibili simul, & rationali. Reliquæ sex species, quæ ex combinatione emergunt, cum ratione, non re differant, dimittantur. Cum verò in singulis speciebus inter potestates sit certamen, siue singulæ aduersetur singulis, siue binis; necessariò fit, ut altera pars vel vincat, vel succumbat, vel ambigatur. Tunc autem animus æque utrimque distrahitur, ut cum in dexteram quis, ac sinistram æquis viribus rapitur. Et ut in externis ea vis, quæ validius trahit, corpus mouet, ita in anima ea potestas, quæ vehementius impellit, ipsum mouet animal. Verùm cum omnes potestatum pugna inter se triplicem finem sortiri possint; fiet, ut qualibet specie tripliciter variata, duodeviginti vniuersæ reddantur: si ratio concupiscibili potestati aduersetur, ac superet, fiet prima species. Ut si quis amicam pro patriæ libertate hostibus tradat, quod Paris noluit. Si superetur, erit secunda species. Ut si quis hosti pro amica patriam prodat, quod Nisa Minoi. Si ambigatur, ut si quis nesciat, utrum cesset, an operetur. Reliquæ species eodem modo apponendæ sunt, & exemplis illustrandæ. Explicatæ sunt à nobis omnes potestatum inter se concertationes, in quibus quidem non semper peccatur; nunquam tamen probe dispositus est homo, secundum perfectionem illam, & harmoniam, de qua locuti sumus, donec inter potestates huiusmodi diffidia vigent; nam in ijs semper aliqua potestas peccat, & aliquando vna, aliquando verò duæ, aliquando etiam simul omnes. Quamobrem dicendum est, cur ipsæ potestates, quatenus potestates sunt, in errores labantur: hinc enim facile intelligetur, quo pacto inuicem complicatæ aberrare possint, siue pugnent, siue conspirent: nam etiam omnes conuenire ad aliquod malum prosequendum possunt. Qui lapsus & rarissimus est, & nemini, quamlibet malo, in tota vita sæpius contingit, & (ut ait Aristoteles) vitioso tantum, qui tamen eius sententia non sibi constat. Cum autem conspirent omnes ad malum, contraria sit dispositio ei perfectioni, & harmoniæ, de qua paulò ante locuti sumus, quæ non nisi ad bonum est, nec resultat, nisi cum eius potestatibus probe dispositis. Quoniam igitur homo cognitione ducitur ad bonum appetendum, in ea verò decipi potest, existimans vere bonum esse, quod non est, aut non esse, quod est; fit, ut appetens aliquando recte appetat, aliquando minus: qui error etiam circa quantitatem, locum, tempus, & huiusmodi accidere potest. Is igitur recte potestatibus ducitur, qui ea appetit, quæ oportet, & quando; ita ut, si illum sequatur appetitum, voluptatem commode capiat, aut dolorem declinet. Causæ autem, cur non recte quis appetat, plures sunt: nam aut ipse appetens, quoad corpus, aut animum, male comparatus est, & ita ægrotans appetet ea; quæ iniuicenda sunt; vitiosus verò, quæ turpia; ignarus autem, aliaue animi peruersa constitutione affectus, temere appetet. Aut ipsum obiectum fugatum est, vel eius vires reconditæ, ita ut appetens, quamuis probe dispositus, falli tamen facile possit: uti si quis beneficia conferre cupiat in eum, quem probum existimet, cum non sit, aut si animum non adhibuerit; aut quoad quantitatem, locum, ac tempus, deceptus fuerit; quæ diligenter consideranda, & fusius enarranda sunt. Huiusmodi autem errores in appetente contingunt, quatenus vnico tantum appetitu, & vna potestate ferrur. Verùm cum inter potestates pugna oritur, tum species illæ proportionem respondent, continentiam, incontinentiam,

tia, constantia, mollitiei, & reliquis illis dispositionibus, quas Aristoteles affert. At cum non pugnant, aut unisonæ sunt, & altera alterius sonum edit, non proprium. Ut cum deberent quasi quidam citharæ nerui earum uoces, interuallo diatessaron, uel diapente inuicem distare, si eundem cunctæ reddunt sonum, pro concentu, atque harmonia unica tantum uox exauditur. Idem euenit, cum potestates non proprias obeunt functiones; sed altera alteri se regendam permittit: ut cum uel irascibilis concupiscibili, aut hæc illi, alterutri ratio non refragatur. Vnde homines stupidi, uel insensati uocantur, alijsue nominibus, quibus significetur; aliquam in ijs potestatem esse sopitam. Atque hinc plura uitiorum nascuntur genera, ut intemperantia, iracundia, audacia, timiditas, & huiusmodi alia. Fieri etiam potest, ut aliqua potestates unam sequantur recte secundum se operantem, & tunc unisonæ quidem (ut dixi) sunt illi, non tamen fit harmonia, & illæ peccant. Ut cum cibo tantum quis, ac potui studeat, concupiscibilis recte operatur, si prospera uelletudo, bonaque corporis habitudo seruetur; reliquæ uero tunc male operantur, cum ad propria munera non excitentur. Aut non unisonæ sunt potestates, sed singulæ propria exercent officia, non tamen recte, ut cum quis machatur, iniuria laceffit, ac prodit. Tunc autem non fit ea, quam querimus, harmonia, quæ tunc demum existet, cum singulæ proprias operationes recte exercent, nec altera impedit alteram, nec ulla, cum agendi tempus se offeret, otia bitur. Sic enim fiet, ut ad unum finem, scilicet ueram, honestamque uoluptatem tendentes, cunctæ, ut par est, perficiantur; & unà ipse homo, pro suo captu, & iuxta rerum externarum, & fortunæ commoditatem, quæ uera, & sola potestatum harmonia est, quam inquirimus. His ita determinatis, commodum esse uidebitur, ut de singulis potestatibus agamus, qualis unaquæque sit, & quæ propria cuiusque operatio esse debeat, & quasi sonus ad hanc harmoniam conficiendam, & quo pacto perfici possit: & de obiectis proportionatis, & unicuique accommodatis, eorumque uiribus; ut ijs omnibus explicatis, facilius intelligi possit, cuiusmodi futuræ sint actiones, & à nobis commodius præcepta tradantur.

FINIS LIBRI TERTII.





AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Quartus.



DE VEGETATIVA POTESTATE,
eiusque obiectis. Caput I.



VEGETATIVA potestas principium est, quo nutrimur, augemur, & nobis simile progreamus (ut ante dictum est) eodemque pacto reliqua omnia, quibus inest. Hæc autem tria in vnum ab omnibus coniunguntur, quod videantur separari non posse. Nullum enim corpus reperitur, in quo vnum sit absque reliquis. Nam non animalia modo, sed & plantæ omnes eisdem præditæ sunt, præterquam si qua animalia, vel plantæ ex putri materia generentur, nec generent sibi simile, quod examinare ad aliam spectat facultatem. Hoc autem haud ab re factum videtur, nam auctio principium non est à nutritione re ipsa, sed tantum quantitate diuersum. Cum enim ab initio non possent animantium corpora ita aucta produci, ut eorum perfectio postulabat; necessarium fuit inesse illis principium, quo auferentur: quod tamen diuersum à nutritione non est, nisi quatenus ea deperditum tantum instaurat; auctio verò aliquid apponit amplius. Et ut hæc in indiuiduo conferuant, ac perficiunt; ita generandi principium conferuat in specie. Itaque in simplicibus animantibus, si perficienda erant, & aliquādiu in indiuiduo, deinde in specie conferuanda; pauciora principia reperiri non poterant. Ut igitur nutriamur, atque augeamur, eisdem omnino indigemus videlicet nutrimentis: ut autem generemus nobis simile, semine prius opus est, quod iisdem nutrimentis paratur: præterea coniunctione maris, ac feminae. In plantis enim aut vtraque natura inest, aut potius terra, cui mandantur semina, feminae rationem habet. Opus igitur est, ut in vniuersum dicatur, ad hanc potestatem explendam nutrimentis, & femina. Cum verò iisdem nutriamur, quibus natura constat; constemus autem quatuor elementis, uel (ut Aristoteles censet) eorum viribus, quæ ab innato calore absumentur; cibo terrea pars restituitur, potu aquea, eisdemque, & aeris inspiratione, arteriarumque attractione, aerea.

De par. ani
mal. lib. 3.
in princ.

Ac

At ignea vis, cum excedat, & reliqua absumendo quodammodo vertat in suam naturam, nulla egere instauratione videtur; sed potius in causa esse, cur cæteris indigeamus. Vt igitur vegetatiua potestas expleatur, aere opus est, cibo, potuque, ac femina. Cum autem ager cibum præstet, ac potum, domus verò temperatum aerem, recte ab Hesiodo dictum videtur, ad vitam tuendam requiri, *Domum in primis, mulieremq. & bovem aratorem*. Bona autem sunt instrumenta, quæ huic deseruiunt potestati, vt lingua probe disposita, ventriculus, hepar, venæ, aliaq. membra, & omnino commoda primarum qualitatum constitutio, quarum beneficio hæc omnis potestas constat, suasque exercet operationes. Quoniam verò (vt Aristoteles asserit) *omnis ars, & disciplina implere vult id, quod deest natura*, ad instaurantia, quæ diximus, comparanda, plures excogitatæ sunt artes, quarum quædam immediate, quædam mediate inseruiunt. Mediate quidem, vt agricultura, pecuaria, venatoria, aucupium, piscatoria. Aliæ magis ad immediatas accedunt: vt eæ, quas exercent lanij, factores, molitores, atque huiusmodi. Immediate verò, vt pistores, coqui, & ex agricolis quidam, vt vinitores, ac fructuarij: nam institores, & qui solummodo vendunt, ne inter artifices quidem numeramus. Hæ autem cibo, potuiq. tantum inseruiunt. Ad domus verò extruccionem ædificatores, fornacarij, lignarij, ac ferrarij fabri. Verùm cum domus ad frigus, æstumuè expellendum non sufficiat, sed vestes quoque sint necessariæ, earum complures habentur artifices, de quibus dicemus, cum de sensitius potestate sermo erit, ad quam magis spectare videtur æstus, ac frigoris propulsatio. Ex nutrimentis autem, quæ ijs artibus comparantur, vel præparantur (cum nutritio sit instauratio deperditi) ea, quæ naturæ deperditi, vel instaurandi propius accedunt, vel augere commodius possunt, huius potestatis in animalibus potiora obiecta censienda sunt; præcipue, si non difficilia sint concoctu, & facile per venas penetrare possint, & alias quædam nacta sint qualitates, quæ recensentur à medicis. Cum verò hæc potestas, quoad nutrimenta, videatur quodammodo in gustus tutela reposita esse, in ijs præsertim, in quibus odoratus non valde viget, cum brata sit, & cognitione careat, ac proinde non verè appetat; sit, vt motrice potestate per se non vtatur, sed ea assequatur gustus beneficio, quæ sibi sunt accommodata. Idcirco gustus, modò sanus, & probe affectus, optimus eorum est iudex, quæ huic potestati conueniant; licet reliqui sensus non parum conferre possint, ratio verò plurimum. Qui autem vsu, & experientia carent, eorum, quæ ad gustum, ac nutritionem pertinent, eos consulant artifices, qui circa huiusmodi versantur, potissimum qui immediate, vel qui experti sunt, & lautius viuere consueuere. Cum autem pretium sit commune iudicium, & æstimatio, qua homines iudicant quanti res quæq. sit facienda, quàmq. bona; quicumque alieno consilio destituitur, pretium ipsum spectet, modò par cuiusque rei sit copia, nec deliciæ affluant. Hæc autem incunctis potestatibus sunt intelligenda. Externa etiam requiruntur, vt vasa, cultri, mensæ, atque huiusmodi, quibus fabrefaciendis plures quoque artifices sunt necessarij. Vt aurifices, vitrarij, figuli, cultrarij, alijq. non pauci. Tempus autem, cum fame, sitiue excitamur. Ex opposito sunt huius potestatis mala, vt venena omnia; quippe quæ naturam corrumpere apta sint. Nutrimenta itidem, quæcumque deperditum parum instaurant, quæque difficillima concoctu, & putredini, corruptionique sunt apta. Et vt ibi boni sunt artifices, qui bona præparant, de quibus diximus; ita hic, qui mala expellunt, ut ij, qui uenena exprimunt, curantque; & medici, quique mediate deseruiunt, ut herbarij, seplasiarij, atque huiusmodi. Verùm cum ad concoctionem caloris retractione egeamus, qui in uigilia per uniuersas corporis partes dispergitur, & in ipsis sensuum, reliquarumque actionum muneribus consumitur; idcirco somnus (licet sit primi sensorij passio) uel simpliciter, uel potissimum

Polit. lib. 7
c. 17. in fin.

simum, videtur ad hanc potestatem pertinere; & ut commode quiescamus, lecti sunt excogitati, quorum usus veneris quoque est accommodatus. Quemadmodum autem gustus huic potestati, quoad nutrimenta, opitulatur; ita tactus, quoad venerea: quamvis non vnica sit hæc eius functio, sed & aliarum plurimarum. Hæc verò potestas tum maxime viget, cum viget animal, videlicet in iuuentutis flore, & cum prospera valetudine, & nutrimentis optimis vitur. Vt autem venena, quoad nutritionem, ei aduersantur, ita veneris abusus, quoad generationem.

DE MOTRICE POTESTATE, ET EIVS

obiectis. Cap. II.

10



VERVM cum summo rerum opifici visum sit animalia condere, non vt plantas, terræ affixa, sed ab obiectis illis seiuncta, vnde suam perfectionem assequi possunt; addidit ijs appetitus (vt ante dictum est) quibus ad ea prosequenda excitarentur: cum autem ijs, nisi quæ appeterent, acquiri possent, animal imperfectius potius redderent, quàm si ijs caruisset, cum nec perfici, nec viuere posset, nisi appetita prosequeretur, ac consequeretur; necessarium fuit aliã potestatem adiungere, qua immotis obiectis, mobilibusque remotis, admoueretur, cum bona sunt, eaque sibi admoueret, & à noxijs, quæ aduersus ipsum mouentur, remoueretur. Quæ potestas motrix appellatur, & ita fere cunctis animalibus communis esse videtur; vt veteres philosophi, non minus motu locali, quàm sensu animal à planta, cæterisque distinxerint. Hæc autem potestas (vt diximus) reliquarum omnium ministra est, & quæ illarum appetunt, eius beneficio prosequitur animal. Verùm licet alijs nata, non sibi videatur, nihilominus cupit ipsa quoque de potentia ad actum deuenire, vt animal perficiatur. Vt patet in pueris ludentibus, & discurrentibus, & in equis, cæterisque animalibus, quæ etiam nullius rei gratia moueri hæc, atque illuc videntur, aliaque mouere: vt hæc potestas tradita videatur, non solum vt moueatur animal ad obiecta, & suas potestates illis, vel suis potestatibus illa admoueat; sed etiam, vt exerceatur, & vt inde mediate, vel immediate per se, vel per accidens voluptatem capiat. Quamuis nisi aliarum gratia fiat, frustra ille motus susceptus videri soleat. Huius autem potestatis propria obiecta aut nulla sunt, aut sunt loca, ad quæ mouetur; aut potius reliquarum potestatum obiecta, non vt ijs potiatur, sed vt illa ad ipsas, vel ipsas ad illa admoueat, vt potiantur. Quamobrem de obiectis hoc loco non fiet sermo, cum de ijs in reliquis potestatibus dicatur. Cum autem proba corporis dearticulatio, neruique, ac musculi omnium motionum sint causæ; necesse primùm est ea commodè se habere, deinde valetudinem adesse, ac robur, cuius beneficio in omnes localis motus differentias pondera mouemus, nosque ipsos è loco ad locum transferimus diuersis motibus. Vt igitur ea tamquam efficientia, & instrumenta, sunt bona, ita fracturæ, luxationes, ægritudines, & imbecillitates, huius potestatis sunt mala. Nulla autem est ars, quæ in vniuersum doceat corporis, aut singulorum membrorum motiones, quibus vti oportet; sed singulæ artes suis præceptis declarant, qualesnam motus fieri deceat ad proprium finem assequendum. Et vt innumeras dimittamus, quæ manuum opera, motuque vtuntur; non desunt, quæ corpus fere vniuersum instruant; vt gymnastica, saltatoria, bellica, currendi, luctandi, ac gesticulandi facultas. Histrionica quoque, atque etiam oratoria plures docere motus videntur. Ii verò, quibus vtimur in ciuili vita; huius facultatis sunt proprii; vt digniori quomodo assurgamus, genua flectamus, caput aperiamus, atque huiusmodi. Et in cibo, potu, congressu, sermone, alij innumeri; Cum autem crebrior huius potestatis usus, & nimia loci distantia valde homi-

hominem defatigare soleant, & aliquò etiam pertransiri pedibus nequeat; plura sunt instrumenta inuenta, quibus ad locorum mutationem vti possimus, vt facilius, & commodius, quò volumus, perueniamus. Vt domita animalia, plaustra, naues, quibus etiam onera deferimus, quæ alioqui huius potestatis opera ferenda essent. Nam ea non solum immediate vtimur, vt obiectis potestates admoueamus, vel his illa; sed etiam mediate, vt aliquo pacto ea comparemus, vt in agricultura, alijsq. artibus. Corporis autem motibus, præsertim ijs, qui ad civilem pertinent facultatem, plurimum gratiæ initur. Risus quoque, & fletus, vultusque explicatio, & linguæ sonus motibus quibusdam sunt, quos decet concinnos, aut graues esse, & personis, ac rebus, locisque, & temporibus accommodatos. Præterea cum bonis viris plurimum debeamus, eorum probitatis, & dignitatis significatio in aliqua veluti solutionis parte numeranda est: sic enim fit, vt non ipsi solum intelligant nos eorum virtutes cognoscere, sed & cæteri, qui adsunt, quorum potissimum causa motus ille fieri videtur, qui, honor, vel honoris signum existimatur. Propterea is motus studiosis actionibus aliquo modo annumeratur: nam si debitum in tempore soluere laudabile est, sic & honore merentes prosequi. Est enim tum quædam debiti solutio, tum alienæ virtutis testimonium honor, quod quidem testimonium etiam hominum probitari debetur. Ideirco, qui honore merentes, ac dignos non prosequuntur, officio suo deesse censentur. Hanc autem honore prosequendi rationem distinctam esse præstaret, ita vt ijs tantum honor haberetur, qui in bonis beneficia contulere, vel conferre parati sunt: diuitibus verò, & nobiles demisso quædam, vt humiles, & inopes se indigere ostenderent, & eos commoda conferre posse, vti tacita quædam alienæ opis imploratio esset. Sed de his, alijsque similibus aptior erit alius dicendi locus.

DE SENSITIVA POTESTATE, ET EIVS

obiectis.

Cap. III.

39 **S**ENTENDI potestas a natura tradita animalibus est ad obiectorum omnium cognitionem, quæ prosequenda sunt, aut fugienda, & reliquarum etiam potestatum gratia: neque enim absque sensibus vlla potestas suum officium exercere, aut non commode posset. Ita vt vere animal sensu definitum fit. Siquidem nec apte vegetari, nec omnino moueri, irasci, ratiocinari, nisi sensuum adiumento possemus. Qui dum reliquis potestatibus consulunt, ipsi quoque plurimas percipiunt voluptates, præsertim ij, qui vegetatiuæ subministrant, gustus videlicet, ac tactus. In quibus non immerito vehemens voluptatis sensus à natura collocatus fuisse videtur, cum ei potestati prospiciant, cui tamquam basi, & fundamento reliquæ innituntur, quæ maxime omnium ad vitam est necessaria. Illis enim exercendis si propria caruissent voluptate, non tam studuisset animal, quàm oportebat, cum non sine labore exercentur. Ac cum in eorum sensuum operationibus non assidue posset animal occupari, commodum summo rerum opifici visum est, vt intensior voluptas ijs sentiretur, ita vt visus, auditusque, quamuis magis continuam, magisque extensam, minus tamen intensam percipiant; vt diuersa ratione voluptas, quæ visu, audituque sentitur, ei, quæ gustu, tactuque capitur, possit comparari. Ac de gustu quidem satis fere dictum videtur, de tactu autem præter ea, quæ dicta sunt, restant nonnulla dicenda; nimirum multa ab hominibus excogitata fuisse, vt in ijs, quæ ad eum spectant, degere commodius possemus. Nam vt frigus expellatur, præter domus tegumentum, & vestes, vaporaria sunt inuenta. Itemque ad imbrum, atque æstus mutationem, quæ corporibus quacumque ratione obesse

obesse possent, diuersa vestium ratio, pileique, & calcei reperti sunt: Quarum rerum plures habentur artifices, nam (vt mittamus ædificatores, de quibus ante dictum est) vestibus, cæterisque corporis operimentis conficiendis, necessarij sunt textores, sartores, coriarij, sutores, pilearij: quarum artium aliæ plurimæ ministræ videntur, quæ tum subiecta, tum instrumenta parant, quibus ipsæ vtantur. Vt carminatores inentes, fullones, infectores, alijque non pauci, quorum omnium vnicum studium est, nè tangibilibus qualitatibus corpus lædatur, præsertim calore, vel frigore, duritie, grauitate, & asperitate. Atque hæc de tactu dicta sint. Visus autem licet propria obiecta sint colores, tamen cum omnia, quæcumque colorata sunt, oculis subijciantur, fit, vt ijs multæ rerum differentiæ innotescant, quæ cum reliquis inferantur potestatibus; idcirco visus earum minister esse viderur. Dum tamen ijs prospicit, peculiarem quædam voluptatem percipit, non solum ex ipsis visibilibus qualitatibus, verum etiam è rerum cognitione, quas cernit. Nihil enim differat in præsentia, vtrum ipsi sensus propria obiecta sentiendo voluptate afficiantur, an anima, vel animal per eos. Cum autem quilibet sensus (veluti potestates omnes, & facultates) suum obiectum appetat, & nisi quid impediat, sui sit finis in infinitum; ita & visus: semper enim videre cupit, & quamplurimum potest. Quamobrem loca excelsa delectant, vnde etiam remotissimæ regiones conspiciantur, omnesque fere colorum, rerumque differentiæ, quæ sub aspectum cadere possunt, vt planities, colles, montes, siluæ, segetes, flumina, villæ, oppida, & ipsum præcipue mare, in cuius aspectu ex alta specula visus cunctas suas vires videtur exprimeret, & omnino gratissimo colore perfici; cum nihil penitus ibi sit, quod eum impediat. Hinc fit, vt nautæ, quique maris aspectui sunt assueri, cum in mediterranea deuenierint, quasi in angustijs conclusi respirare vix posse videantur. Delectant etiam ipsi per se colores, præsertim si qua distinguuntur varietate; vt vere in floridjs pratis, hortisq. conspiciuntur. Sed inter ipsos colores ij potissimum visum demulcent, qui inter extremos locantur, cum eorum species denudando, aut rarefaciendo minus lædat: vt viridis, flauus, & maxime omnium cæruleus. Idcirco cælum, ac mare; quæque æthere spectantur loca, plurimum oblectant, quod eum referant colorem: Iris autem, quod eximios omnes. Perspicua quoque magis, quam opaca; vt vitrea, & crySTALLINA vasa, quod inde videtur euenire, quod longius cernatur, & plura eodem momento conspiciantur. Fluuij enim, si ad aquæ perspicuitatem, & motum accedat probitas, frigiditas, murmur, vmbra, & in ipsa aqua pisces, & calculi, vt multis in locis videre est; non visum modò, sed omnes fere sensus suauitate quadam perfundunt. Gemmæ verò sua luciditate, & splendore summe exhilarant. Verum in vnoquoque rerum naturalium genere valde illa arrident, quæcumque commensum, & proportionem quamdam habent, pulchritudineque excellunt (pulchrum enim non boni indicium, sed ipsum est huius sensus bonum) vt animalia, præsertim homines, & plantæ, partesque ipsarum, vt flores, fructus, atque huiusmodi. In ijs quoque, quæ arte constant, similiter; vt ædificia, cæteraque artificiose fabrefacta, quæque industriam, ac diligentiam artificis ostendunt, vt quæ naturalium, vel artificialium rerum imaginem cum varietate quadam exacte exprimunt. Quibus in operibus multæ occupantur artes; vt architectura, statuaria, pictura, plastria, sculptura, & huiusmodi aliæ: quæ tamen tum mire laudantur, cum simul oculos pascunt, & animum instruunt. In omnibus quoque instrumentis, in suppellectili, & in ijs, quæcumque nobis vsui sunt, mundities, & nitor, splendorque aliquis oblectare visum videntur: nec ea suis tantum vsibus, & ministerijs apta, & idonea esse studemus, sed varia, & elegantia: sic enim visui afferunt voluptatem. Deniq. omnis fere ornatus, & ordo, visus delectandi causa adhibetur. Spectacula quoque, pompæ, exercitus, classes

classes; choreæ; ludii; præstigia; risus; iræ; amorum, & lætitiæ; summa oculis afficiunt voluptate; cunctaque fere noua, & admirationem afferentia. Quæ propter lustrare orbem expetimus, & gentes diuersas, moresque conspiceremus. Cum autem hæc, acque huiusmodi visuæ facultatis sint bona; mala contraria erunt; vt obscura; deformia; incommensurata; inordinata; fordida; hyems; solitudo; vastitas; squallor; concaua, & prærupta loca, & idigenus alia. Efficentia quoque visus, & causæ bonæ sunt; destruentia verò mala, vt cæcitas, lipitudo. Auditus autem obiecta sunt soni, ac voces, cum soni sint quidam, qui si moderati auribus accedant; dulces sunt; vt musica omnia; & animi cantus, & dulcorum murmur; oratio etiam; vel uotis in oratione congrua intentio, & remissio, & elatio; denique apta pronuntiatio. His autem sonis ex acuto, grauique componendis; ita vt aures suauitate permulceant; musica facultas inuenta est; quæ immediate parat auribus obiectum bonum; mediare verò omnes aures; quæcumque musicis instrumentis conficiendis; ceteramque partibus sunt occupata. De ijs autem dicere, quæ auditu cognoscuntur; omnimodiorum erit locus; dum de rationali potestate agemus. Contraria sunt in compositi soni, gemitus; rudis, & inepta pronuntiatio; fragores; & vehementiores soni, qui pæpe ipsam etiam vim audiendi corrumpant; vt apud Nilii catadupa accidere aiunt; contumelia; cæteraque huiusmodi. Olfactus autem obiecta sunt moderati; & suauis odores; vt florum, fructuum; aromaticum; & unguentorum. Vt autem soquetur cerebrum; & voluptas etiam olfactu capiatur; mansum operimenta; & vestes odoramentis delibuta reddunt; caputque; & reliqua membra unguento; & odoratis aquis oblinunt mulieres; florumque fasciculos gestant; aut moschi pyxides. Domum quoque floribus aspergunt; adolentque thura; & thymiamata. Quæ nobrem ars unguentaria est inuenta; Culinaria quoque in condiendis epulis non parum studet; vt apte oleant. Contraria his sunt foetores; & omnes ingrati odores. Interioribus quoque sensibus; vt imaginatione; & memoria; voluptates non pauca; neque exigua percipiuntur. Hæc autem à nobis dicta sunt; non vt omnia sensuum obiecta explicaremus; sed vt ostenderemus plurimas ijs voluptates; ac dolores percipi; vt possimus exponere; quænam; & quomodo profequenda illis moderata voluptates; dolores verò sint fugiendi. Quæcumque de vegetatiua; & sensitiua potestate sunt dicta; sub concupiscibili comprehendere solent. Nos tamen ita distinximus; vt eius vires; & obiectorum species omnes manifestius perspicerentur.

DE IRASCIBILI POTESTATE; ET EIUS

obiectis. Cap. IV.

IRASCIBILIS potestas est principium animali à natura traditum; vt se ipsum ab extrinsecis conseruare possit; quo principio utitur animal; non solum cum lædentia lædit; verum etiam cum conseruantia tuetur; vt Aristoteles quoque existimasse videtur. Hac etiam potestate rapacia animalia vtuntur; cum se vicissim tuetur; vel effugere conatur animal; quod venantur; nam in id ipsum impetum faciunt; non secus; ac si impediret; quò minus; quæ optant; assequerentur; quod homines quoque videntur efficere in venatu; aucupio; piscatione; alijsq. huiusmodi. Cum igitur hac potestate tueri se; suaque; lædere verò aduersantia oporteret; idcirco plerisque animalibus arma quædam sunt à natura tributa; quibus profequi ea possent; quæ potestas ipsa diceret; veluti dentes; ungues; cornua; rostra; & aculei; unicuique profui corporis proportionem ualde accommodata. Homini autem ipsi nulla quidem arma attributa sunt; sed manus data; quam Aristoteles instrumentorum instru-

Polit. lib. 7 cap. 7.

De anim. lib. 3. cap. 8.

instrumentum appellat, omnibus instrumentis conficiendis, & tractandis aptis-
 frons, quæ rationis vi possent ad sui ipsius protectionem, reliquorumque ani-
 maliura læsionem excogitari. Quoties igitur animalia quæpiam in alia impe-
 tum faciunt; ea si se vident aut viribus excellere, aut saltem ijs paria esse, &
 aggredientium vim posse sustinere; renitentur, & hac potestate utuntur, ut
 vitæ; iniuriamque inferant, aut repellant. Quoties verò se imbecilliora sentiunt,
 pedum; aut pennarum beneficio, aliove sui corporis celeri motu proripiunt se-
 se, ac sibi ipsis fuga prospiciunt; quæ licet minus videatur, eadem potestate
 exercetur, cumque timor, qui ab obiectorum etiam inanimatorum motu ex-
 citatur, ad hanc ipsam pertinet potestatem; quippe quæ tradita est animalibus
 (ut diximus) ad eorum ab extrinsecis conservationem. Huius igitur potestatis
 obiecta, quemadmodum reliquarum, duplicia sunt: videlicet tam bona, quam
 mala, quæ primum cognitionem, ut cætera gignunt, deinde appetitionem,
 quam sequitur actio; modò sit consultatione inuentum nos consequi posse. Hinc
 fit, ut ei, qui aliquod in nos beneficium contulerit, cupiamus referre; uti etiam
 cum læsi sumus, cupimus vlcisci. Et ut non quærimus referre gratiam, si cogno-
 scimus nos relationi haud aptos esse; ita non conamur vlcisci, si intelligimus
 nos vlcioni minime pates. Quòd si lædere pergant, aufugimus, & impenden-
 tia mala timemus, ut in reliquis potestatibus, sed in hac longe magis. Cum
 autem in timore sanguis ad cor contrahatur, nec ad propria loca recurrat; quòd
 ex torpore, ac segnitie, qua timentes detinentur, apparet; in ira verò contra-
 hatur quidem primò, sed mox, quasi validior factus, ad venas, arteriasque re-
 currat, per easque dispergatur, quòd morus vehementiores reddantur, fit, ut eo-
 dem tempore nullo modo timere, & irasci possimus. Quòd hinc etiam patere
 potest, quòd cum timor non solum sit dolor ex opinione venturi mali, sed etiam
 appetitus, seu principium ea fugiendi, quæ lædunt, aut lædere possunt; ut ira-
 scimur ijs, qui nos læserunt, aut lædunt, aut lædere parant in præsentia; ita ti-
 memus eos, qui nos læserunt, aut lædunt, aut mox lædent, nisi ab ipsis præ-
 caueamus. Ut igitur in ira putamus nos pares esse, aut superiores, & expellere
 alios posse; ita in metu iudicamus nos esse inferiores. Est igitur timor iudicium
 alienæ virtutis nostram superantis; aut iudicium nostræ imbecillitatis præ
 aliorum fortitudine. Non igitur mirum, si ijs non irascimur, quos metuimus:
 non enim fieri potest, ut vno tempore nos eisdem superiores, & inferiores exi-
 stimemus. Erit igitur ira iudicium nostrarum virium supra lædentis vires, aut
 ex eo ortum ducet. Quo fit, ut principes, potentes, diuites, & superbi faci-
 lè irascantur. Fortes etiam, atque audaces, quibus vix incuti formido potest,
 ad iram sunt proclives: numquam enim cæteris se inferiores viribus, sed supe-
 riores potius arbitrantur, quòd fit in ira; ac cum se superiorem iratus censeat,
 voluptatem capit, quoniam se sperat suas iniurias vlcisci posse. Verum ijs, qui
 nos imprudenter, casuque læsere, modò factum non probent, sed doleant (si
 quidem probe affecti sumus, & eorum ignoratio est nobis nota) non irascimur;
 propterea quòd in ira cupimus, ut lædentem pæniteat læsisse. Pænitentiam au-
 tem quærimus, nè iterum libeat lædere: eum enim, qui veterem iniuriam per-
 fert, nouam inuitare prædicant. Cum autem pænitentia, ut hoc loco accipi-
 mus, sit dolor ex illata iniuria; nullam verò intulerit iniuriam is, qui impru-
 dens læsit; ex illata igitur iniuria dolere non potest, nihil ergo est, cur ei irasca-
 mur. Irascimur autem; non quòd nos quidquam appetamus, vel fugiamus; sed
 quòd alia agunt, vel appetunt contra commoda nostra. Ut igitur irascamur,
 opus est, alium hominem, aut animal, quòd nos viribus superare non existi-
 merur, aliquod aduersum nos moliri, aut aliquo pacto suum erga nos officium
 deferere; quòd quidem est iniuria afficere, cum non reddat, quòd vel iure,
 vel honestate tenetur. Nam cum iure, aut iusto imperio aliquid nobis aufertur,
 aut

Ari. Rhet.
 lib. 2. cap. 3

aut impedimur, ne, quod liberet, agamus; tum dolore quidem afficimur, ac tristamur, at non irascimur. Non enim liberi parentibus irascuntur prohibentibus eos ludere, vel spectacula publica visere; sed ad preces, aut lacrymas se conuertunt; aut, si maxime irascuntur, nihil tamen ex ijs meditantur, quæ dicitur ira. Irascimur igitur in vniuersum ijs, qui nos sponte lædunt, modò eos non vereamur. Neque ijs tantum, qui lædunt, sed & ijs, qui promptum ad lædendum animum habere creduntur. Cumq. inter lædendi appetitum, & ipsam læsionem plures intercedant motus; cunctis irascimur, qui in medio sunt constituti: nempe ijs, qui inceperint, qui parauerint, qui inuitauerint, alijq.

10 eiusmodi.

DE MAIORI, ET MINORI IRA.

Cap. V.

MAGNITUDO autem iniuriæ magnam iram concitat, maior maiorem; at iniuriæ magnitudo non pro læsione tantum penditur, & damno illato, verùm etiam pro personæ inferentis qualitate, & eius, in quam infertur, itemq. pro loco, ac tempore. Nam si amicus leuiter lædat, inimicus verò grauiter, magis tamen amico irascimur, quàm inimico: illum enim

20 prodesse, non nocere oportuit. Qui igitur magis à iure, vel ab honestate discedit, maiorem iniuriam infert. Nam si in aliquem benefici fuimus, ita vt nobis plurimum debeat, nostramque erga se propensam voluntatem cognoscat; in eum lædentem magis inflammamur. Idcirco in propinquos, agnatosque leui qualibet de causa excandescimus, & seu irrideant, seu etiam leuiter detrahant, ferre non possumus; nam quò magis ab officio recedunt, magis ad iram impellunt. Maxime autem illis irascimur, qui nos non alia de causa lædunt, quàm vt nostro incommodo gaudeant: pessime enim contra nos affecti videntur. Hinc cum de iniuria querimur, dicere solemus, nos eum, qui læsit, numquam læsisse, aut non cognoscere, aut nescire, qua causa impulsus id fecerit. Quòd si non animo lædendi, sed propriæ commoditatis causa nos aliqua affecerint iniuria; minus ægre patimur, minusque irascimur; propterea, quòd non primò, & per se læsisse videntur, sed fere per accidens, & non sponte: ita vt si propria commoda consequi aliter potuissent, fortasse non fuissent læsuri. Iis etiam magis irascimur, qui nos palam lædunt. Nam præter iniuriæ illationem dedecore etiam afficiunt, & quasi irritare cæteros videntur, ijsque animos suo exemplo addere, vt nos lædant. Illis item magis irascimur, qui tum nobis impedimento sunt, & incommodo, cum magis auxilio indigemus. Maxime igitur irasci nos æquum est, cum omnia, aut plura ex ijs concurrunt,

40 quæ dicta sunt, hoc est, si maximo malo afficimur ab ijs, à quibus beneficia sperabamus, cum eorum necessarij, ac beneuoli, & bene merentes essemus, sine causa, sponte, vbi, & quando non oportebat. Itaque vt in summam redigamus, iniuria laceffiti semper irascimur, & ira omnis iniuriam sequitur veram, aut apparentem: irascimur enim brutis, & inanimatis, cum nobis impedimento sunt, quasi sponte lædant. Bruta itidem irascuntur, perinde ac si de suo iure detrahatur, quod natura quodammodo cognoscere, & tueri videntur. Et pro modo iniuriæ irascimur (vt dictum est) nam si parua est iniuria, parum; si magna, valde; si maxima, vehementissime. Est enim iniuria læsio iniusta ab appetitu nocendi profecta; quod est idem, ac si dicamus: Læsio

50 spontanea contra ius, & contra voluntatem læsi. Nam in ludis quibusdam, vt cum equites infestis hastis armati concurrunt, grauius interdum læduntur, ea tamen iniuria non est, cum sit ex composito. Læsio autem nihil est aliud, quàm

G aut

aut ablatio boni, aut allatio mali. Quoties autem lædimur, dolor sentitur, & excitatur pars irascibilis, qua conamur primum nostra bona rueri, hoc est, nos reddere ineptos, nostraque, vt lædamur; quod quidem ad irascibilem potestatem pertinet, licet minus appareat; quod verò penitus apparet, est ipsa ira, cum sit vehemens, & concitatus motus, quo sanguis circa cor accenditur; deinde non solum nos rueri, nostraque contendimus, sed & tantumdem lædentem lædere, vt ille vicissim æque doleat, ac dolere nos concupierat; & non modò par pari referre studemus, sed lædentem reddere ineptum ad motum, vt tandem pæniteat: sic enim fieri putamus, vt tutius degere possimus, Tutò autem degimus, cum neq. nos apti sumus, vt lædamur, neque alij, vt lædant. 10

QV ID SIT IRA, ET QVALIS

Cap. .VI.



EST igitur ira accensio sanguinis (vt diximus) circa cor, propter appetitum vltionis; vlcisci verò, est lædentem lædere, ita vt pæniteat. Quapropter qui se ad vlciscendum accingit, minatur eum, qui læsit, pœnas daturum, aut pænitentia ductum iri. Est autem ira vltionis appetitus, vt fames appetitus cibi. Et est cum accensione sanguinis circa cor, vt fames cum quodam ventriculi suctu; &, vt prohibere non possumus, ne naturaliter suctus fiat, nisi longo vsu ventriculus assuescat; ita nos ipsos cohibere non possumus, ne sanguis circa cor accendatur, cum irascimur. Et vt ibi voluntarius edendi appetitus insurgit; ita hic lædendi. Et vt in fame alijs negotijs distracti abstinemus à cibo; ita in ira non sumimus vindictam, sed agimus, quæ alij dicunt appetitus. Vindicta autem non est obiectum iræ proportionatum, aut æquale: non enim quiesceret venia, vel indulgentia; sed actus, vel conatus remouendi impedimenta; & propellendi iniurias. At iniurias propellimus, aut ita lædendo, vt lædi non possimus; aut ostendendo nos impune lædi non posse. Quapropter seu lædimus, seu ostendimus nos lædere potuisse, idem videtur; eòque melius, quò humanitati propinquius, & ad conciliandos animos aptius. Nam mutuis læsionibus nihil præterea aliud fit, quàm vt vterque metu quiescat; at indulgendo fit, vt licet lædere iterum possit, nolit. Quærimus igitur irati iniurias propulsare verius, quàm vlcisci; sed cum videamur lædentis dolorem quærere, videmur vltionem appetere. Eius autem dolorem quærimus, quòd cum aduersus ius, vel honestatem egisse putemus, cogimur cupere, vt pariter doleat, nempe vt fateatur se nobis immerentibus fuisse iniurium. Hoc patres, ac filij cupiunt, vir, & vxor, amici, ac boni omnes. Nemo enim bonus iratus aliud ex bono quærit, nisi vt se immeritò læsum sentiat, vt læsisse doleat. Cum autem a perditis hominibus læsio aduenit, & parentum, aut patriæ, aut religionis iniurias cogimur vlcisci; nimirum cum lædentis animus sanari non potest: tum lædentem omnibus modis lædere licet, vt ab ijs, quibus maxime debemus, incommoda remoueamus, & aras, focosq. tueamur. Obiecta igitur bona eius partis, quæ lædentia lædit, sunt vltio, pænitentia lædentis, & veniæ petitio, & in metu fuga. Eius verò, quæ conseruantia tuetur, gratiæ relatio, & commodum allatum benefico. Prioris obiecta mala sunt, vltionis impedimentum, vel fugæ: alterius autem, gratiæ relationis impedimentum, & commodi in beneficium. Cuncta item, quæ bonis obiectis fauent, sunt obiecta bona; quæ autem impediunt, mala. Homini verò commune cum reliquis animalibus esse videtur, vt cum ei bonum quodpiam impeditur, irascatur, quamuis non suum sit, modò illud se speret adipisci posse. Idcirco validiora animalia sibi

fibi inferri iniuriam putant, si imbecilliora ea bona præripiant, quæ ipsa capere potuisse videntur. Hoc autem modo latissime iniuriâ accipitur, prout iuri naturali opponitur. Verùm homines, cum ciuili iuri obnoxij sint, tum sibi fieri iniuriam existimare debent, cum ea bona eripiuntur, quæ eorum propria sunt, & in quibus ipsi ius, potestatemue aliquam habent. Et ea proprie iniuria est appellanda, de qua superius dictum est: licet igitur ob illatam iniuriam ius tantummodo amittamus, nihilominus in ea propulsanda cum irascimur, non ius ipsum dumtaxat quærimus; sed amplius quiddam, quod ad lædentium ius pertineat. Iræ ergo initium est, proprii iuris amissio; finis verò, non amissi iuris recuperatio, sed etiam in lædentis ius inuasio, ut eum tandem (prout dictum est) læsisse pæniteat. Hoc autem per nos ipsos præstare cupimus, ut huiusmodi appareamus, qui nostrum tueri ius contra omnes possimus: quo fit, ut nolimus in ius vocare lædentes, ne potius legum, quàm virium nostrarum beneficio tutari nostra existimemur, neque per alios, sed per nos ipsos; ne aliena ope indigere ad nostra tuenda videamur. Quòd si calor ille non refrixerit, aut qui primò læsit, læsusque est, nouam inferat iniuriam; vel ita affectus sit, ut non pæniteat; inimicitia constantur, præcipue, si iniuriæ non omnino leues præcesserint. Quoties verò ita paratus est quis, ut perpetuo obesse, nunquam pænitere velit, eum odio prosequimur, hoc est (ut ait Aristoteles) cupimus

10 illum non esse: & omnino eos prosequimur odio, qui lædendi habitum contra-

20 xere, malos scilicet, perditosque homines; eaq. animantia, quæ suapte natura nihil aliud quærunt, quàm nos lædere, ut serpentes. Quamobrem quærendum videtur, an inueterata ira sit odium (prout Aristoteles censet.) Irati igitur, dum sanguis feruet, sunt sub affectu; & eo refrigerato, non ira, sed consilio egisse creduntur: quamquam dicere solemus, ea suadente, aliquid actum esse. Appetitus enim comedendi manere tantisper videtur, dum fames manet, nec nos comedimus: verumtamen simultates, & inimicitia aduersus eos sunt, qui læsere. At feruor ille sanguinis ira tantum appellatur; ita ut potestas irascibilis plura videatur continere, quàm ira; quæ tantum est in præsentia mouentis obiecti; ne-

30 que etiam illa potestas suum exercere opus potest, nisi in obiecti præsentia, aut recenti, aut iterata memoria. Rem igitur exactius perpendenti apparet, odium inueteratam iram non esse: nam quoties aut prædonem, aut piratam, aut proditorem, & omnino improbum quempiã esse audimus, statim odio, nulla ira præcedente, prosequimur. Omnis ergo inueterata ira, odium fortasse dici potest, non tamen omne odium, inueterata ira recte dicitur. In ira enim consideramus præsentem tantummodo voluntatem lædendi, in eo, qui nos lacessiuit iniuria: in odio verò non præsentem tantum eius, quem odimus, sed futuram quoq. atq. perpetuam, ita ut vel natura, vel habitu videatur ad nocendum paratus. Cum autem dictum sit irasci nos, quoties aut auferuntur bona, aut mala afferuntur;

40 patet nos semper cunctis irasci, qui cuiuslibet potestatis bona abstulerint, modo nos sciuerimus, neq. eos latuerit, nostra esse. Quòd si qua potestate consueuerimus maiorem, quàm reliquis voluptatem capere, quicumque illius potestatis bona nobis eripiunt, illis etiam magis irascimur. Siquis enim potu, aut venere plurimum delectetur, vehementius irascetur ijs, qui vel vina, vel amicã subtraxerint. Idcirco auari de pecunia, equites de equis, venatores de canibus rixantur. Et omnino quæcũq. bona magis diligimus, si ea subrepta nobis sint, magis etiam solemus irasci, nã læsio maior censetur. Nihil enim refert, siue illa vere bona sint, siue bona esse videantur. Quoniam verò existimatione, ac dignitatem omnes homines plurimi faciunt, quippe quæ probitatis, & excellentiæ in quolibet rerũ

50 genere indicium est; & singulis maximo ad vitam bene; beateq. traducendam est adiumento, propterea quòd ceteros allicit ad paranda probis, ac præstantibus viris omnia omnium potestatum obiecta; ideo qui eã minuere quouis modo

Rhet. lib. 2
cap. 4.

tentant, acriorem nobis iram concitant. Existimatio autem, ac dignitas in ijs potissimum reposita est, quæ quilibet proficitur: cum igitur probitatem cuncti profiteantur, eiusque partes, si quis mendacij, furti, intemperantiæ, & omnino improbitatis insimuletur, mirum in modum excandescet. Itemque si in sacerdotij, aut magistratus, aut etiam vxoris petitione repulsam ferat, quod meritis impar esse dicatur. Artes verò vniuersæ, cum honoris, & quæstus gratiâ exerceantur, nisi accesserit artificibus existimatio, frigeant, ac frustrentur oportet: quamobrem ijs succensent, qui eos suarum artium bonos esse artifices negant. Iurisconsulti enim, aut medici non illis irascuntur, qui eos ignaros milites, aut imperitos architectos dixerint; sed ijs, qui alterum de iure respondendi, alterum medendi facultate carere asseuerent. Miles verò æquo animo feret, si quis illum reliquis artibus carere prædicet; si verò quis pugnandi imperitum, aut ignauum appellet, accurret statim ad arma. Neque id ab re, nam artem proficitur, quæ imbelles ab aliorum iniurijs defendat; quod si ipse læsus se ipsum non tueatur, ineptus cæteris protegendis existimabitur; veluti medicus, qui assidue ægrotet, si alios curare velit. Reliqui verò artifices, si viribus, & armorum peritia præstent, armis se ipsos tueri poterunt, cum tamen eorum facultas ab æmis sit aliena, nullo pudore perfundentur, si potius iure, quàm armis suas persequantur iniurias,

DE IRA EX CONTEMPTU. Cap. VII.



QVEMADMODVM autem eos amore prosequimur, qui non sibi ipsis tantum profunt, vel prodesse apti sunt, sed de bonis etiam bene merentur, & apti, paratiq. videntur beneficia in dignos conferre, idq. præ cæteris sedulo curant, ut assidue magis prodesse possint; ita eos prosequimur odio, qui sibi dumtaxat prospiciunt, bonis verò omnibus nocent; aut nocere parati sunt; vel saltem vios negligunt, cum prodesse possent; vel in malos sunt beneficii, & eos præferunt bonis. Illos autem parui facimus, nec amore, vel odio, sed contemptu prosequimur, qui nec sibi ipsis, nec bonis consulere possunt, neu malis nocere. Atque illis, quamuis maxime possimus, opem ferre nolumus: & si de ijs habendus sit sermo, eos præ cæteris minimi facimus, absolute autem fere nihili bonis verò indignos censemus ijs quoque, quæ ipsi possident: quippe qui uti nesciant, eaque perire arbitramur, dignosque illos esse, quibus auferantur. Et ideo haud mirum est, si ijs potius homines bona eripiunt, quàm reliquorum cuiquam: nam hoc hominum genus aptissimum ad iniurias perferendas videtur. De ijs autem, ac de illis, qui iniuriam afferunt, dicemus alibi: in præsentia enim satis erit ostendere, homines tunc irasci solere, cum ab alijs parui fiunt, etiam si nihili sint faciendi: nemo enim se talem putat, & siue bona ijs auferant, siue cum indigent, nihil tradant, propterea quod parui pendunt, semper irasci solent. Nam quoties ea ijs nolunt præbere bona, quæ sibi, aut necessarijs suis, aut amicis sunt opportuna, haud ægre ferunt: si verò ea, quæ nemini vsui sunt, vel nullo vsu contumuntur, negent, ut lumen de lumine accendere, aquam haurire, vitam ostendere, aliaq. huiusmodi, irascuntur, quoniam contemni se censent. Idemq. dicendum cum verbis, aut gestu detrahunt coram ijs, apud quos plurimum referret eorum existimationem non minui; præsertim si id nullius sui commodi causa efficiant. Quod etiam de contumelia dicitur: nam qui ijs vel conuitium facit, vel alicunde extrudit, vel exhibilat, & gestu aliquo irridet, nulla alia de causa, quàm ut contemptui sint, maxime irascuntur: atque item, si quo illos bono priuat, quod sibi vsui non sit, commodoue futurum; ut si pileum ijs detractum abijciat. Ea igitur opinio, qua impellimur ad prosequendum

quendum bonos amore, appetitum in nobis excitat, quo illis omnia bona optamus; mala verò deprecamur, & conamur; vt hæc effugiant, illa assequantur. Ea autem, qua ad malorum odium incitatur, appetitum gignit, quo illis omnia optamus mala, & comparamus, cum possimus; bona autem possidere nollemus, & oblata occasione auferimus: ea verò, qua ad aliquem parui faciendum adducimur, appetitum producit, quo ei nulla quidem optamus mala, bona autem non conuenire putamus; neque tamen magna eriperemus bona, nisi honorum virorum indigentia, vel nostra compulsi, obiectorumue præstantia. Qui tamen contemptus simplex non esset, sed simul etiam iniuria, & principium ob aliam causam lædendi. Hoc autem loco de ea læsione sermo est, quæ ex contemptu prouenit, & vt non magna eius causa subtraheremus bona, ita etiam nec graua inferremus mala. Quoties igitur aliquem vltro lædimus, aut aliqua de causa id agimus, aut nulla; si aliqua de causa, vel nostræ commoditatis gratia, hoc est, vt nos aliquod assequamur bonum, malumue fugiamus, vel alieni incommodi causa, hoc est, vt improbi, aut hostes bonis spoliarentur, vel malis afficiantur. Quòd si nulla de causa, hoc est, sine appetitu nostri commodi, aut alieni incommodi, vel sine lucri, vllius obiecti boni, aut fugæ mali cupiditate; tunc absolute contemnere dicimur. Itemque cum alicui aliquod palam auferimus bonum. Eum enim iudicamus nullius præ nobis pretij esse; haud scilicet esse eiusmodi, vt se, suaue bona tueri aduersus nos possit, vel ijs bonis præ nobis dignum non esse. Hic autem contemptus non absolute, sed in comparatione dicitur: videtur enim contemptus inter amorem, & odiū, media quædam constitutio: amor autem, & odium non solum simpliciter, sed etiam secundum comparationem dicuntur: nam quosdam simpliciter, vt bonos, & amicos diligimus; quosdam verò secundum comparationem, hoc est, eorum respectu, quos vel odimus, vel non amamus: idemque de odio intelligendum. Vel dicendum, iniuriam palam illatam idem esse re cum contemptu, ratione autem differre: iniuriam enim dici respectu rei, & potestatis ablatæ; contemptum verò ratione personæ, quam parui facimus, cum non arbitremur huiusmodi esse, quæ proprium ius tueri valeat. Nam si talem existimaremus, quæ posset vlcisci, nullam iniuriam inferremus. Qui igitur (vti milites) non solum se ipsos, sed etiam, alios profitentur posse tueri; ij longe magis irascuntur ob iniuriam palam illatam: non enim ferre possunt, se in ea re, quam profitentur, nempe militari facultate, & armorum usu, parui pendi. Eodem modo si quis pius, religiosumque contemnat, non irascetur; si verò improbum dicat, non feret, & ita in cæteris. Quicumque enim alicuius facultatis peritiam, laudemque ambiunt, ij magis illis erunt infensi, qui eorum in illa imperitiam arguere, & despiciere videbuntur, quam si alio quouis iniuriæ genere lædere contendant. Idcirco milites aduersus illos, qui eos fuste, aut arundine cædunt, vehementius excandescunt, quam aduersus illos, qui ense; rustici verò contra.

In vniuersum igitur maxime ijs irascimur, qui nos contemnunt.

Secundo loco ijs, qui vt improbos, hostesque nos lædunt. Postremo verò ijs, qui alicuius sui com-

modi causa iniuriam inferunt.

Hæc autem in eodem

iniuriæ genere sunt intelligenda.

IRAM NON EX SOLO CONTEMPTU NASCI

Cap. VIII.



IRAM igitur ex alijs causis, quàm ex ipso contemptu ori-
 ri, haud dubium est: illæ enim iniuriæ, quæ ab armato ho-
 ste inferuntur, vel ab ijs, qui nos manifeste timent, ad iram
 semper impellunt, cum tamen nullum ibi contemptus insit
 vestigium: sed illata iniuria, vt verbera, & vulnera, cæte-
 raque huiusmodi, iram mouent. Ac si ex contemptu solo
 homines irascerentur, humiliores, & derisu digniores, ac
 contemptui magis expositos procliuiiores, ad iram esse oporteret, cum potius
 contrarium videamus accidere. Nam potentes, nobiles, ac superbi, non quòd
 metuant, ne contemnantur, sed quòd plura sibi deberi, & maius se, quàm re-
 liquos, obtinere in ciuitate ius putant, leui qualibet de causa ad iram concit-
 antur, quoniam sibi illatam iniuriam censent. Quin sæpe irascuntur obijcien-
 tes seruis, aut artificibus: non contemptum, sed desertum officium, aut negli-
 gentiam. Præterea contemptus in ijs tantum esse videtur, in quibus est honor:
 etenim Aristotelis sententia, animi nostri significatio est in eum, quem parui
 facimus; vt honor est significatio, quod multi faciamus. Qui igitur irascun-
 tur debitæ, vel creditæ pecuniæ, vel mercedis causâ, vt mercenarij omnes, vel
 negatæ, aut impeditæ voluptatis; non quòd contempserint, dolent, sed quòd
 non satisfecerint. Caupones verò, aut lenones, & id genus hominum, quod
 non honorem, & laudem, sed quæstum spectat, si despiciuntur, aut iridentur,
 facile ferunt: si autem pecunia, vel lucrum negetur, altercantur, & turbas
 concitant. Pueri quoque, qui nondum honoris rationem habent, non ex par-
 uipensione rixantur, & clamant, sed ex pomorum ablatione, aliorumque
 eiusmodi, quæ illis sunt cordi. Vt igitur perspicue patet, hos omnes non
 ex contemptu, sed ex iniuria, vel boni subtractione irasci, perinde ac brutæ
 omnia: ita de cæteris censendum est: dempto enim contemptu, & erepto, vel
 impedito bono, aut malo illato, semper manet accensio sanguinis circa cor
 propter appetitum vindictæ, quæ est ira. Quod ex eo etiam patere potest,
 quòd qui aliquem mouere vult ad iram, non eum dumtaxat ab aduersario
 contemptum dicit, sed ea ab illo ipsi fuisse ablata, quibus maxime delectatur,
 & quæ plurimi facit; videlicet in facultate, quam proficitur, existimationem,
 & laudem; vt si de iuriconsulto dixisse assentur, eum esse legum ignarum; de
 medico, remediorum; de mercatore, decoctorem; de milite, rei militaris impe-
 ritum, aut timidum, & ita de reliquis. Bonus item vir, qui diuersas virtutes
 profiteatur, vt liberalitatem, aut temperantiam, valde irascetur dicen-
 tibus, eum esse auarum, aut scortatorem; præsertim si detractor
 auctoritate sit præditus, alioqui eum irridebit suæ existi-
 mationi, & bonis operibus fidem habens. Ve-
 rum de ira, deq; irascibili potestate plu-
 ra dicere non necesse est, nunc
 ergo de rationali di-

carnus, sicut

de ira

DE RATIONALI

potestate, & eius obiectis. Cap. IX.



VNCTAE igitur animæ potestates, de quibus huc vsque dictum est, homini cum reliquis perfectioribus animalibus sunt communes; rationalis autem sola ipsius est propria, eaque vna homo est homo. Et vt ipse cæteris animalibus, ita hæc cæteris potestatibus præstat. Verum de ea diuersæ sunt Philosophorum sententiæ: nam Stoici animum sua natura perfectum di-

- 10 cunt, neque villo modo in meliorem, vel deteriorem statum adduci posse, sed tantummodo opinari, vel existimare se lædi, aut perfici: omnes enim perturbationes falsas opiniones esse, & quasi somnia. Animum igitur perficiendi, aut dirigendi, nulla tradere præcepta possunt: nam illis indigere negant, & sedatis perturbationibus, semper quodcumque egerit, perfectus (eorum sententiâ) ac beatus erit. Quæ quidem opinio tum superbos, tum socordes, tum verò ad beneficia reliquis hominibus conferenda ineptos reddit. Præterquàm quòd à voluntate, siue à ratione, quidquam imperfectum proficisci, aut reprehensione dignum negat; vt idem illis sit velle, & cum ratione agere, quod Aristoteli, bona velle, & agere cum recta ratione. Itaque omnia eorum præcepta eò ten-
- 20 dunt, vt animum ab opinionibus, ac perturbationibus liberent; cum nihil præterea eorum sententiâ illum lædere, vel iuuare possit; sed ipsum tantummodo corpus, quod ei quasi mancipium adiunctum est, diuersisque rebus, & commodis indiget; animus verò nulla re eget, atque est se ipso contentus: propterea nihil à nobis appetendum dicunt, nisi quæ ad eius attingent conseruationem; vt à natura traditus est: reliqua autem omnia dimittenda, atque hoc esse, naturæ congruenter, honesteque viuere, prout etiam superius explicauimus. Nos verò ijs respondemus, turpia quidem animo fugienda, quæ non nisi à nobis ipsis fieri possunt, ita vt lædi, vel iuuari animus noqueat, nisi à se ipso. Nam honestis tantum iuuatur, atque
- 30 perficitur, turpibus verò læditur, atque imperfectus redditur. Hæc autem non nisi à volentibus fiunt. Præterea quamuis nullo eget, Deum tamen imitari tenetur, qui nihilo egens, omnibus tamen omnia bona largitur. Nam cum ex parte perfecta, imperfectaque constemus, perfecta verò cum nihilo eget, sibi nihil appetat, sed aliquo modo socij perfectionem cupiat, nullum respicere laborem, aut periculum debet, vt ei prosit. Aristoteles autem tum rectam esse rationem putat, cum est à perturbationibus libera, & sedatis affectibus, sicut
- 40 nihil sit aliud, quam ratio perficiendi partem brutam, quæ est in homine, vt rationalis parendo fiat; rationalis verò ipsa contemplatione sola perficiatur, eaque moti nos penitus nihil agamus. Verum cum actus, & appetitus etiam sit rationalis, nos rationalis partis perfectionem, non qua cognoscit, sed qua appetit, & operatur, humanitatem esse statuimus, & mediocritatem in eius operationibus (vt ante expositum est) honestatem esse affirmamus. Nam rationem ipsam, vt & reliquas animæ potestates, aliquid appetere consentaneum est: si enim appetitu careret, voluptatem nullam caperet, quam tamen ex beneficiorum collatione maximam capit. Appetit igitur & ratio, verum tamen non sibi ipsi, cum non indigeat, ergo alijs, vt Deum (vti diximus) imitetur.
- 50 Vnde omnis oritur de honestate consideratio, ex eaque maxima voluptas, quæ boni viri ex beneficijs, & eòmodis in bonos viros collatis capiunt. Hinc etiam

Magn. moral. lib. 2. c. 7. & 10. & 7. phys. c. 3. Ethic. lib. 1. c. vltim. & lib. 3. c. 16. Ethic. lib. 6. cap. 3.

Lib. 1. c. 5. & 6.

mani-

manifestum sit, honestatem per se esse expetendam, & reliqua, quæ ab Aristotele de illa dicuntur, vera quidem esse omnia, illius tamen substantiam nequaquam attingere. Itaque cum rationalis potestatis appetitus sit humanitas, eius obiecta, quibus videlicet ille expletur, & homo proprie vivere, ac perfici dicitur, honestæ operationes, & collata bonis viris commoda erunt. Nam ex obiectorum potestatibus nostris applicatione, non corpus tantum, verum etiam animus afficitur, quod Stoici negant: qui enim patriam, parentes, filios, amicos, bonosque omnes pro viribus tuetur, ac iuvat, felix evadit. Qui verò eos deserit, neque etiam sibi ipsi est adiumento, vivere omnino non videtur, nec perfici, neque eam partem exercere, quæ eorum sententia, & nostra, cuiusdam divinitatis est particeps; Hæc autem, ubi necesse est, reliquas potestates dirigit, earumque errores emendat (vt superius diximus) quemadmodum Senatus cæteros, qui in civitate sunt, Magistratus, cum à suo munere vel affectu aliquo, vel quacumque alia de causa discesserint.

CVM A RATIONALI PARTE

*irrationalis sit dirigenda, quomodo ipsa dirigatur,
non apparet. Cap. X.*



ERVVM cum irrationalis pars à rationali sit dirigenda, quemadmodum ratio ipsa recta fiat, non traditur. Quamvis enim à perturbationibus liberetur, continuo tamen rectam esse, & suo officio fungi posse, Aristotelis doctrine non congruit; qui, non vt Stoici, animum sua natura perfectum dicit, sed nihil ab initio in intellectu esse, quod non prius fuerit in sensu. Nam illum esse tamquam tabulam rasam, in qua nihil pictum sit, sed pingi possit. Eget igitur ratio institutione, & disciplina, vt recta sit; nec sufficit eam à perturbationum tempestate liberam, tranquillamque esse, vt neque statim atque affectibus vacua est, artes, & scientias novit, sed addiscere, & exercere facilius potest. Ac profecto non paucos in rebus agendis videmus, non quoad irrationalem partem, sed quoad rationalem, errore duci; sedatisque affectibus, multi in re familiari administranda, in eligenda arte, in ducenda vxore, in emendo agro, alijsque quamplurimis hallucinantur. Itemque in obiectis eligendis, in beneficijs conferendis; non quòd vlla perturbatione rapiantur, sed quòd pars rationalis aberret. Quique in uestitu, cæterisque, quæ ad modestiam pertinent, peccant, actuumque humanorum sunt rudes, nullo omnino affectu, sed ipsius rationis vitio decipiuntur. Eorum igitur ratio libera quidem dici, recta autem non potest. Porro licet Aristoteles sæpenumero de recta ratione sermonem fecerit, de consultatione, de electione, alijsque huiusmodi; numquam tamen methodum tradidit, qua doceremur, quomodo consultandum, aut eligendum sit, ne fallamur; sed tantummodo, quid sit electio, & bona consultatio, docuit. Eam verò partem, qua reliquæ dirigendæ sint, nulla arte, aut disciplina instructam, excultamque habere, perinde est, atque aurigæ equorum regendorum ignaro nostrum vehiculum ducendum committere; aut nauim, qua vehimur, gubernatori, qui manum clauo numquam admouerit. Nam periculum imminet, ne, cum bene nobiscum agi, & nos, quò tendimus, incolumes peruenturos speramus, de improviso præcipites rapiamur, aut demergamur. Cum igitur tota morum philosophia in eo consistat, vt rationalis pars ita instruat, vt commode, & sine vlllo errore irrationalem dirigere possit; ab Aristotele non artis, sed scientiæ, vel potius historiæ more de virtute, prudentia, electione, & consultatione agitur, at præcepta semper desiderantur. Morales

De anima
lib. 3. c. 4.

ethic. lib. 3.
c. 4. & lib.
6. c. 9. 12.
& 13.

rales verò habitus eiusdem sententia ab educatione, & consuetudine, vel patris, vel ciuitatis proueniunt, hæc autem à legibus. Quapropter omnis ciuium virtus, ac prudentia à legibus pendet; quæ tamen honestas operationes imperare non possunt, cum à libera agentis voluntate procedant, ac si imperentur, statim cum imperio desinunt esse honestæ, & iustæ fiunt; ita vt bonus vir legibus fieri nullo modo possit, vt commodiori loco demonstrabitur. Admiratione autem dignum videtur, quod cum Aristoteles prudentiam dixerit esse habitum recta cum ratione agendi, existimauerit se ijs verbis prudentiam tradidisse doctrinam, atque homines reddidisse prudentes. Verum huiusmodi
 30 rectitudo non adumbranda solum, sed vberius explicanda, & explananda fuerat. Cum ab ea sola perfectio omnium humanarum actionum adueniat, & vera voluptas, ac beatitudo non aliunde sit expectanda.

RATIO QVOMODO RECTA FIAT

Cap. XI.

VM igitur ratio suapte natura recta non sit, & ad reliquas animæ potestates, propriasque actiones dirigendas illam rectam esse sit necessarium; quippe quam huius humanæ viæ, vitæque solam ducem habemus; quærendum omnino videtur, quo nam pacto eam primùm dirigere, ac reddere rectam possimus. Rectam verò tum fore existimandum est, cum hominem recta ad eum finem perducere poterit, quò est ei perueniendum. Hic autem is est (vt diximus) ad quem illum natura condidit, nempe felicitas. Tunc igitur recta ratio erit; cum erit apta hominẽ ad felicitatem sine vlla ambage, & errore perducere; vt bonus gubernator nauim in portam, & auriga vehiculum, quò est peruenturum. Aptam verò eiusmodi ductus habendam censemus, cum arte felicitatis assequendæ fuerit instructa: hæc autem est ciuilis facultas, cuius duas
 30 esse partes diximus, priorem quidem, qua docetur homo suæ animæ potestatibus ita vti, ne altera impediatur alteram: cum enim aliquo modo sociæ sint, ius inter eas seruandum est, & ratio dignitatis habenda; posteriorem verò, qua in cetera hominum aut propria commoda vnâ cum alienis quærantur, aut aliena tantum, dimissis proprijs, quibusdam alijs non neglectis. Felicitas autem consistit in perfectione, ac deductione ad actum omnium potestatum, ita vt vera voluptas percipiatur. Cum verò potestates obiectis perficiantur, singulas ad ea obiecta, quæ maxime aptæ, & proportionata sunt, pro personarum qualitate, suo loco, ac tempore, accommodare rectæ rationis est opus. Cui præterquam quòd in rebus agendis præterita, futuraque sunt pernoscenda;
 40 ipsorum obiectorum vires, & congrua singulis potestatibus pro personarum differentia applicatio, comperita esse exactissime debet. In hoc enim sita fere est ars bene, beateque viuendi. Nam cognitio obiectis, quibus nos ipsi frui debemus, quæque alijs impartienda sunt; & societatum, conventionumque perceptis iustis, ipsaque potissimum honestate, recte omnia à nobis agentur, modò inter animæ nostræ potestates harmonia seruetur, de qua dictum est: Cum enim non ex dignitate cunctis satisfacimus, sed ignobilioribus (vt passim fit) indulgemus; nobilioris; cum negligitur, dolor insurgit; quod quidem est conscientia torqueri: quamquam hoc perditum homines parum agnoscunt, qui cum sensuum voluptates sequantur, rationalis partis, & humanitatis obliti pro de
 90 plaratis habendi sunt. Hoc est enim, quod ab Aristotele dicitur, vitiorum actiones fieri cum voluptate: nam ebrii non casu solum, & imprudenter, sed sponte, & cum voluptate sunt, eodemque modo intemperantes, avari, cæterisque prauis

pravis habitibus præditi . At qui nondum in flagitijs , & sceleribus perpetratis obduruerunt , conscientiæ morsum , vermemque sentiunt , & pænitentia ducuntur , quòd operam nullam dederint , vt reliquis hominibus prodesse possent , neque artes , aut scientias præstantiores didicerint , quibus iuarent ; neque vlla in quemquam , cum maxime debuissent , commoda contulerint . Est igitur ratio principium in nobis bene , beateque viuendi , cuius opera , cum recta est , cæteros homines longo interuallo superamus , & Deo ipsi similes fieri , ac propemodum Dij quidam terrestres euadere possumus .

QVOMODO RATIO RELIQUAS 10

potestates moueat , & moderetur . Cap. XII.



Ethic. lib. 7
cap. 3. & 6.

V M autem rectam rationem , velut arbitram , ducemque humanæ animæ statuamus , quærendum nunc videtur , quemadmodum ea reliquas potestates mouere , ac moderari dicenda sit . Aristoteles enim existimat irrationalem partem , incon-
sulta ratione , & eius iniussu nihil agere , sed ab ea moueri , ac dirigi ; ita vt , quæ ratio agnoscit , & dicitur tamquam bona , irrationalis pars , modò recte se habeat , prosequatur . Propterea incontinen- 20
tem dicit obliuisci principij : nam si diceret recte , & sensitiuus appetitus audiret , necessario obtemperaret . Eodemque modo iram aliquando rationi præcurrere : non enim expectat , vt irasci bonum esse dicatur . Irrationali igitur parti , eius sententia , expectandum est rationis imperium . Nos verò arbitramur , quod vt intellectus mouetur , cum ei offeruntur obiecta , vt vera , vel falsa , bona , vel mala ; ita potestas irascibilis , & concupiscibilis , cū propria obiecta eas apta mouere ipsis offeruntur , ad ea sponte mouentur . Neq. iram rationi præcurrere , quasi seruum , qui antequam audierit , quid Dominus velit , mouetur ; verum ad sua obiecta , prout etiam concupiscibilem , celeriter ferri . Et singulas (vt diximus) velut Magistratus quosdam in ciuitate suis muneribus fungi , & sua- 30
ptè natura absque rationali cognitione ad ea obiecta moueri , iisque applicari , à quibus perfici solent . Nam vt concupiscibilis non rationis consilio esurit , aut sitit , sed suctu ventriculi excitata ; ita ira , non ratione dictante , sed læsione impellente , insurgit . Et vt cibo , potuque , quæ propria concupiscibilis sunt obiecta , fames , sitisque expellitur ; ita ira vltione extinguitur . Vt enim appetitus , ita quæ præcedit cognitio , quæque illum sequitur actio , & ad eius expletionem tendit , suarum potestatum vires , naturamque sequuntur : nec ad huiusmodi motus , qui sibi naturales sunt , rationis opera egent ; verum , ea non reclamante , quælibet potestas suam rem , & officium facit , & sibi per se ipsam consulere potest . Nam quod admonitiones , cohortationes , & increpationes 40
(vt ait Aristoteles) partem ratione vacantem indicent rationi obtemperare , nullo modo admittendum censemus ; cum eas irrationalis pars non audiat , sed ratio tantum , quod etiam Eustratio visum est , & apud Græcos verbum *vedesia* , idest , admonitio ostendit , quasi mentis in suum locum sit repositio . Sed & ipse Aristoteles in Politicis eos reprehendit , qui seruos spoliant ratione : *Admonendi sunt enim* , inquit , *magis serui , quam pueri* ; quasi ratio admonitionem audiat , non pars irrationalis . Omnes autem ad officium pertinent . Est enim admonitio , proprii officij ostensio . Cohortatio , ad officium incitatio . Increpatio vero ob desertum officium reprehensio , & inculatio . Officium autem (vt ante demonstraui) est recta actio ad finem perducens ; quæ quidem non nisi à 50
recta ratione percipitur , à qua proficitur . Non igitur his pars irrationalis , sed rationalis mouetur ; neque enim bruta videmus hoc modo rationem audi-
re .

Ethic. lib. 1
cap. vi.

Polit. lib. 1
cap. 8.

re. Cum verò dicitur ratio non parere rationi, quòd eius proprium sit imperare, dicendum est, illam non cogi, sed ei obiecta offerri, quibus eam moueri de-
 cet, quæ ipsa non inspiciat, vt accidit etiam in doctrinis. Doctor enim par-
 tem ratiocinatricem dumtaxat instruit, & tamen sæpe monet. Ciuiles autem
 admonitiones, & cohortationes, atque increpationes, à vitio ad virtutem mo-
 tus sunt quidã oratori maxime familiares, qui bus homines ad recte agendũ im-
 pellit; quod quidem fit argumentis, quibus probantur, quæ sequuta sunt, aut se-
 quuntur, aut sequentur bona, vel mala. Argumenta verò ad partem intellectiuã
 pertinere manifestum est. Appetitus autem sensituius neque à ratione illumi-
 natur, neque eam audit; verum homo se intellectu longe sensibus præstantiore
 præditum cognoscens, eius appetitu potius moueri se, quàm quoquam ex
 alijs æquum ducit: quo fit, vt appetitus irrationalis eo modo moueri assuescat,
 quo rationalis, eaque assuetudine, non ratione, vel sensu (prout Aristoteles
 asserit) ducitur, atque dirigitur, & assuefactus is quoque vnã cum ipsa ratio-
 ne voluptatem capit. Dicit quis: Nonne irrationalis appetitus ratione excitari
 potest? veluti probando, hoc, vel illo cibo, aut potu vti, bonum esse, & sic in
 reliquis? Sane potest oratione offerri obiectum, quod irrationalem appetitum
 moueat, aut aliquid ratione probari, quod ad eum conferat. Qua in re maxi-
 ma oratoriarum artis pars occupatur, ratio tamen per se appetitum sensituum non
 persuadet, sed intellectiuum. Si quis enim in vniuersum probet huiusmodi
 cibo, vel potu, aut etiam muliere vti, bonum esse, appetitus quidem rationa-
 lis expetet, at irrationalis nequaquam: nam neque instrumenta excitabuntur,
 neque omnino is appetitus. At obiectis ipsis oblati, vel appetitu intellectu
 refragante, excitabuntur. Sed de his hætenus. Verum cum de singulis potestati-
 bus, earumque obiectis satis dictum sit, nunc de communibus potestatum om-
 nium obiectis dicendum videtur.

DE COMMVNIBVS OMNIUM

potestatum obiectis. Cap. XIII.

CVM verò anima nostra per se ipsam nihil operetur, sed cunctas
 suas operationes beneficio corporis exercent (eo enim tamquam
 instrumento vtitur, nullaque est potestas, quæ eius ministerio
 non indigeat, quæque sine eius opera suo munere fungi, & perfici
 possit) valde optabile est, ipsum probe constitutum, tam quoad
 temperiẽ, quàm quoad singulorum membrorum, partiumq. compositionẽ, for-
 titum esse. Nam si male ab initio conformatum fuerit, vel si deprauatum sit, &
 aliqua parte læsum, aut mutilatum, præterquam quod potestates non perficien-
 tur, illud quoq. incommodum accidet, quod qualis constitutio illius, ac tem-
 peries erit, tales fere animi mores sequantur oportet. Etenim cum animæ no-
 stræ, quoad earum naturam attinet (nã vt phisici loquimur) ab ipso ortu inter se
 non differant, sed æquales sint omnes; necessariò fit, vt dispositiones, & incli-
 nationes, quæ diuersæ in diuersis habentur, ab ipsorum corporum conforma-
 tione proueniant, pro corporeaue habitudine principia actionum in singulis
 hominibus constituentur. Itaque bona valetudo non modò perficit corpus, ita
 vt animæ imperio commode inferuire possit; sed à primo nostri ortus initio cau-
 sa est, vt habiles simus, aut inhabiles, & vt alijs, alijsue dispositionibus ad res
 agendas affecti simus. Quamobrem recte Galenus asseuerasse videtur, animi
 mores ipsius corporis temperiem sequi. Cum igitur à bona valetudine, tempe-
 rieque habilitatem, facultatemue acquiramus, ad facilem optimorum habituum
 consecutionem; cumque sine ea nulla animæ potestas suas exercere possit
 opera-

operationes; quin ipse homo, dum aduersa valetudine premitur, non modò voluptatem nullam percipiat, verùm etiam plurimis interdum doloribus crucietur; prosperam omnes valetudinem præ cæteris iure optant, & in votis habent, utpote sine qua vita quoque ipsa sit acerba, si modò viuere dicendus sit, qui graui aliquo morbo continenter laborat. Idcirco haud immeritò, qui valetudinem conseruare, ac restituere norunt, inter præcipuos habentur artifices, quos consulat oportet is, qui ambigit (præsertim in ijs, quæ ad vegetatiuam partem spectant) quæ ei commoda, aut incommoda sint futura, ut viri principes solent. Itaque cum ad vitam bene, beateque degendam prospera valetudo sit necessaria, recte vulgò affirmant, eos, qui illa vtuntur, quamquam id minus intelligunt, diuites esse. Proxime ad eam pecuniæ possessio accedere videtur, qua qui abundant, fere omnia omnium potestatum obiecta possidere videntur; cum ipsa (ut superius dictum est) cuncta propemodum esse potentia existimeretur. Nam quæcumque ad omnes voluptates capiendas sunt opportuna, pecunia comparantur: æquiuale enim omnibus prope bonis, ut in ciuitatibus optime constitutis apparet. Vnde illud ortum videtur: *Pecunia omnia obedire*. Nec inepte quidam illius inopiam dimidiatum morbum appellant. Cum autem hæc aliquo modo omnibus obiectis æquetur, & sit omnium communis mensura, nobilitas, ac præstantia obiectorum, ea præcipue æstimari potest. Qui igitur pecunia abundat, diues dicitur, non secus atque is, qui omnibus obiectis, quæ cunctis deseruiunt potestatibus: quamquam Aristoteles illum vere diuitem negat: non enim diuitiæ ei videntur, *quibus abundans quis fame perire possit*. Quòd si reliquis bonis, gratia, honores, aliaque huiusmodi adiungantur, & omnino hominum voluntates accedant, ex diuite opulentus redditur. Homines autem ipsi obiecta quædam sunt tam bona, quàm mala: sua enim præsentia voluptates afferunt, atque dolores; præsertim vxor, propinqui, amici, ac necessarij: siquidem in pulchra vxore, & proba, omnia, aut certe plurima inesse videntur ex ijs, quæ viro ad bene, beateque viuendum sunt necessaria. Nam omnes potestates explere, ac perficere potest. Eademque viri ad vxorem ratio est, & fortasse præstantior. Contraria autem de contrarijs dicenda. De hominibus verò, uti de causis, alius erit dicendi locus. Nam in eorum potestate omnia fere habentur obiecta. Reliqui item homines nobis vicissim, ut efficien- 20
tibus, & obiectis vtuntur, ita ut ijs eas afferamus voluptates, quas possumus, ac debemus: & contra ab ijs capiamus, quas præbere sunt apti, quique hoc probe efficere norunt, ciuilem facultatem optime callent. Hoc loco etiam dici posset de ciuitate, ut de loco; in quo omnia obiecta, ac voluptates comparare possumus. Itemque de iure, ut, quo mediante, tutò obiectis nostris fruimur, & iuuamur ab alijs, pariterque de libertate. De honore quoque, laude, gloria, dignitate, ac nobilitate: ijs enim disponuntur homines, ut nobis obiecta, & bonorum causæ esse velint. Item de amicitia, & vita, quæ tamen per se satis nota sunt omnibus, & à nobis commodioribus locis non omittentur. 30 40

Pol'it. lib. 1
cap. 6.

D V B I T A T I O N I S S O L V T I O .

quod frustra præcepta traduntur, si potestates necessariò ad propria obiecta mouentur.

Cap. XIV.




VM autem à nobis dictum sit, potestates à proprijs obiectis moueri, eòque vehementius, quò præstantiora fuerint; ac si quod obiectum sub boni specie offeratur, non posse eam potestatem, cui offertur, non rari ad id prosequendum; meritò antequam ea præcipere aggrediamur, quibus potestates moderari posse censemus, dubitandum

dum videtur, quorsum hæc tradere præcepta oporteat, quæ nihil omnino sint profutura. Quandoquidem licet multa, & accommodata tradantur, nihil tamen operari, & nullius momenti esse poterunt. Nam proposito obiecto bono, si potestas trahenda est, nihilo minus trahetur, quantumlibet præcipiamus, quàm si prorsus reticeremus. Vt si quis vincus raperetur, cum persuadere illum conareremur, vt sisteret, frustra verba funderemus. Itemque si esuriret, vel sitiret quis, fieri neutiquam posset, vt verbis, aut præceptis esurire, vel sitire desisteret. Neque id solum præcipiendo non assequemur, vti quis obiectum, à quo trahitur, sequi desinat, sed neque vt aliud pro alio capiat, aut aliam illius prosequendi rationem, vel monitione, vel consilio, vel artificiosa electione, velit aut possit inire. Nam dicere reliquas potestates rationi obtemperare, & fieri quasi illius participes, nihil penitus esse videtur; cum obiecto proposito, quod vel sit, vel videatur bonum, non modò cæteras potestates cohibere, vel dirigere ratio nequeat, sed ne sibi quidem ipsi imperare possit, vt non illud, sed vel aliud, vel nullum sequatur. Pro solutione igitur dicendum videtur, quòd si homo vnica tantummodo potestate præditus esset, necessarium foret, vt ab illius potestatis obiecto nobili raperetur: sed cum pluribus inter se diuersis præditus sit, fieri posse, vt obiectum, quod vnius est proprium, eamq. traheret, cum nobile sit, alteri videatur malum, vel tunc, vel simpliciter. Nam ab obiectis necessariò afficimur, neque possunt præcepta prodesse, nisi offerendo alia obiecta potiora, aut eadem, quæ bona videntur, sub alia specie, qua vel eidem potestati, vel alteri videntur mala. Singula igitur omnibus modis, ac potestatibus perpendenda sunt, neque obiecta solum percurrenda; sed ea etiam, quæ ad finem perducunt: qua ratione fiet, vt numquam, aut raro peccemus. Cum igitur idem obiectum eodem tempore ipsi homini offeratur, diuersarum potestatum causa, vt bonum, & vt malum; vtriusque quantitatem expendi necesse est, antequam illud sequatur: & cum diligenter examinauerit, sequi, si bonum superare iudicet; fugere, si malum. Verùm in hac pugna potestas magis exercitata vincet. Docemus igitur hac ciuili facultate potestatem illam exercere, quam vincere oportet, & omnes debitis locis, ac temporibus suo munere fungi, vt in sequentibus sit manifestum.

FINIS LIBRI, QVARTI.



H ADOVAR-



AD O V A R D I G V A L A N D I
P I S A N I
E P I S C O P I C A E S E N A T I S
D E C I V I L I F A C V L T A T E
L i b e r Q u i n t u s .



D E E R R O R I B V S , Q V I I N V N I V E R S V M
*in agendo contingunt, & de praeceptis, quibus
vitantur. Caput I.*

S U P R E M V M omnium rerum agendarum finem in honestate, & vera voluptate collocatum esse dictum iam est. Eam verò non à cessantibus, sed ab agentibus, rectis, moderatisq. actionibus comparari. Ipsas autem actiones edere non posse nos, nisi priùs aliquod obiectum expetuerimus, quod agendo possit acquiri. Nec fieri posse, ut expetamus, nisi antea cognouerimus id bonum esse. Quo fit, ut ad quemlibet motum absoluendum pro voluptatis comparatione, tria hæc necessario exigantur; cognitio primùm, deinde appetitus, postmodò actio. Proinde perspicuum est, civilem artificem, siue prudentem, ac bonum virum, qui sine errore, artificioseque voluptatem sit ex obiectis consecuturus, hæc tria callere oportere; primùm scilicet ea, quæ agibilia sunt, ita ut in ijs non decipiat; deinde secundum eam cognitionem ut appetat moderate; tandem, ut quæ cognouerit, atq. expetuerit, bene, recteque prosequatur. Nam his existentibus, modò casu non impediatur, semper tutò, citò, ac facillè honestam voluptatem consequetur, eademque ratione dolorem declinabit. Itaq. eum, qui huiusmodi artificem instituturus est, ea tradere præcepta oportet, quibus ille instructus, nec in rerum agendarum cognitione fallatur, nec præcepta rapiatur in appetitione, & in actione nūquam aberret. Sed in his omnibus recte, exacteque procedat, ut bonum virum, atque artificem decet. Omnis autem artifex suam nosse artem tunc dicitur, cum proprium finem probe nouit, subiectumque, quod eum suscepturum est, itemque locum, ac tempus, & reliqua, quæ ad eum motum sunt necessaria, quo est finem in suum subiectum introducturus. Qui igitur bene viuere cupit, beatæque vitæ futurus est artifex, cognoscat oportet, quisnam illi finis propositus, quodque ipsius subiectum sit, cæteraque omnia tam generatim, quàm particulatim ad eundem motum

tum requisita. Idcirco nos, qua potuimus diligentia, de Voluptate, de Bonis, de Appetente, deque Actione hucusque in vniuersum locuti sumus, & posthac speciatim de eisdem dicemus, ne ciuiliis facultatis vllus terminus ignoretur. Qui igitur non agnoscunt veram voluptatem finem esse, ac per se expetibilem, ij vel falsis, licet probabilibus, virorum præstantissimorum ratiocinijs adducti, mirum in modum decipiuntur, vel dum leues quasdam alicuius potestatis voluptates reliquis potestatibus maxime aduersantes perspiciunt, simpliciter improbandas esse omnes temere pronunciant: vel etiam si cæteris potestatibus dolorem minime afferant, tamen impedimento sunt, quò minus ille quoque proprias percipere possint voluptates. Veluti si quis amicæ illecebris delinitus, dum illius consuetudine delectatur, neque patriæ, neq. parentibus prospicere valeat, & honestas omnes deserat actiones; atq. ita concupiscibili potestati indulgens rationalem suas actiones edere, suisq. voluptatibus frui prohibeat; quæ quidem longe suauiores, & bonis viris expetibiles habentur. Propterea non mirum est, si exiliores voluptates, dum eas cum maximis, ac præstantissimis conferunt, neutiquam dignas censeant, quæ bonis annumerentur; quippe quæ, dum maiores impediunt, malæ aliquo modo, non tamen absolute, sint appellandæ. Quo fit, vt nostra de honesta voluptate sententia potius astruatur, quàm destruatur ab ijs, qui vel solam honestatem, vel actionem secundum virtutem finis loco statuerunt:

20 nullo enim modo aut honestate, aut actione illa mouerentur, nisi aliquam ex ijs perciperent voluptatem. Id quod Aristoteles abunde demonstrauit, & nos satis superius declarauimus, & quilibet suum animum per sese explorans facile intelligere potest. Dolorem contra summum esse malum manifestum est. Quod adduci non possunt, vt credant, qui bonorum virorum actiones obseruant, eosque animaduertunt labores, periculaque subire, nec vitæ parcere aliorum bonorum gratia. Id quod ab ijs non alia de causa fieri constat, quàm vt per exiguos dolores maximas voluptates adipiscantur, aut maiores effugiant dolores. Nam si quis in patriæ discrimine segnissimus iaceat, & ignauus, dedecore, ignominiaque notabitur, quod quidem malum ab ijs saltem, qui hominum appellatione non

30 sunt indigni, inter maxima numeratur: itaque qui voluptatem in vniuersum ignorat ciuiliis artificis finem esse, sagittario est assimilandus, qui signum ferire studeat, quod non verum est, cum tamen verum esse existimet: nam licet illud attingat, præmium tamen nullum feret. Aliud genus erroris est, cum hominem esse eiusmodi negant, vt per se voluptatem capere, eaque perfici possit. Quales sunt ij, qui omnia fato, vel fortuna, vel alia huiusmodi causa fieri arbitrantur, nec hominem ipsum autumant suarum actionum esse principium. Eodem modo falluntur, qui nos ad quietem natos, ac tranquillitatem putant: namque ij ab agendo ad otium, ac desidiam magnopere homines auertunt: & vt in summa complectamur, quicumque hominem existimant ad honestam voluptatem

40 capiendam natum non esse, eamque suis actionibus assequi non posse. Idem dicendum est de ijs, qui in vniuersum, quoad obiecta, decipiuntur, eaque aut mala esse censent, aut non bona; in quem errorem lapsi sunt Stoici, qui nulla esse bona affirmauerunt, præter ipsam virtutem: cum tamen virtus per se bonum non sit, sed dispositio quædam, qua ad bona ipsa prosequenda reddimur aptiores. Aberant & ij, qui ventri, aut veneri addicti, reliquas voluptates nihili ducunt, neque eodè nomine cum illis dignantur. Velut Epicurus, qui bona omnia honesta, ipsamq. honestam voluptatem de medio tollit. Illi quoque falluntur, qui mundum inferiorem hunc, quem incolimus, non nisi calamitatibus, ac miserijs refertum ducunt; plenaque errore, ac vanitate esse omnia, nec posse homines in terris vllam

50 vniquam capere voluptatem, ut Heraclitus, quem ea de causa fleuisse assidue putant. Neque minus à ratione deuij sunt, qui breuissimum vitæ spatium tributum mortalibus queruntur, ita vt vel nullis, vel omnino paucis voluptatibus capien-

Sen. lib. de
bre. vi.

dis sufficere possit. Quos Theophrastus redarguisse dicitur, & post illum Seneca, & recte quidem: nam si ea sciamus uti, eamq. bene collocemus, satis longa esse comperietur. Idem de ijs existimandum, qui, quoad officium, & applicationem, decepti sunt. Cum autem natura motus huiusmodi sit, ut quocumq. ex ijs; quæ ad ipsum requiruntur, immutato, reliqua immutentur; necesse erat, ut qui circa finem, aut subiectum, aut unum ex alijs aberrarent, in cæteris quoq. fallerentur. Atq. hæc, quoad cognitionem iam uniuersum à nobis dicta sunt, posterius particulatim omnia diligenter examinabuntur. Quicūq. igitur hæc tam uniuersim, quàm particulatim probe cognoscit, is prudens, & civili facultate præditus dicendus est. Cognitionem boni sequitur appetitus, qui quidem uniuersaliter talis est, qualis est ipsa cognitio, & qui, quoad cognitionem, decipitur, quoad appetitionem, quoque fallatur oportet. Ex ijs igitur errores in genere circa actiones apparent, & præcepta, quibus vitentur, sed lucidius ex ijs, quæ sequuntur.

DE PRÆCEPTIS IN GENERE, QUÆ AD
recte agendum conducunt. Cap. II.



HACTENVS non solum, quæ ad errores in agendo spectant, exposuimus, verum etiam, quæ ad præcepta in genere attinet, eadem, quæ Aristoteles, prosecuti sumus. Ille enim dicit agendum esse, ut oportet, & ubi, quando, & quantum, aliaq. huiusmodi; nos vero spectandum finem dicimus, artificem, subiectum, officium, locumq. ac tempus, & omnino quæcumq. ad modum absolendum sunt necessaria. Quæ cum ijs, quæ ab eo dicuntur, fere conueniunt, præterquam quod ille nihil deniq. præcipere videtur, quod non cæteris quoq. artibus comune sit, & logica potius præcepta tradidisse, censeari potest, quàm propria ciuiliis artificis. Quæ verò à nobis dicta sunt, licet non sint actionum particularium propria, & falli etiam in singularibus possit, qui ea didicerit, præsentitamen instituto propius accedunt, cum non cunctis artibus communia sint, sed ciuiliis propria. Si quis tamen, quæ ab eo tradita sunt, propria ciuiliis esse contédat, nihilominus concedat oportet, nullo modo ad illum formandum sufficere, quæ admodum neq. ea, quæ à nobis huc vsque sunt allata. Artes enim non ex uniuersalibus tantum præceptis constant, sed etiã ex particularibus. Nã ut in medicina non solum dicitur, contraria contrarijs esse curanda, verum etiam, quæ quibus affectibus contraria sint, & quo pacto debeat adhiberi; ita in ciuili facultate non solum dicendum est, agendum esse, quando, & quantum oportet, vel honestam voluptatem eius finem esse, verum etiam in singulis actionibus modus docendus est; vel quæ voluptates sequendæ sint, & qui fugiendi dolores, & quomodo. Ea autem particularia, quæ ad ipsam artem explicandam sunt necessaria, miramur Aristotelem prætermisisse: qui enim particularia negligit, prudentiam videtur excludere, quæ intellectus practici perfectio est, & circa particularia versatur; ac Stoicos laudandos putamus, qui hanc quoq. partem non neglexerunt. Ut videmus Panetium, aut M. Tullium, Senecam etiam, atq. Epictetum. Tentandum igitur & nobis duximus huic parti pro viribus opem afferre, non tam aliorum auctoritati; quàm rei ipsius naturæ innixi, cui nostra principia accommodare conati sumus, ita ut ab ea minime discrepent. Videtur autem Aristoteles veritus esse, si particularia tradere voluisset, se ad sensibilia fuisse peruenturum. Nam mediū agibile inueniendi præcepta tradens, non facile esse dicit definire, quousq. à recto quispiam digressus reprehendendus veniat: neq. enim aliud quidquàm sensibiliū determinari facile posse; talia verò in singularibus contineri, & iudiciū esse in sensu. Quod alijs etiã locis repetit, in quibus eorū videtur oblitus, quæ in Rhetoricis dicit, nepe quod nulla ars considerat singularia, ut medicina, nõ quid Socrati

crati, aut Calliæ, salubre fit, sed quid tali, vel talibus; id enim artificiosum est. Nec Rhetorica utique, quid Socrati credibile est, sed quid tali. Idemque in Ethicis considerandum fuit: nam licet actiones singulares sint, possunt tamen speciebus, & generibus quibusdam comprehendi, de quibus doctrina fieri, & ars tradi debet. Ipsa enim ars vniuersalia, & quædam particularia tradit; artifex autem singularia tractat. Præceptum verò illud probari nullo modo potest, nimirum oportere, nunc ad exuperationem, nunc ad defectionem declinare: hoc enim pacto medium ipsum, rectumque facile consequemur.

Nam præterquam quòd propositioni illi aduersatur, quòd ex frequentatis actionibus fiat habitus, atque ita nunc ad prodigalitatem suas actiones, nunc ad auaritiam dirigens, numquam liberalis fiet, sed inconstans, & instabilis quidam, sui que dissimilis, vitiosus tamen, vt fortasse furetur profundendi causa; & demum ad alterum extremum potius determinabitur, in quo scilicet magis exercebitur, quàm ad medium. Illud etiam eius opinione sequetur, vt quis male agendo bene agere discat. Vt medicus exactam medicamenti mensuram ignorans, si illud aliquando exuperans, aliquando deficiens præbeat, tandem sufficiens præbere didicerit. At non hoc modo videmus doceri artes, neque vllus vulgaris non certiori vitur in suis actionibus regula. Neque verò hac ratione laudandus esset artifex, quamquã ipse vult eum laudari, qui minus aberrat, vt medicum, qui minus male curat, licet ægotantem bonæ valetudini non restituat.

DE ERRORIBVS, QVI CIRCA

singulas potestates accidunt in vniuersum.

Cap. III.

His, quæ superius dicta sunt, perspicuum fit, tum demum nos recte operaturos esse, cū singulæ potestates probe fuerint constitutæ, & obiecta cognoscent, appetent, & prosequantur, prout oportet. Præterea cū inter se ita concordent, & consonæ erunt, vt alia aliam non impediatur, sed singulæ operentur, quatenus ad eas spectare videatur. Hinc apparet, duo simplicia errorum genera esse, alterum eorum, qui in vna potestate peccant, vt qui pro alicuius obiectis bonis praua sequuntur; alterum in ordine vnius potestatis ad alias, vt qui semper in vnius obiectis occupati reliquarum bona negligunt potestatum. Tertium verò eorum est, qui in vtroque delinquant; quos pro viribus emendare conabimur; primum autem errores, qui in singulis potestatibus admittuntur, deinde, qui in ordine vnius ad alias. Nam vt miles errare potest, tam per se, cū aut non pugnat, aut pugnare nescit, quàm cum ordinem inter cæteros milites nullum seruat, ac si instruendus esset, & pugnare illum doceremus, & ordinem seruare; ita cum potestates sint instruendæ, prius docere oportet singulas propriū munus exercere, deinde quem cū reliquis ordinem seruare debeant. In his igitur per se consideratis accidere error potest, tã in cognitione, quàm in appetitione, & prosecutione, & si in vno peccatur (vt antea dictum est) peccatur in cunctis. Etenim ex praua alicuius cognitione conijcimus prauam appetitionem, actionemque futuram. Itemque ex non recta actione iudicamus appetitionem quoque, & cognitionem haud probam fuisse. Itidem si prauus appetitus sit, tam cognitionem malam fuisse asserimus, quàm etiam malam actionem fore: circa cognitionem autem duobus modis errare possumus, aut enim circa cognitionem finis, aut eorum, quæ ad finem comparandum spectant. Finis autem duplex, aut vniuersalis, aut particularis. Ea quoque, quæ ad finem comparationem pertinent, aut mediata sunt, aut immediata. Circa finem verò vniuersalẽ falli homines sectarum diuersitas ostendit: to-

eadem enim esse videntur, quot sunt circa finem opiniones, & varia hac de causa
 præcepta traduntur; & qui illis addicti sunt, diuersam viuendi rationem sequun-
 tur, perinde ac diuersa sunt itinera ad diuersa loca proficiscentium. Nam sine
 mutato, mutari officia necesse est, cæteraque omnia, quibus peruenitur ad fi-
 nem. Vt in artibus; nam & illæ tot sunt, quot fines, & pro eorum varietate in-
 ter se variantur. Sed longe magis in hac civili arte peccatur, quàm in reliquis:
 quia finis non in illis, prout in hac, est ignotus. Quemadmodum autem in tota vi-
 ta decipimur, nisi finem in vniuersum, & quæ ad finem, cognoscamus, appetamus,
 & prosequamur; ita in quolibet particulari sine proposito, & ijs, quæ ad ipsum,
 particulatim decipi possumus: & licet à cognitione tum appetitus, tum actio¹⁰
 procedat, nihilominus reprehenduntur etiam homines, quod magis appetant,
 aut minus; vel quod magis, minusue prosequantur, quàm oporteat. Qua de
 causa eos irridere solemus, qui, quoad finem alicuius motus, falluntur, & quoad
 voluptatem, quæ ex aliquo obiecto percipitur; vt si quis ex pomorum esu ma-
 ximam capi voluptatem putaret, hoc autem, quoad cognitionem finis particu-
 laris. At si quis illis vescendi vehementissimo desiderio teneatur, is, quoad ap-
 petitionem, erraret. Quod si ea comedens summa perfundatur voluptate, quoad
 finem in agendo, falleretur. Semper enim finis, & obiectum coincidere videntur;
 ita vt quo nos modo in cognitione, appetitione, & actione ad obiectum habe-
 mus, erga ipsum quoque finem eodem modo comparati simus. Erramus au-²⁰
 tem quoad obiectum, cum arbitramur, aut bonum esse, cum non est; aut non
 esse, cum est; aut maius, minusue bonum, vel malum esse, quàm sit. Idcirco
 aliquando fit, vt in ipsa actione sentiamus nos esse deceptos, & laborasse pro
 re nihili, vel non eiusmodi, qualem existimaueramus; ita vt interdum, si la-
 tent differentia, ipsum vehemens desiderium prosequamur; interdum verò, si
 manifesta sunt, nos ipsos arguamus, quod decepti simus, & perperam experi-
 uerimus. Hinc fit, vt qui obiecto cuiusdam assucuerint, semperque id compro-
 bauerint, abstinere nequeant. Qui autem ex obiecto non eam voluptatem capi-
 unt, quam opinione conceperant, facillè, vel nullo monente, desistant. Quod
 verò ad obiectum, aliquando in vniuersum decipimur, aliquando in particu-³⁰
 lari, nonnumquam etiam quoad locum, vel tempus, existimantes ea esse ac-
 commodata, cum non sint, vel non esse, cum sint. Hæc autem ea fere sunt, in
 quibus nemo se credit decipi posse. Omnes enim arbitrantur, si opibus abun-
 darent, & facultas daretur, se quid sibi esset agendum ad vitam bene, beate-
 que traducendam optime scire. Nam si quid desit, progressu temporis, & ex-
 perientia se non diuiciter putant consequi posse, aut per seruos, & amicos, aut
 necessarios, qui experti sint, facile administrari; omnino autem senes, quique
 orbem peragratur, vel aliqua in re se exercuere, reliquis peritiores habentur;
 propterea quod sapius decepti didicere, quid prosequendum, aut fugiendum
 sit, quid bonum, aut malum. ⁴⁰

DE PRÆCEPTIS AD SINGVLAS
 potestates spectantibus. Cap. IV.



VM autem humanæ animæ potestatum tam diuersa munera, fi-
 nesque sint, rationalis enim pars ad iuuandos homines, & bean-
 dos tradita, quò validior est, eò magis iuuat, & nos ad finem, ad
 quem conditi sumus, nempe ad beatitudinem perducit: irratio-
 nalis verò contra ad solius subiecti, in quo est commodum, tra-
 dita, & cætera fere negligens, quò imbecillior est, eò minus⁵⁰
 necet, & nos à beatitudine minus auertit. Idcirco fit, vt perpetuò ab ho-
 mine præcipua opera danda sit, vt rationalis vires, ac robur acquirat,
 irra-

- irrationalis autem amittat, & imbecilla reddatur. Sic enim vtraque suo officio pro suæ naturæ conditione apte, & apposite ad illius perfectionem fungetur. Robur autem potestatibus aduenit ex earum proprijs obiectis bonis applicatione, & ex voluptate, quam inde fumunt, cuius dulcedine captæ libenter ad eadem obiecta, aut ijs similia, reuertuntur. Et eò libentius, atque auidius, quò fuerint præstantiora; libentissime autem, & auidissime ad præstantissima. Vnde fit habitus (vt mox dicetur) quo potestates valentiores redditæ contineri vix possunt, quin vehementissime ad eadem obiecta ferantur. Cum igitur absolute rationalem partem validam, irrationalem autem imbecillam esse ex-
- 19^opediat, primum præceptum huiusmodi statuendum videtur. Rationalem, quam maximas possit, voluptates ex nobilissimis obiectis continenter capere oportere. Quòd si capi maximæ nequeant, ex capiantur, quæ haberi maiores possint, & ex ijs obiectis, quæ nobiliora valeant comparari; ita vt minores voluptates quasi quidam dolores habeantur. Dolores verò maximi, deque pessimis obiectis, primum vitentur, & deinceps maiores; ita vt minores quarundam, quasi voluptatum loco existimentur. Ex aduerso autem irrationalem partem, quam minimas voluptates possit, percipere debere; ita vt naturali tantummodo necessitati satisfiat. Quòd si minimæ sumi commode nequeant, ex sumantur, quæcumque minores possint, & ex vulgaribus obiectis, paratuque facilibus;
- 20^o ita vt maiores voluptates dolorum loco recipiantur. Maximæ autem, & de præstantioribus obiectis, sint odiosæ, & deinceps maiores; ita vt, quæ paulò suauiores sint (modò seruatâ incolumitate, & dignitate fieri possit) repudiantur. Sic enim rationalis validior, irrationalis verò imbecillior reddita, ad propria munera recte obeunda fient aptiores, & hominum vsibus commodiores. Hoc autem præceptum amplissimum est: nam reliqua fere omnia virtute continet; ac si seruetur, non dubium est, quin homo suo sit officio satisfactorus, & ad quem finem natura tendit, sine impedimento peruenturus. Siquidem eius animæ potestates eam sortientur constitutionem, quæ finis ratione optima est, quam nos inquirimus, & alio fere moderamine non indigebunt. Maximæ enim vo-
- 30^oluptates à rationali percipi nequeunt, nisi optime sit affecta, hoc est, ad eas percipiendas aptissima, & obiecta voluptates huiusmodi producentia, congruo loco, ac tempore offerantur; cæteraque opportune adsint, quæ requiruntur ad motum, vt actionem inchoare, & perficere valeat. Optime autem affecta esse non potest, nisi libera, rectaque sit. Est autem libera (vt supra diximus) cum affectibus caret; recta verò, cum ciuili facultate prædita est, & reliquæ potestates illam sequuntur, & ad ea tantum obiecta mouentur, quæ illa præscripserit. Quæ quidem obiecta potestatibus ipsis irrationalibus secundum quid bona erunt, homini autem simpliciter bona: ex ijs enim harmonia constituetur, quam proposuimus, quæ est ei ad beatitudinem via. Ad rationalem autem pertinet, non solum propria obiecta eligere, sed & irrationali parti ea præscribere, & illius voluptates æstimare, antequam admittat: nam vt eques locum nouit, quòd est peruenturus; ac si plures illuc viæ ducunt, meliorem eligit, qua ad eum tutò, & commode perueniatur: quæ quidem equo sunt ignota, qui præter cibum, potumue, aliaque ad se pertinentia nihil curat: ad hæc autem, vbi necessaria videntur, admittitur; vbi verò non sunt necessaria, ab ijs eum eques freno coercet; quod nisi opportune fecerit, fit contumax, & refractarius. Sic & ratio finem tam vniuersalem, quam particularem cognoscit, & cum bonus est, appetit, & media eligit, quibus ad ipsum perueniatur. Hæc autem irrationali parti incognita sunt, quæ nihil præterea aliud, quam propria obiecta cognoscit, & appetit, quibus, cum necessaria sunt, illam ratio vt permittit; cum verò non sunt necessaria, si libera ipsa, rectaque est, sequi vetat, ne à propositi finis affectatione impediatur. Alioqui irrationalis à proprijs voluptatibus ab-
- ducta,

ducta, rationalem de superiori loco deturbat, & validior reddita sibi demum illam feruire cogit. Quod quidem ex actionum frequentatione procedit; unde consuetudines potestatum, moresque, & habitus fiunt, de quibus nunc dicendum videtur.

DE HABITU, MORE, ET CONSVETVDINE.

Cap. V.



N omnibus vel agendis, vel patiendis, quæcumque sunt ad vtrumlibet, & indeterminata, habitus certa, & determinata 10
habentis dispositio est ad alteram partem. Dextera enim manus aptitudinem habet, vt sinistra validior fiat, aut imbecillior; exercitatione autem fit validior, & agilius operandi contrahit habitum. Quod similiter in reliquis corporis partibus videmus accidere. In animo quoque idem contingit. Nam cum ab Aristotele in speculatiuum, & actiuum diuidatur; & hic rursus in proprie actiuum, & effectiuum; speculatiui animi perfectus habitus scientia est, actiui civilis virtus, effectiui ars. Imperfecti autem sunt his contrarij. Siquidem scientia est habitus perceptiuus rerum, vt sunt: nam cum ea potestas, in qua gignitur, percipere illas possit, tam vt sunt, quàm vt non sunt; habitu fit, vt determinetur ad vnum. 20
Sic ars est habitus recte efficiendi ad consequendum finem: cum enim possit recte, ac non recte efficere, habitu fit, vt recte operetur, finemque assequatur. Eodemque modo civilis virtus est habitus animi actiui ad bene agendum determinati. Vt enim fit perfectus speculatiuus animus, ne erret in contemplando, hoc est, affirmando, & negando; ita effectiuus, ne erret in efficiendo, actiuus autem, ne in agendo. Est igitur habitus quasi contractio potestatis vagæ ad vnum agendum, vel patiendum: seu qualitas quædam, qua contrahitur potestas ad vnum, Nam in ijs, quæ semper vno modo se habent, habitus non consideratur, sed natura, quam Aristoteles asserit esse ipsius semper, cum consuetudinem dicat esse ipsius sæpe. Quo quidem loco intellexit potius habitum con- 30
suetudine partum: illū enim dicimus ex consuetudine gigni, & tunc consuetudo pro actiuum repetitione, atque identitate accipitur. Etenim dicere solemus, nos ita consueuisse, quod idem est, ac si diceremus, nos ita sæpenumero operatos esse. Scientiæ igitur ex pluribus speculationibus, artes verò ex pluribus effecti-
nibus acquiruntur. Nam Arithmetici, & Geometriæ numeros, & magnitudines speculando, ædificatores ædificando, & citharædi (vt ait Aristoteles) pulsantes citharam fiunt; & ex eo, quia bene ædificant, boni fiunt ædificatores, quia male, mali. Eodemque modo etiam agendo, nam bene, vel male agentes boni, vel mali euadunt homines: omnino enim habitus ex frequentatis actibus contrahuntur. Videtur igitur consuetudo consuescentis motus; consuescere au- 40
tē est habitum induere, & qualitatem, seu principium acquirere, repetitis operationibus idem semper agendi, vel eodem modo. Verum vt definitionem, ac demonstrationem vocamus, non solum motum definiētis, ac demonstrantis, sed etiam finem, ac rem eo motu cognitam; ita consuetudo non solum est motus eiusdem speciei cum superioribus, vel eorundem identitas, verum etiam habitus, qui ex eisdem motibus, & operationibus gignitur. Erunt igitur hoc modo aliquando idem habitus, & consuetudo: quamquam habitus dicitur respectu habilis; consuetudo autem respectu eorum, quibus aliquis consuevit.

Ethic. lib. 6
cap. 1.

Rhet. lib. 1
cap. 11.

Ethic. lib. 2
cap. 1.

Ethic. lib. 7
c. 10. Magn.
mor. lib. 2
c. 6.

Quo fit, vt consuetudo, quasi altera natura dicatur, quod sit ipsius sæpe. Quod quidem ei non competit, vt est consuescentis actus, sed prout est habitus, seu 50
qualitas, repetito motu, in parte operante genita, & impressa, qua redditur ad idem agendum determinata, & magis idonea. Id igitur, quod est experientia in

tia in cognoscendo, est consuetudo in agendo, quamuis nomina sæpe confundantur, & experti dicantur assueti, Vtraq. autem ex repetitis operationibus insurgit, vel cognoscitiuis, vel effectiuis, vel actiuis. Sed proprie consuetudo videtur in actiuis, experientia verò in cognoscitiuis, atque effectiuis; & utroque modo gignitur vniuersale, quòd ita faciendum, aut quòd in omnibus ita res habet. Diuersi autem generis habitus ex diuersis fere causis fieri videntur; nam cognoscitiui quidem, vt scientiæ, sola cognitionis adeptione comparantur; effectiui verò, vt artes, cognitione simul, & effectione, videlicet manuum, aut alterius corporeæ partis exercitatione, quæ intellectui obediat, & cognitionem sequatur. At ipsi actiui cognitione primùm indigent, deinde appetitus, assuefactione, atque actione. Cuncti igitur cognitione, & crebra sui generis operatione egent.

QVOMODO EX REPETITIONE ACTUS

actibus, & in qua parte anime fiat habitus.

Cap. V. I.

DVBITANDVM autem videtur, quoniam modo, & in qua
 20 anime parte frequentati actus habitum gignant. Nam primùm nisi aliud accedat, simplicium actuum repetitio, & numerus hanc vim non habet. Sed in corpore quidem principium exercitatum validius reddi videmus, & cum posset aliter operari, contrahit habitum, qui non est consuetudo prior modo dicta, sed perfectio ipsius principij, vt de exercitata dextera iam dictum est. Vt enim lignis, aut mallei, & onerum lationi assuescentes, robustiores redduntur, & facilius ferunt. Quod quidem in corpore nulla alia de causa fieri potest, quàm calor, & sanguinis ad partes laborantes concursu. In animo igitur aliquod simile inueniendum est, citius ille operi aptitudinem acquirat,
 30 vt certius, ac promptius operetur. Hoc autem est primùm ipsa cognitio, deinde voluptas. Nam accurate aliquid perscrutantes, ac contemplantes, ex ignorantia ad cognitionem deueniunt; cognoscentes verò longe melius operantur, quàm ignari. Tunc enim est appetitio, & operatio recta; cum cognitio recte se habet; & tunc est habitus in parte appetitiua, cum est vniuersale in cognoscitiua. Nam virtus, cum sit principium actiuum, assequi finem non potest, nisi cognoscat, & agat, vt ars ab vniuerso. Honestas autem in mente agentis ita radicata, vt operari possit, est virtus; vt sanitas in medici mente est ars medica, & virtus medici. A virtute igitur, vt ab arte, operationes semper similes prodeunt. Sed antequam habitus contrahatur, is, qui sapius eodem modo agit, ostendit eas sibi actiones bonas videri; non tamen fit, vt ex illis assuescat, & postea idem velit, & appetat: sed cum bonæ illi videantur, bonum autem fit, quod voluptatem affert, ex singulis actionibus voluptatem aliquam capit, eaque impulsus iterum appetit. Vnde fit habitus, hoc est, vniuersale in parte (vt diximus) cognoscitiua, quæ proficitur se ipsa experientia percipisse, ex eo obiecto voluptatem sentiri; quod ex alijs operationibus asserere nequit. Ex repetita igitur voluptate fit, vt ea pars assuescat, validaque, & cupida agendi reddatur. Hoc autem ex eo intelligi potest, quod inopes plura efficere consueuerunt, quæ locupletati agere nolunt; quoniam illa propter aliud fiebant. At cum voluptatis gratia agitur, ex eius repetitione fit, vt memoria
 40 confirmetur, & continenter eadem obiecta expetantur, & cognitio, & opinio imprimatur animo semper eadem eligendi. Quæ quidem causa est, vt nullis in
 50 humanis operibus tanta sit firmitas, quanta est (vt ait Aristoteles) in ijs, quæ
 à virtute

Ethic. lib. 1
 cap. 10.

à virtute proficiuntur, quæ stabiliores etiam scientijs esse videntur. Eademq. causa est, quò minus earum fiat obliuio; non quòd in ijs beati & maxime, & continuatissime viuant (vt ipse dicit) sed quòd voluptate illecti ad perseuerandū in ijs inuidentur. Neque enim illius stabilitatis beatorū vitæ in ijs. assiduitas causa est, sed voluptas, quam inde fumunt, eorū vitæ assiduitatis. Nam quod Menander admonet, genus vitæ optimū eligendum esse, recte ille quidem; quòd autē illud iucundum reddet consuetudo, si recte intelligitur, recte habet. Nam qui iubet optimū vitæ genus eligere, id iubet è multis sumere, quod ad optimā potestatem, videlicet rationalem spectat, quod cum optimum sit, non dubium est, quin per se, suaq. natura ei sit expectabile; sed fortasse à sopita potestate actu nō expectabatur. Vltus verò potestatem excitans, & in suam naturam restituens, actu expectabile reddit: ita vt eius vitæ actiones, quæ voluptatem actu non afferbant, incipiant sensim afferre; eæ autem repetitæ voluptatem iterant, & habitum gignunt. Verū cum habitus non de actiuis tantum, sed communiter de cognoscitiuis quoque, & effectiuis dicatur; ij, qui in rebus agendis consistunt, mores proprie nuncupantur. Propterea Aristoteles; vt hos ab illis distinguat, nunquam habitus morum, aut morum virtutes appellat; mores autem irrationali parti, nempe irascibili, & concupiscibili tribuit; quod nobis nulla omnino ratione probari potest. Eustratius quoque nobilis illius interpretæ (inquit) idest, assuetudo; operatio ipsa; ἦθος verò, idest, mores, qualitas quæ ex affectuosa animæ partis operatione comparatur, hoc est, finis, atque opus assuetudinis. Reliqua quidem optime, illud autem non satis commode; in quo cum Aristotele sentit, quòd hæc qualitas, videlicet mos, ex sola affectuosa animæ partis operatione proueniat; cum potius ex actionibus rationalis partis mores contrahantur. Quintilianus autem, licet orator, tamen (vt apparet) aliū, quàm Aristotelem, sequutus philosophum, ἦθος nomine (inquit) non tam mores, significari videntur, quàm morum quaedam proprietates, nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Itaque virtutes, ac vitia, contra ac Peripatetici, non irrationali parti, sed menti ascribit. Nostra verò sententia, iterata operatio efficere non potest, vt ijs, quæ sunt præter naturam nostram, assuescamus: nihilo enim magis pars irrationalis consuetudine fieri rationalis potest, quàm lapis assuetudine sursum ferri, aut planta sentire: numquam igitur rationi obediens, cum sua natura apta tantummodo sit ad propria obiecta prosequenda. Aristoteles autem idoneos dicit esse nos, ad virtutes suscipiendas natura, suscipere autem consuetudine: quod quidem de rationali parte verè dictum est; at sensitiuus appetitus, neque rationi parere assuescit, neque est sua natura ad parendum idoneus: sed ratio exercitatione facta validior imperat, & actiones edit, eo vel non repugnante, vel victo, & inuito. Nam vt rationalis pars roboratur, ita irrationalis hebescit: appetitiones tamen, & affectus non extinguuntur (licet magis in vno, quàm in alio vigeant) nisi alteratur temperies, aut corpus extinguitur. Propterea D. Paulus queritur, datum sibi esse stimulum carnis. In actionibus igitur ciuilibus, ex assuetudine non fit aliud, quàm aut ab ignorantia ad cognitionem transitus; aut, si duæ potestates idem agere possunt, altera nonnumquam percepta voluptate insurgit, altera hebetior ignauia reddita torpescit. Aliquando igitur irascibilis, aliquando concupiscibilis hebes redditur, aliquando verò rationalis. Atque ita potestates animæ, veluti desides corporis partes, fiunt exercitatis imbecilliores; numquam tamen pars bruta sit per obedientiam rationalis: nam numquam cedit, sed aliquando cogitur. Demum vt fieri non potest, vt pars rationalis sponte obediat irrationali, sed interdum vincitur; ita de irrationalibus censendum est; nam à rationali superantur, & illi inuitæ subiiciuntur; quique habitum bonum contraxit, omnia potestea paruo negotio recte agit. Itaque vt simus naturæ mediz inter bruta, ac diuina; non

Ethic. lib. 1
 c. 13. & lib.
 2. c. 1. & 3.

Orator In-
 sit. lib. 6.
 cap. 1.

Ethic. lib. 3
 cap. 1.

uina; non necesse est, vt pars irrationalis rationali obediat, sed tantum vt apti simus recte, & secundum rectam ratione in moueri; cumque bruta sensitua potestate semper operentur, nos aliquando sensitua, aliquando verò rationali operemur, Sed cætera, quæ huc spectant, commodiori loco sunt reseruanda.

DE POTESTATVM, ET PRIMVM
rationalis in singulis actionibus, & in omnibus regula,

Cap. VII.

10



VM igitur ad humanam perfectionem rationalem partem validam, irrationalem verò imbecillam esse oporteat; potestatum autem validitas (vt dictum est) exercitatione comparatur, imbecillitas cessatione adueniat; videndum nunc est, quando, ac quomodo rationalis exerceri, irrationalis verò cessare debeat. Non enim rationali semper laborandum est, neque irrationali semper quiescendum, sed hanc aliquando operari, illam autem aliquando quiescere necessarium est, vt conseruetur homo, & vtraque eius animæ pars suo munere recte fungatur. Hæc autem vicissitudo prudentia indiget, quæ hominem nihil temere, nihil inconsultò agere permittit. Sed in omni motu cuncta à principio ad finem percepta habere, & se, suaque obiecta, ac bona, & denique finem, & omnia, quæ ad eum tendunt, non solum commode cognoscere, sed appetere, & prosequi docet; ita vt prudens, obiecto quouis oblato, ipsum possit cunctis potestatibus vno intuitu dijudicare. Quo fit, vt neque incontinenter agat, neque delinquat. Etenim antequam prauos habitus contraxerint homines, peccare plerumque solent, quia obiecta, vnica dumtaxat potestate, eaque irrationali considerant, veluti conspectam mulierem pulchram esse. At est (dicet prudens) vxor alterius, quem iniuria afficere haud æquum est. Omnia igitur obiecta cunctis potestatibus cognoscit prudens, & ex præteritis actionibus ita affectus est, vt in eo nobilissima potestas aut dominetur, aut certe excellat, & recte statuere possit, quibuscumque obiectis propositis, quod potissimum sit eligendum. Quin ipsa obiecta bona illum necessariò trahunt; prauis autem ideo prauis sunt, quia imprudentes; non enim cunctis potestatibus singula obiecta perpendunt. Itaque prudentia (vt alibi dicemus) est agendarum rerum, & expendarum cognitio: cum verò expetenda moueant, seu vt fines, seu vt deducantur ad finem; videbitur prudentia tam finis, quàm eorum, quæ ad finem cognitio esse. Quamobrem Aristoteles principium ex prauis operationibus corrumpi asserit: nam ex eo, quòd sæpe aliquo bono gauisi sumus, fit, vt in vniuersum cognoscatur, & appetatur vt bonum: propterea ex praua consuetudine principia destruantur, hoc est, gignuntur in nobis noua principia. Vt enim in cognitione, ita in appetitione, genito vniuersali, fit habitus semper sic iudicandi, atque appetendi; non tamen necessariò fit (quamuis ille sit bonus) vt semper recta agamus: nam ob ignorationem, & ex accidenti, errata nonnulla committi possunt; puta, vt malum pro bono iuues, aut bonum lædas pro malo. Hæc autem prudentia vel propria agentis est, vel aliena. Propterea Hesiodus optimum illum esse dicit, qui per se omnia cognoscit; ei verò proximum, qui obtemperat recta monenti. Et magna quidem ab adolescente habenda Deo gratia est, si prudentem educatorem nanciscitur; si tamen eo destituitur (modò illius rudis tantum, non malus sit animus) minime illi difficile erit, rationalis partis opera proprio consilio recte peragere, & iuris, atque honestatis ductu ad ipsam prudentiam contendere. Nam primùm à læsione omni, & iniuria abstinendū est; qua in re ita omnes natura comparati sumus, vt nisi

Ethic. lib. 7
cap. 8.

ut nisi volentes non erremus; deinde exercenda est humanitas: hominibus enim prodesse natura iubet. Cum autem ad humanitatem, rationemque exercendam innumera alieni commodi causa fieri possint, pro diuersitate personarum, locorum, ac temporum inter se diuersa; illud est in summa considerandum, num id, quod agendum proponitur, sit dignum agente, loco, ac tempore, commoditatem merentibus afferre aptum, & agentis viribus perfici valeat. Deinde consultandum, quænam ad illius absolutionem exigantur. Postea num ea, quæ necessaria esse videntur, comparari possint. Præterea num labores, aut dolores, qui pro illius operis perfectione sumuntur, superent commoditatem, honestamque voluptatem, quæ inde prouentura speratur. Postremò, num eodem tempore, eodemque labore, ac dispendio, aut etiam minore, aliud obiectum consequi liceat, æque, aut etiam magis commodum: sic enim fortasse fiet, vt quod nobis antea per se bonum videbatur, postea in comparatione non videatur bonum nobis, hoc loco, vel tempore, vel simpliciter, & ita vel appetere desinamus, vel saltem non prosequamur. Nam quod attinet ad spem, & metum, id in vniuersum sciendum, metum esse opinionem incommodorum, & impedimentorum, spem autem commodorum: qui igitur impedimenta tantum respiciunt, semper metuunt; qui verò commoda, atque adiumenta, semper sperant: errant tamen vtrique, nam deberent vtrumque considerare, & expendere, num impedimenta ab adiumentis superentur, an contra; & tum demum aut sperare, aut metuere. Cum verò in dubio res est, certum tamen sit inceptum prosequi, sperandum est porius, quàm metuendum, siquidem spes actionem adiuuat. At ij reprehendendi sunt, qui licet intelligant, nullo modo se consequi posse, quod optant, vt defuncti filij, vel amici conspectum; desiderio tamen confici, ac mœrore non desinunt, ita vt videantur aduersus diuinam sententiam certare velle. Qui igitur ea tantum appetunt, quæ assequi possunt, moderati sunt existimandi, eaque prosequi, quæ ipsis conueniunt. Itaque quoties bona huiusmodi offeruntur, quæ agendo adipisci possimus, non dubium est, quin sint prosequenda. Neque enim obijciendum est, maiora offerri bona posse: nam quocumque oblato, id, quod antea vt bonum offerebatur, bonum præterea non erit; prout etiam, si labores, aut dolores boni alicuius gratia suscipiendi ipsum superare comperiantur, efficient, vt bonum postea videri desinat. Quod si vno tempore plura bona nobis offerantur, cunctis perpensis, optimum prosequendum est; quale illud erit, quo nemo lædetur; & multi bene merentes adiuuabuntur, modò id non maximo negotio consequi possimus. Atque id secundum rationalem potestatem agenti conueniens, decorumque iudicabitur; & quasi quædam expetendorum, ac prosequendorum mensura, ad quam qui aspirare nequit, prope saltem conetur accedere: non enim ea cuique contingit prudentia, vt semper medium, & exactum valeat attingere. Qui autem id assequi per se non potest, alios consulat, aut eorum exempla sequatur, qui propius cæteris accedere. Quod ex hominum de ea re iudicio patet. Non solum autem conari nos oportet, vt vnam, aut alteram probam actionem edamus, vt quidam solent, qui boni videri, quàm esse malunt; verùm etiam vt habitum contrahamus omnia recte agendi. Sic enim vniuersali à parte cognoscitiua percepto, & habitu recte secundum illud appetendi contracto, fiet, vt actiones omnes semper similes, rectæque sequantur: & ipse agens sibi constans, sibi que similis semper appareas; vel assidue bonos iuuando, vel se ipsum comparando, vt scientia, ac potentia iuuare possit, & constanter velit. Quoties igitur quis semel, aut bis recte egerit, niti eum necesse est, alias actiones illis similes reddere; si verò antea non recte egerit, similitudinem seruare non debet, sed enixe prius operam dare, vt actiones probæ, rectæque sint, eas assidue in meliores immutans; idemque de appetitu, & cognitione dictum intelligatur.

Reperiuntur

Reperiuntur autem nonnulli, qui cum semel, aut bis quidpiam, quamuis male, egerint; tamen, vt sui similes videantur, in eisdem actionibus perseverant. Hi verò dupliciter peccant, primùm quidem quòd mala obiecta sequuntur, deinde quòd bonum arbitrantur in eadem electione permanere. Hæc autem, quam similitudinem diximus, proprie similitudo non est, sed potius proportio quædam: non enim vniusmodi semper sunt actiones, neque eodem modo cum omnibus hominibus, & circa omnia obiecta versandum. Sed vt in humano corpore plura sunt membra forma, & magnitudine inter se differentia; ex cunctis tamen, cum proportionata sunt, resilit corporis pulchritudo; ita cum actiones inter se proportionem seruant, licet aliæ ab alijs magnitudine, & genere differant; omnium tamen simul, cum ad vitam recte operantis accommodantur, species quædam emergit, ac pulchritudo, quod proprie decorum dicitur. Etenim singulæ actiones, cum honestæ sunt, pulchræ appellantur, quod delectent cognoscentis intellectum, quasi oculum animæ. Omnium autem proportionem seruantium congeries, decorum vocatur, quòd recte agentem præcipue deceat. Vt autem corporis pulchritudo bonæ valetudinis indicium est; ita decorum probæ animi constitutionis. Et vt diuersa hominum corpora diuersam pulchritudinem sortiuntur; ita diuersi eorum ordines, ætates, ac qualitates diuersam decori rationem exposcunt. Diuersum enim est Principis, ac priuari decorum, iurisperiti, ac militis, senis, ac iuuenis, cæterorumque similiter. Decorum autem, quod personæ in poematibus seruire dicuntur, huius est velut umbra quædam: nam cum veras hominum actiones referant, quandam etiam decori rationem admittunt. Accommodant enim Poetæ singulis pro sexu, ætate, qualitate, ac dignitate, suos quosdam mores, & secundum eos fingunt similes actiones reddere; quod nisi faciant, decorum seruasse negantur. Ex præceptis igitur superioribus vidimus, quomodo singulæ actiones probæ reddi possunt; ex ijs autem, quæ de decoro, quomodo omnes, & quomodo boni rationalis partis habitus fieri debeant.

30 DE IRRATIONALIS PARTIS

in singulis actionibus, & in omnibus regula.

Cap. VIII.



40 **V**EMADMODVM ad appetitionem, ac prosecutionem obiectorum, quæ ad rationalem partem spectant, prudentia exigatur; dictum iam est, vt crebræ eius sint actiones, & validitas partis sequatur, bonique habitus contrahantur. Ad euersionem autem, fugamque eorum, quæ ad irrationalem partem attinent, vt imbecilla reddatur, nec derur prauis habitibus locus, longe maiori prudentia est opus: magis enim hæc freno, quam illa calcaribus eget, quòd natura omnes ad huius partis libidines, ac voluptates procliuues simus. Nam ab ipsis incunabulis, antequam nobis rationis vsus adueniat, ætatis infirmitate adducti sensuum illecebris assuescimus, ita vt cum ad rationalia opera per ætatem accingimur, parum absit, quin nonnullos irrationalis partis prauos habitus iã contraxerimus; neque incorrupti (vt recte Aristoteles asserit) de ipsa voluptate iudicemus. Quamobrè desuescere ab huiusmodi actionibus, & appetitibus, atque etiã cognitiones immutare necessariũ est; vt vniuersalia imprudenter çtatis vitio inchoata prius dediscantur, quã noua illis contraria colligamus, & novos cõflare habitus, nouaque principia veterũ corruptione incipiamus. Hoc autè fere cunctis pueris cõmune est: prima enim ætas blanditias quædam, & delinimèta desiderat, quibus statura, viresque alantur, & confirmantur. Verũ

*Ethic. lib. 2
c. vii.*

I firmitudine

firmitudine quapiã adueniente, illa viuendi libertas, in pueris saltem honestiore loco natis, à moderatore coercetur, vt non id, quod liber, & quod consueueret, sed quod licet, & honestum est, id sequantur. Tunc igitur novos mores sensim assumere incipientes, à sensuum voluptatibus eò sunt diligentius custodiendi, quò facilius repetitis ijs, quibus assueuerant, pars irrationalis roborari potest. Contra ac nonnullos opulentiores videmus, qui cum suis liberos docere deberent opum copia recte vti; laxatis, aut etiam detractis habenis, liberius illis frui permittunt. Quò fit, vt sæpe, prauis in tenera ætate contractis habitibus, adolentes præcipites ruant. Vt igitur boni habitus optandi, summoq. studio comparandi sunt, ita prauis enixe fugiendi, ac pertimescendi. Priuant enim sua libertate, animique tranquillitate hominem, rationem irrationali parti seruire cogunt, & veram voluptatem, ac felicitatem impediunt. Originem autem ducunt à primis ijs voluptatibus, quæ à nobis initio rudibus, concupiscibili, & irascibili potestate sumuntur. Nam sua dulcedine (vt dictum est) alliciunt ad eas iterandas actiones, quibus sumptæ sunt, & in dies validius ad alias similes repetendas compellunt; & eò tandem perducunt hominem, vt ab ijs temperare nequeat, sed ab eisdem obiectis, vel inuitus, & transuersus rapiatur. Principijs igitur obstandum, cum facile abstinere possumus à voluptatibus nondum perceptis, vel quæ sua frequentatione, & crebra reiteratione callum in anima nondum obduxerint, nec illius imperium occupauerint. Nam simile est, ac si quis miles in arcem abs te possessam solus irrumpat, vt te inde excludat: facile est enim illum ab initio solum tuis viribus, & satellitibus inde deturbare. Sed si alium illi adiungi permittas, & item alium, atque alium, aucto numero, & viribus hostium, tuo permissu, & patientia, te inuitum ex ea non difficulter extrudent. Eodemque modo singulæ partis irrationalis actiones, ac voluptates nullo negotio reprimi possunt; sed si repetitæ vires assumpserint, imperantem rationem excludent. Et vt difficile est, captam semel arcem, & extortam è manibus recuperare; ita etiam rationis libertatem, postquam eam tua ignauia rationalis partis seruam reddideris, quod est prauum habitum iam contraxisse. Nisi igitur principijs obstes (quod ait Orisidius) *serò medicina paratur, cum mala per longas inualuerit moras*. Ex voluptate enim repetita fit habitus, vt ex poculis repetitis ebrietas. Et vt pisces hamo, aut esca incauti capiuntur; ita sensitiva voluptate homines, quam idcirco malorum escam appellare Platonem diximus. Maxime igitur à sensitivis voluptatibus temperandum est, & quamuis dicamus, seruandam inter potestates harmoniam esse, nihilominus, etiam si ea seruata, magnam aliquam huiusmodi voluptatem capere liceat, expedire tamen videtur, vt non nihil de eius magnitudine detrahatur. Nam semper verendum est, ne à præstantioribus actionibus animum auertat, & ad alias similes capiendas inuitet. Etenim si pro nostra dignitate semper delicatioribus cibus vesci nos deceat, neq. ea res suis operationibus partem rationalem prohibeat, *facilius tamen est, ab epulis valde lautis abstinere, & vulgaribus, aut mediocribus assuescere*. Idemque de potu, atque etiam fortasse de vxore statuendum est; nimirum vt si cui, quæ quotidiana sit forma, nubere possis, eximiam alterius pulchritudinem nõ desideres. Sæpe enim vidimus insigni virtute homines à rebus gerendis nimio vxoris amore fuisse distractos, ac timore, ne ipsis absentibus alienis illecebris illa caperetur; vt olim in Cleopatraz fuga M. Antonius declarauit. Quæ de concupiscibili potestate dicuntur, de irascibili pariter dicta censenda sunt. Semper autem laudabitur ab immodicis sensuum voluptatibus abstinens, præsertim si eò abstineat, vt commodius ratione vti, hoc est, vt hominibus beneficia conferre non impediatur. Cohibendæ igitur eiusmodi actiones, & appetitiones sunt; & (vt M. Antoninus Philosophus inquit) *cuiusmodi, vt paucis nos egemus, vt omnibus prodesse possimus*. Siquidem ea ratione Deo, quæ si patitur natura nostra, similes eua-

les euadimus. Itaque scopus sit sensuum obiectis, & voluptatibus, necessitatis, & rationalis partis gratia uti; ut quanto magis fieri possit, eam exercere possimus: & hoc demum modo inter animae potestates harmonia constituenda est, ut ratio semper dignioris sociæ locum obtineat, cum ignobiliora in nobis à natura nobiliorum gratia (uti diximus) condita sint. Et ut se habent inter se potestates, ita & earum perfectiones, nempe voluptates. Quamobrem nulla est voluptas admittenda, quæ rationalis potestatis operationi, ac voluptati longe cæteris præstantiori repugnet, vel eam quoquo modo impediatur, vel potius illi non subministret. Verum ratione ipsa admittente, nulla est omnino repudianda.

10 Nam interdum defatigata rationalis pars relaxatione eget, præsertim in Principibus, summæque auctoritatis, ac potentiæ viris, ne molestiarum, negotiorumque mole obruantur, sed ea opportune refecti ad propria munera obeunda alacriores redeant. Conandum est igitur, ut pars irrationalis voluptatum desuetudine hebes reddatur; rationalis verò assuetudine, & continua exercitatione roborata habitum recte agendi, ac iuuandi contrahat; adeoque reliquis potestatibus fiat validior, ut numquam aduersus eam insurgere audeant, sed ad proprium finem tendentem perpetuo comitentur, ac iuuent. Hac enim ratione cum idem finis potestatum omnium fiat, nimirum honestas, hinc earum actiones, ut ad eam tendentes, omnesque voluptates honestæ erunt.

20 Cum verò ea sint honesta, quæ, rationali parte recte se habente, ad eorum commodum fiunt, qui eo digni sunt, ea, quæ nos irrationali parte proprii commodi causa agemus; tunc honesta erunt, cum necessaria tantum prosequemur, eaque, quibus digni sumus; quæ quo pauciora fuerint, & alienam commoditatem minus impediuerint, eò honestiora iudicabuntur. Nostra autem commoda libere querere, & capere possumus; cum aliena nequaquam propterea impediuntur. Sic enim irrationali parti indulgetur, non inuita, neque repugnante ratione; & naturæ paremus, quæ nostra causa paucis contenta est, ei que congruenter viuimus. Cauendum tamen omnino est ab obiectis fascinantibus, ijs videlicet, quæ ob nimiam, quam afferunt, voluptatem, licet in præ-

30 sentia rationem haud impediunt, in posterum tamen sunt impedimento, quippe quæ vel amorem, vel morbum, vel ignominiam, & perniciem pariunt. Pulchre enim Seneca: *Mala (inquit) pro bonis petenti, periculosum est assequi. Ut feras cum periculo venamur, quæ saepe capta laniant dominos.* Et nonnulli quidem tenent amicam, nonnulli verò (ut Chrysippus ait) ab amica tenentur.

DE PRÆCEPTIS POTESTATVM,

ne altera alteram impediatur. Cap. IX.

40 **H**ACTENVS quo pacto singulæ potestates propria sequi debeant obiecta, ne errent, & ut sibi congruam voluptatem, & homini utilem, ac necessariam ad sui finis adeptionem percipiant; nunc autem considerandum est, quomodo prosequi illa debeant, ne altera impediatur alteram, & quælibet bonum proprium sine alterius incommodo adipisci possit: sic enim à nobis inuenietur, quod inuestigamus, nimirum in singulis actionibus id, quod homini optimum est. Quoties igitur aliquod alicui offerretur obiectum, facillè ex ijs quæ dicta sunt, intelligere poterit, num simpliciter potestati vlli sit bonum, & ex duobus quodnam melius, ex pluribus verò quod optimum; 50 idemque in malis est expendendum. Itaque proposito quoque, quod vni potestati sit bonum, examinandum est, num alij forte sit malum, vel per se, vel ex accidenti; ut si (quod paulò ante dictum est) aliena vxor offeratur,

I 2 ea si

ea, si pulchra sit, concupiscibili potestati per se bona videbitur; rationali autem per se mala; si vero non alterius vxor, sed propria eius sit, cui offertur, erit per se quidem concupiscibili bona, rationali autem mala per accidens, si quando illius actionem impediatur; eodemque modo de ceteris obiectis statuendum est; Nam si idem bonum sit omnibus, non dubium est, quin sit prosequendum, ut propria vxor congruo loco, ac tempore, ubi nihil impediatur. Cum igitur offertur obiectum vni potestati bonum, alij vero per se, vel per accidens malum; si probe dispositæ sunt potestates, & singulæ sua obiecta cognoscunt, ac prosequuntur, semper inter eas pugna oritur; si autem male sint dispositæ, vel omnes, vel earum altera, aliquando non pugnatur, quod etiam accidit, cum ex ijs aliqua non animaduertit. Quod autem de obiecto dicitur, de motu est etiam intelligendum, deque ceteris, quæ exiguntur, ut voluptas ex eo obiecto percipiatur; quæ omnia exacte perpendenda sunt, ut omnino cognoscatur, quidnam voluptatis afferre, vel doloris possit. Itaque si in obiecti oblatione potestates inter se pugnent, seu magna sit, seu parua contentio; semper ad prudentiam perfugiendum, & arripienda est consultandi occasio. Etenim sæpe fit, ut animo ad alteram partem propendente, inter voluptates, ac dolores recte diiudicare non valeamus, & exiguis propositis voluptatibus, eas prosequamur, dolores, qui consequi ex illis possunt, negligentes; aliquando vero exiguis doloribus præsentibus, à magnis voluptatibus auocemur. Omnino igitur cauendum est, ne nos obiectorum præsentia adeo attrahat, ut inter voluptates, ac dolores ferre sententiam nequeamus. Cum igitur aut vitiose, aut inconsiderate agemus, nulla quidem inter potestates erit dissensio, prorsus tamen male agemus, & leuis præsentis voluptatis causa in graues dolores incidemus, aut maiores amittimus voluptates. Cura autem vitij difficilior erit, & à nobis, ubi opportunum videbitur, haud negligetur. Iis vero, qui inconsiderate ad agendum accedunt, præcipiendum est, ne quid inconsulta ratione aggrediantur, neu continuo oblata voluptati se dedant; sed omnia prius diligenter expendant, ac, si sibi consilio opus esse cognoscunt, alios prudentes consulant, & suos, vel alienos errores reminiscantur. Sapiens enim est, qui suo, sapientior tamen, qui alieno periculo sapit. Eaque consilia, quæ amicis darent, cum eadem postulare occasio, sibi ipsis sumant, & in suum vsum conuertant; considerantes quo in statu futuri sint post admissum errorem, & in quæ pericula fortunarum, existimationis, vel vitæ, exiguae voluptatis causa, se, suosue sint præcipitaturi; & respicientes suam innocentiam quanti redimerent. Recte enim Demosthenesi *Paniterre* (inquit) *santi non emo*. Quod si qua potestas sit ab altera impedienda, curandum agenti, nè saltem ab ignobiliori nobilior impediatur: nam cum nobilioris operatio præstantior sit, eius impedimentum non sine iactura accidere potest. Ut si irascibilis à concupiscibili impiretur, quod paulò superius de M. Antonio dictum est: aut rationalis ab vtraque, ut in Nisa, & Medea fabulantur. Verum cum huc vsque à nobis cunctis potestatibus præcepta communiter tradita sint, nunc superiorem ordinem sequentes, quæ cuique singillatim præcipienda videntur, exponemus.

DE PRAECEPTIS VEGETATIVÆ

potestatis Cap. X.



ONCVPISCIBILIS igitur potestas, irascibilis, ac rationalis (vt superius dictum est) cognoscunt singulæ, appetunt, ac prosequuntur obiecta. Vegetatiua autem per se quidem cognitione, & cognoscitio appetitu caret, ideoque non prosequitur, neque morrice vititur potestate; sed calor tantummodo intus operans, eaque assimilans, quæ admouentur, alterare, & in nutriti naturam conuertere potest. Cumque naturaliter, & necessario operetur, vt aliquid plus, minusue agat, doceri nequit; sed gustus, ac tactus, qui ei sunt quasi duces, & ratio ipsa, instrui possunt, vt ea admoueant, ac remoueant, quæ potestati ipsi per se brutæ commoda, vel incommoda sint futura. Calor igitur (siquid extrinsecus non impediatur) commode suo munere intus fungetur: attrahet enim, retinebit, concoquet, & assimilabit, idque expellet, quod assimilari non poterit. Quod verò attinet ad ea, quæ in cibo, potuque sumuntur, eiusmodi omnia sint oportet, quæ gustui moderato, sani videlicet hominis, satisfacere apta sint: quod si qua sensum decipere posse videantur, medici iudicium adhibendum est. Sumere autem oportet, quantum, ac quando ipse naturalis appetitus dictabit. Quando verò valeant homines, & appetitus sit naturalis; ipsi aut per se cognoscent, aut consilio peritorum vtentur; vt etiam si quis non appetat, aut saporibus minus probe percipiat, medicum, cocumue consulat: ille enim curat, vt salubria; hic, vt suauia comedantur; quo fit, vt interdum in epularum ordine discrepent. Gustus autem cum suam voluptatem inquirat, nec appetitu naturali, sed suo ducatur; sæpenumerò vegetatiuæ potestati est impedimento, & vniuerso etiam corpori nocet; cum propriæ oblectationis gratia, plura ingerat, quàm oporteret; eaque, quæ ipsam aliquando valetudinem lædunt. Quæ cum omnibus (vt superius dictum est) seruiat potestatibus ad suas functiones recte obeundas, non mediocri diligentia est conseruanda; præsertim cum eius conseruationem vitæ quoque longitudo, & suauitas comitetur. Qui igitur immoderato gustu ducuntur, graui reprehensione digni sunt, quod cunctas impediunt potestates, & breuem, quamdam, exiguamque voluptatem diuturnis, & maximis anteponant. Longe autem magis carpenti sunt, qui tactus voluptatibus dediti naturalis appetitus regulam non agnoscunt, sed in venerem brutorum more feruntur: grauius enim vires prosternunt, & valetudinem magis affligunt, vitamque diminuunt. At qui in venereis occupati ipsi etiam naturæ aduersari non dubitant, maxime omnium sunt detestandi: nam actuum vitæ rudes, & incautos, quos bonis moribus imbuere oportebat, corrumpunt, & humanitate omni abiecta (quantum in se est) ipsam quoque humanam speciem delent. Vtriusque igitur sensus excessus æque fugiendi; tactus autem flagitia valde abominanda sunt. Itaque vegetatiua potestas tum demum recte habebit, suaque munera sine reliquarum potestatum impedimento obibit, cum rationalis pars, temperantiæ habitu comparato, sensitiuam partem moderabitur. Iis verò obiectis assuescendum est, quorum vsu bona valetudo non læditur, & humanitas nequaquam amittitur, aut imminuitur. Somnus autem, quem vel simpliciter, vel potissimum ad hanc potestatem diximus pertinere, cum in eo maxime operetur, primi sensorij ligatio, siue impedimentum ab Aristotele dicitur. Contrahitur enim calor, & cerebrum relinquit,

De somno, & vig. c. 2.

vt concoctio fiat. Itaque dormire omne, quod vigilat, necessarium esse, cum sit requies animalibus ad eorum salutem tradita. Ipse verò somnus vitæ pars est, viuere autem, quàm diutissime dormientem (prout Endymionem ferunt) nemo sanus eligeret: non enim hominis, neque animalis est proprie vita, sed inter vitam, & mortem medium quoddam. Nam vita hominis, quam esse actionem diximus, vigilia est. Quamobrem Aristoteles, *felices* (ait) *dimidio vitæ ab infelicibus nihil differre*, Propterea Poetæ mortis fratrem somnum appellant, & Homerus mortem, ac somnum gemellos vocat. Hinc à Virgilio *consanguineus lesbi sopor*; ab Ouidio autem *gelida mortis imago* dicitur. Non valde igitur amandus, aut quærendus est somnus, cum mortis frater sit, & imago, & cum nobis vitæ dimidium auferat, vt de Publicano dicit Plutarchus. Sed & C. Plinius: *Aestimatione* (inquit) *nocturna quietis, dimidio quisque spatio sua vitæ vivit*. Nemo igitur tam vitæ prodigus esse debet, vt ad naturalem, communemque iacturam vltiò portionem aliquam addat: perit enim tempus omne, quod præter necessitatem somno traditur. Nos igitur censemus, spectandum in eo esse naturæ consilium, & tamdiu dormiendum, quamdiu valetudinis ratio postulat. Quod complures sapientes, ac præcipue Plato affirmat. Is enim, *quicumque* (inquit) *vinere, & sapere cupit maxime, quàm longissimo tempore vigilet, sola valetudinis commoditate seruata; ad hanc verò non multo opus est somno*. Hæc ille. Gustus autem, ac tactus moderationem, somni quoque modus, ac leuitas, & puriora sequentur insomnia.

Ethic. lib. 1
cap. vlt.

Iliad. 16.

De contēt.
ignis, & 3.
quæ.

Natur. hist.
lib. 7. c. 50.

De Leg. 3.

DE PRÆCEPTIS MOTRICIS POTESTATIS.

Cap. XI.

MOTRICI autem potestati præcepta tradere difficile est, cum humani corporis motus diuersorum generum sint, & innumeri. Cum verò omnes motus, qui non temere fiant, aliquis sint finis gratia, vt recte agantur, finis est aliquis statuentus, ad quem omnes, cuiuscumque sint generis, spectare, ac tendere debeant, siue mediati sint, siue immediati. In tanta autem motuū multiplicitate nullus statui finis aptior potest, quàm honestas, vt is demum motus probandus dicatur, qui ad eum finem dirigitur, qui etiam ipse humanitatis, & rationalis partis est finis. Neque vllus omnino sit admitteendus, qui honesto alicui fini non sit utilis, aut necessarius. Illi enim motus damnandi sunt omnes, qui ad oppositum honestati finem, aut ab ea diuersum contendunt. Illi verò temerarij sunt appellandi, qui sine carent. De reliquorum autem artificum, aut etiam ludentium motibus non est hic sermo: nam cuiuslibet sui sunt ad suum finem motus, ab ijs diuersi, de quibus nunc agimus: quamquam & ij comprehenduntur, si eorum finis honestus est. Ciuilis enim artificis corporeis motibus in præsentia finem proponimus. Cum igitur ab homine præcipuus motus obiectorum causa fiat, quæ sunt potestatum propria, bona, vel mala, vt hæc fugiat, illa sequatur; dum mouetur homo, se ab aliquo alicuius potestatis obiecto trahi significat, aut temere moueri, hoc est (vt diximus) ad nullum finem. Cum autem corpus naturale animæ instrumentum, coniunctumque sit; dum ipsum, eiusue partes mouentur ab anima, facile est ex eo motu de mouentis animæ statu, & propensione iudicare. Vt enim ex laterna lumen, ita ex corpore translucet anima: & vt ex motu instrumenti, de artificis, qui eo vtitur, arte, vel inertia iudicamus; ita ex humani corporis motu non solum de animæ solertia, & hebetudine, verum etiam de probitate, ac nequitia conijcere possumus. Qualia enim sunt obiecta,

- obiecta, quæ sequitur, & qualis est, quo ea sequitur, motus, talis & ipsa cense-
 ri debet. Nam non minus ex corporis motibus, quàm ex oratione innotescit:
 ex nonnullis autem longe magis, vt ex oculorum inflexione, ex risu, ac fletu,
 alijsque non paucis, Nulli igitur motus, siue à toto corpore, siue à singulis eius
 partibus, nisi ratione dictante, fieri debent. Semper enim hominem humani-
 tatis opera meditari decet, & semper ei ante oculos obuersari debet honestas,
 ad cuius normam motus omnes sunt dirigendi; ita vt ijs nemo omnino lædatur,
 sed quantum fieri possit, iuuetur, aut, seruata modestia, delectetur. Et licet ad
 concupiscibilem potestatem, aut irascibilem plurimi motus pertineant; nihilo-
 19 minus eos quoque ratione duce vti consentaneum est; ita vt etiam in cupidi-
 tate, vel ira appareat ratio, & reliquarum potestatum motibus tamquam mo-
 deratrix videatur assistere. Propterea conandum est in qualibet ætate, qualita-
 te, ac dignitate, necnon loco, tempore, ac negotio eiusmodi motus edere, qui
 probam educationem, prudentiamque redoleant; nullamque suspicionem præ-
 beant animi ab honestate, & ab humanitate auersi, & quantum magis fieri possit,
 ab omnibus comprobentur. Sic enim à turpitudine, ac temeritate aberunt, &
 decorum, de quo superius dictum est, sequuntur. Vt cum iuuenis motus celeres,
 ac venusti, senis verò tardi, ac graues, & cum auctoritate, & dignitate erunt,
 & maxime rebus, quas tractant, accommodati. De leuium autem hominum,
 20 aut etiam amentium motibus, non est cur à nobis sermo fiat: sani enim eos co-
 gnoscere, & vitare facile possunt. Verùm ij præ cæteris magnopere vitandi sunt,
 quibus aliqua adiuncta est turpitudine; præterea ij, qui socijs sunt molesti. Non-
 nulli enim latus fodiunt (vt ait Horatius) aut percutiunt humerum eius, quem
 alloquuntur. Sunt & qui vel otiosum animum, & supinum, vel aliud agentem
 arguant: otiosum quidem, vt manuum, aut digitorum coram grauibus, & pru-
 dentibus viris pulsatio, ac gesticulatio: aliud agentem, oscitatio, ac pandicula-
 tio. Vnde non iniuria Romæ olim à Censoribus Senatu motos nonnullos legi-
 mus: consilio enim, & opere adesse eos, qui rempublicam gerunt, non aliud
 agere oportet. Nonnulli etiam quarundam partium motus animum ostendunt
 30 à re, qua de agitur, discrepantem. Nam interdum quosdam loquentes videmus,
 quorum vultus cum oratione non consentit, quòd fingere illum nesciant; vt
 qui, cum hilarem faciem præ se ferre, & frontem explicare deberent, vt fit in
 congratulatione, illam contrahunt; in mœrore verò, ac luctu renident, vt Ca-
 tullianus Egnatius. Hi autem non minus in actione solæcismi appellandi, ac
 damnandi sunt, quàm ij, quos in quibusdam Oratoribus notatos legimus, qui
 eum in aliqua orationis diuisione, duos digitos tollere debuissent, tres profere-
 bant. Viles præterea ij sunt motus, qui ab humilibus nonnullis in alicuius con-
 temptum, & contumeliam fiunt, & vilium rerum speciem referunt; qui omnes,
 vt viro bono indigni penitus sunt fugiendi. In summa, motus omnes mode-
 40 stiam, prudentiamque præ se ferre debent. Præsertim ij, qui ciuilibus artificis pro-
 prij sunt, quibus egregiorum virorum dignitates, & merita significantur. Ita
 vt ex illis agentis virtus, ac probitas non absque elegantia quadam, & venu-
 state, ab inspectantibus conijci, & laudari possit. De ijs autem suo loco, quæ
 necessaria videbuntur, dicemus. Stanti etiam, ac sedenti, & omnino quiescen-
 ti, compositionis corporis, & membrorum omnium cura habenda est, cum à
 præstantibus viris, vt à Iulio Cæsare, alijsque non paucis, honestam corporis
 constitutionem quæsitam vel in ipsa morte legamus.



SENSITIVAM verò potestatem traditam nobis cognitionis obiectorum, & reliquarum potestatum gratia diximus. Cognoscenda enim nobis sunt obiecta primùm quidem ad nostram conseruationem tam in indiuiduo, quàm in specie; alioqui cetera essent inania, deinde ad aliorum hominum commoditates. Si igitur ad ea singulis sensibus vti volumus, ad quæ nobis illos natura indidit, id solum videre, aut audire curandum est, quod visum, aut auditum nobis, alijsue hominibus alicui esse vsui potest, idemque in cæteris. Nam quæ singulis sensibus priuatas afferunt voluptates, vt pictura, cantus, aliaque huiusmodi, non tam fortasse, vt inde proficiamus, quàm vt oblectemur: ea, si solam voluptatem parere possunt, aut numquam, aut rarò sunt expetenda, nempe tum, cum visarum, auditarumue rerum molestia, & satietate laboramus. Etenim natura, cum cognosceret fieri non posse, vt quæcumque visa, aut audita conferre apta sunt, sensus delectarent, quin plura animali conferre, quæ molesta essent, magnam quibusdam obiectis voluptatem inseruit, vt inde animal recrearetur. Verùm vt dulcia inepta nutrire, vel apta lædere, non edenda, sed fugienda sunt; ita spectacula, comœdiæ, aliaque huiusmodi, quæ non sunt ad iuuandum idonea, reiicienda. Nam cum totus homo ad beatitudinem genitus sit, quæ ex alienis commodis aduenit ab ipso collatis, existimandum est, eius partes, cum torius naturam sequantur, ad eundem finem traditas esse. Non enim totum operari honestatis causa posset, nisi quælibet pars ad eundem finem conspiraret. Tota igitur sensitiua potestate, & singulis sensibus ad nostras primùm necessitates vti debemus. Quod tamen quò parcius fiet, eò laudabiliores erimus, vt in aliena commoda liberius, diutiusque possimus incumbere. Itaque caute, & circumspecte quolibet sensu vti oportet, ne quando imprudenter nostrum officium deseramus; quod fiet, si ad nostras voluptates eo abutemur, & obiecto aliquo sensitiuo illecti à cura, & cogitatione propriæ utilitatis, & alieni commodi auocabimur. Vt opulenti accidunt, qui in ludis, delicijsque assidue detinentur. Ludi enim omnes, qui non vtiliter animum, corpusue exercent, damnandi sunt. Deliciæ verò emolliunt animos, atque eneruant. Longe autem deterius cum ijs agitur, qui reliquorum sensuum obiectis, nimirum odoribus, crapulis, & scortationibus totos se dedunt: desinunt enim homines esse, ac præter summam ignominiam, habitus intemperantiæ detestabiles contrahunt, aut in morbos incidunt, quibus tam ad sui, quàm ad alieni commodi comparationem redduntur inepti. Ii verò maxime omnium sunt vituperandi, qui proprios sensus, etiam cum alieno detrimento delectant; vt qui alienis cibis, & amoribus per vim, & iniuriam fruuntur. Cuncti igitur sensus accuratissime sunt hominibus, præcipue in adolescentia, custodiendi, ij præsertim, quorum applicatione ad sua obiecta facilius, & grauius labimur; vt visus, atque auditus; qui sunt reliquorum sensuum duces. Nam ex aspectu nascitur amor, affectus valde formidabilis, cum videntem illico male habeat, quod expressit Poeta dicens: *Vt vidi, ut perij, ut me malus abtulit error*. Cunctique Poetæ minantur Cupidinem iacere è puellarum oculis spicula, & faces; quasi iuuenes videndo incenduntur. Non secus igitur cauendum est oculis ab obiecto, quod amorem parere possit, atque ab esca, ne ad ignem propius admoueat, & quacumque ratione vitandum incendium. Nam licet oculi dati sint ad videndum, præsertim obiecta propria, quæ pulchra sunt; non tamen cernere omnia tutum est; alioqui si totum solem spectare volumus, visus corrumpitur. At longe magis pecca-

peccamus, cum oculis ea conspiciamus, quibus corrumpitur animus. Idemque de reliquis sensibus censendum est, Neque enim minus auditui sermones illi sunt fugiendi, quibus boni mores corrumpi solent. Commune autem est remedium toti sensitiuæ potestati, & singulis sensibus, obiecta fugere, & occasiones, quæcumque ad peccandum inuitant; & continenter in earum scientiarum, artium, & honestarum actionum meditatione occupatum esse, quas profiteris, & quibus tibi, atque alijs consulere possis.

DE PRÆCEPTIS IRASCIBILIS

10

potestatis. Cap. XIII.



QVAM periculosa, quamque perniciofa sit ira ex eo facile intelligi potest, quod statim atque aggreditur hominem, de sua sede rationem deturbat, & citius, ac vehementius, quam reliqui omnes affectus in errores impellit; ita ut sæpe humanitate omni abiecta, in immanem feram conuersus appareat. Primum enim cognitionem eripit tam rerum, quæ aguntur, quam personarum, quæ agunt, aut pariuntur. Similiter & finis, ad quem tendit, aut tendere debet, locique, ac temporis; ita ut nullo prorsus motu termino cognito, vel considerato, motus tamen fiat longe validior, quam agentis consuetudo ferat, aut quam res postulet. Etenim voluntatis concurrat impetus, & vires augentur ad illius detrimentum, qui iram concitat; sæpe etiam ad illius exitum, qui concitatur. Nam ratio in irato quidquam sani remanet. Ut non sine causa ab Ennio (ut refert Cicero) ira infamiae dicatur initium. Et Horatius: *Ira, inquit, brevis furor est, animum regit, quis, nisi pareat, Imperat; hunc frenis, hunc tu compeasco catena*. Si enim minus coetetur, longus fit, & exitiabilis furor, cum nonnumquam ea agere iratum compellat; quæ omnem exuperant insaniam. Magnopere igitur laborandam est, ne in tantum horribile præcipitium incidamus. Bonum autem medicum imitari oportet, qui non expectat, dum morbus adueniat, sed cum venturum timet, ei obuiam procedens, vitæ regimine, & medicamentis obsistit. Quamuis enim iram vincere magna res videatur, & reuera sit; minus tamen est cauere, & providere, ne in eam labamur. Itaque ei, qui se ad iram pronum esse cognoscit, omnem primum vitare irascendi occasionem necesse est, eosque sibi imitandos proponere, qui ab ea temperasse, seque ipsos, suamque naturam vicisse seruntur; ut Soeratem, Platonem, aliosque huiusmodi, qui magnam ex ea re laudem sunt consecuti. Non enim existimandum est aduersus iracundiam, naturamque ad iram procliuem, sine contrarijs actionibus, & exercitatione aliqua contrahi habitum mansuetudinis, & patientiæ posse. Exerbit igitur se ante (ut ait Plutarchus) inter famulos, ac familiares: nam qui domi lenis esse didicit, idem multò magis cum suis ciuibus eiusmodi erit, præstabitque in populo, quod cum familia exercuit, videlicet, ut mitis, ac facilis habeatur. Præterea munitum esse oportet contra iræ improuisos impetus, perpetua humanitatis meditatione, quæ quidem ea catena est; qua sola animus compesci potest: nam qui secum constituit, ac decreuit, seque ipsum obfirmat, ut nulla, quamlibet magna cuiusquam hominis iniuria, ab humanitate dimoueatur, is vere hominis fungetur officio, & à cunctis periculis, quæ ab ira imminet, erit immunis. Dura autem illius conditio censenda est, qui non est cerrus, obiecto quouis oblato, sibi ab ira, atque etiam à reliquis affectibus temperare posse: magnam enim in eo arguit rationis infirmitatem, & aptitudinem ad miseriam. Nam prudens is demum est, qui sibi ipsi, suisque potestatibus, atque affectibus moderatur, & rationali parte irrationalem regere potest. At vero si

rò si quis iræ motui, quacumque adhibita diligentia, repugnare non valet, docendus est saltem, ut quamvis excandescat, tamen impetum reprimat, & sibi, suisque sensibus tantam vim afferat, ut illud iræ irritamentum contemnat, dum ab ijs actibus, verbisque absteineat, quæ ira suadet. Nam si qua intercapedo fiat, sperandum est, eam haud magno negotio sedatum iri. Sedatur enim ira, primum interiecto aliquo temporis spatio: nam (ut ait Ovidius) *Ut fragilis glacies interit ira mora*. Propterea monebat Augustum Athenodorus, ne quid diceret, faceretue iratus, priusquam litteras quatuor & viginti apud se recenseret, Deinde prudentis oratione: nam (ut ait Virgilius) *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet*. Cum demonstret, nullam esse irascendi causam, præsertim formalem. Non enim ira solùm, sed perturbationes omnes, & ægritudines animi curabuntur, formali causa remota. Qua in re plurimum proderit veras agnovisse definitiones. Nam si ira est propter iniuriam, auferenda igitur iniuria est, & ostendendum, aut non affuisse, aut cum inferre noluisse, aut aliter agere nequiuisset, aut pænitere. Eodemque modo, si odium est ob vitia, malosque mores, auferenda huiusmodi opinio. Itemque de amore, de indignatione, & reliquis. Cum autem hæc potestas, qua ad iram incitatur, quæ à Latinis animosa dicitur, cuius motum Virgilius, atque Horatius animum vocant, nobis idcirco tradita sit, ut læsiones illatas propulsemus; videndum nunc est, quis illius sit modus, & quatenus sit irascendum; præsertim cum Aristoteles dicat, non esse facile id assignare, cum in singularibus sit, sensuque iudicium. Verùm cum iram breuem insaniam esse dixerimus, videri alicui posset, nos, dum eam moderari conamur, operam dare (ut ait Comicus) ut iratus cum ratione insaniat. Quod quidem ex his apparebit verum non esse. Nam dubium nullum est, licere cuilibet naturæ iure suum ius tueri, iniuriamque repellere, quæ est læsio contra ius: hoc autem sit ira, quæ quidem quacumque de causa, etiam si iuste lædamur, insurgit, quoniam ipsa irascibilis pars rationem, & ius non agnoscit. Nos autem eam saltem intra iuris terminos coercere debemus; nimirum assuescere, ut non irascamur, nisi iniuria laceffiti, & cum ratione. Sic enim iure moderabimur huic potestati. Quamquam præstat honestatis cancellis illam circumscribere, hoc est, numquam permittere, ut suas appetitiones, viresque exerceat, nisi communis boni gratia. Sic enim nostra causa non irascemur, nisi iniuria ad plures pertineat. Omnino autem irasci pro aris, focusque, & pro bonorum tutela oportet, & lædentes tantisper lædere, dum desistant. Hæc autem ira non iuris est gratia, sed honestatis, quæ quidem non modò cum virtute coniungi potest (contra quàm Seneca dissevit) sed aut est ipsamet fortitudinis virtus, aut ab illa seiungi non valet.

Ethic. lib. 3
c. vltim. &
lib. 4. c. 5.

De Ira
lib. 1.

DE PRÆCEPTIS RATIONALIS

potestatis. Cap. XIV.

40



AT verò potestas rationalis, quam natura reliquarum sociam esse diximus, si libera, rectaque reddatur, nempe affectibus vacua, & civili facultate imbuta, cunctis præsidere, & omnium curam gerere debet: aliarum enim quælibet suas res agit, sibi que soli consulit; at ipsa tum earum commoditatibus prospicere, tum verò humanitatem exercere, & ad honestatem cuncta dirigere natura comparata est. Quod quidem est hominem ad suum finem, felicitatemque perducere, quam dignos iuuando, & in eos beneficia conferendo consequitur. Cum autem ad id actiua principia sint necessaria, nimirum scientia, voluntas, atque potentia; danda homini opera est, ut reliquis hominibus sciat, velit, ac possit prodesse, & in hoc omnium præclarissimo studio

dio perpetuò se exerceat, & confeneſcat, Nulla enim alia ratione perfectior
 reddi, & Deo ſimilior fieri poteſt. Vt igitur ſciat (præter ciuilem facultatem,
 prudentiamque) earum ſcientiarum, artiumque comparatione fit, quæ ſunt
 ad iuuandum acommodatæ; vt velit, humanitate, morumque virtutibus; vt
 autem poſſit (præter ipſarum ſcientiarum, artiumque cognitionem, quæ po-
 tentiam ſuggerit) viribus fit corporis, & bonis externis: ſic enim omni erit ope
 inſtructus, & quantum homini licet, ad hominem ſubleuandum paratus. Scien-
 tiam igitur, artemue electurus, quam profiteatur, vt ea cæteros iuuare poſſit,
 primùm diligenter explorare debet (ſi fit à parentibus prætermiſſum) natura-
 10 lem ſui animi ad illam propenſionem. Nam ſi, inuita (vt aiunt) Minerua, ſe ad
 eam accinxerit, fruſtra operam inſumet, nec ſibi, nec alijs adiumento erit.
 Qua in re conari etiam licet ſuæ familiæ conditionem eatenus meliorem redde-
 re, quatenus ſe nobiliori facultate vtiliorem fore confidit. Ad artem verò, aut
 ſcientiam, quam quis exercendam aſſumpſerit, omne ſuum ſtudium, omnemq;
 operam conferre debet, & nullum tempus intermittere, nullumq; laborem re-
 cufare, vt in ea excellat; ac ſi fieri poteſt, reliquis eamdem profitentibus ante-
 cellat, vt eadem opera iuſtas corrogare opes, vnde indigentibus opituletur, &
 iuuando, cæteris præſtare hominibus poſſit. Nam qui ſcientiam quampiam, ar-
 temue egregie callent (niſi ea valde tenuis fit) præ cæteris ſuſpiciuntur, at ſi ex
 20 nobilioribus fit quæpiam, quoniam ea plurimum proſunt, ac perpetuò prodeſ-
 ſe velle exiſtimantur, quaſi Dij quidam habentur in terris. Vt igitur homo iu-
 uare hominem ſciat, hæc dicta ſint; vt autem velit, humanitate fit, morumq;
 virtutibus. Dictum eſt enim, humanitatem appetitum eſſe in homine iuuandi
 homines, quæ in virtutes ſcinditur, quibus aut à reliquorum læſione auocatur,
 aut ad eos iuuandos compellitur: nam cum ſuapte natura, & humanitate pro-
 deſſe appetat, patet, ei primùm ab omni iniuria, & læſione cauendum eſſe; nam
 eidem humanitati aduerſaretur, quacumque id ratione fieret, videlicet vel ap-
 petitu contrario, & tacita cogitatione, vel re, aut verbis, vel conſenſu, & ap-
 probatione alieni operis. Neque enim inuitandus eſt quiſquam ad lædendum,
 30 aut probandum, qui lædat, neque auertendus à præſtando auxilio. Sed contra
 ad iuuandum quilibet eſt inuitandus, & à læſione reuocandus. Nam ſi quis ad-
 uerſus aliquem incommodum vllum molitur, aut meditat, quicumque illum
 impedire poteſt, nec impedit, non ſecus peccat, ac ſi læſiſſet. Prohibenda igitur
 omnis læſio eſt, comprimendo iras, & ſimilitates, & conciliando animos, vt
 pax inter homines, & beneuolentia conſeruetur, & mutua inter omnes bene-
 ficentia vigeat. Orium verò, omniſque inedia, ac negligentia eſt releganda,
 cum ſit humanitati contraria: non enim appetit iuuare, qui ceſſat bene operari,
 dū poteſt. Homines autem nihil agendo (vt aiunt) male agere diſcant. Quin id
 ipſum, ſcilicet nihil agere, malum eſt, cū non ſolum mali commiſſione, verum
 40 etiam quacumque boni commiſſione peccetur. Magna enim temporis habenda
 ratio eſt, cum in eo vita ipſa conſiſtat; nec permittendū, vt eius vel minima
 iactura fiat. Etenim vel de verbo otioſo repetere quemque à ſe ipſo rationem
 oportet, ne homo ad agendum natus, tempus, & operam fruſtra conterat, quod
 eius naturæ aduerſatur. Vnde apparet, quantum opere damnandi ſint ij, qui bo-
 nas horas male collocant; atque ij, qui totos dies fabularum volumina legen-
 do, aut audiendo conſumunt, & ſcribendo longe magis, cum nullum operæ
 præteritum fit, ſed etiam cæteris occaſionem peccandi tribuant. Atque hæc de vo-
 luntate dicta ſufficiant. Vt autem prodeſſe homo poſſit, non ſolum ſcientificæ,
 & artificiali ſit cognitione, verum etiam corporis opera, & habitibus, ac bonis
 50 externis. Non enim parum conſert ad fortitudinem, & omnino ad beneficentiam,
 currendi, luſtandi, & equitandi peritia, aliæque non pauca, quibus ho-
 mo ad iuuandum aptior, & validior redditur; vt, cum ſe offert occaſio, non mi-
 nus

nus sit corpore, quàm animo ad humanitatem vtiliter exercendam paratus. Nempe opere, & sermone. Qui quidem sermo inter cunctas humanas operationes primas fere partes ferre videtur, cum magis eximia, ac præclara commoda præstet. Eo enim docet, consulit, monet, laudat, reprehendit, aliaque innumera peragit, quæ à ratione proueniunt, cuius ille est riuus, præterquam quod animi sui sensa in alium transfundere, & gignere ipso intellectu sibi similem potest, prout etiam scriptura. Vt in homine nihil esse dignius, vel admirabilius videatur, quàm sermone posse prodesse; cæterisque hominibus anteferri. Quod quidem in magna potentia parte reponitur; neque verò parum referunt externa bona, vt diuitiæ, dominatus, cognati, amici, clientes, Regum gratia, aliaque huiusmodi, quæ quidem bonis artibus, atque industria comparare, vt ad alienum beneficium vtaris, laudabile est. His igitur, alijsque præsidijs instructus civilis artifex ad opem rerum omnium egentibus, dignisque præstandam procedet, haud expectans rogari ab illis, vel obtundi se; sed cognitæ indigentia prompte occurrens. Qui enim expectat flagitationes, ac preces, sopitam sibi inesse humanitatem declarat, seque alienis incommodis sine stimulis parum commoueri. Quò autem feretur ad alios iuuandos ardentius; eò facilius suam assequetur beatitudinem.

POTESTATVM OMNIVM HARMONIAM, ET 20

hominis perfectionem eisdem præceptis contineri, Cap. XV.

His igitur, quæ à nobis de potestatibus dicta sunt, patet, quod quemadmodum reliquis dignior est rationalis; ita & eius perfectio, & voluptas reliquarum perfectionibus, ac voluptatibus præstat. Quorum enim substantiæ præstantiores sunt, eorum quoque perfectiones sunt præstantiores; similiter fines, & actiones, cæteraque omnia, quæ eodem motu continentur. Cum autem rationalis finis sit honestas; reliquarum etiam potestatum naturales fines in homine honestatis causa esse perspicuum est, cum ignobiliora in nobis nobiliorum sint gratia, & eorum fines horum finium. Earum igitur actiones, quæ ad honestatem diriguntur, & illius causa exercentur, honestæ sunt, pariterque perfectiones, ac voluptates. Nam. (vt etiam supra tetigimus) si edat, bibat, dormiat quis, vt sanus degere, & patriæ, ac bonis viris commo- dare valeat; cum ad vnam honestatem tendat motus, semper honeste agit, & cunctæ eius operationes honestæ sunt, à nobiliori enim fine denominantur. Si etiam si liberis secundum leges operam det, vt gens propagetur, vel patria civibus abundet, honeste agere dicendus est: eodemque modo, si suas iniurias moderate vlciscitur, ne dedecore afficiatur, & eius ignominia ad cognatos per- tingat, honeste agit. Eiusmodi enim actiones, quamquam irrationalium sunt potestatum, tamen cum rationalem eas ad suum finem ducentem sequantur, rationales & ipsæ fiunt, non secus ac rectæ beneficiorum collationes. Nam eo modo agens vel se ipsum, vel alios parat, ad commoda conferenda, honestatemque colendam, & inferioribus potestatibus superioris, ac perfectioris gratia laudabiliter vtitur; modò nulla eodem tempore ei nobilior offeratur occasio rationalis potestatis exercendæ; & in dignos beneficia conferendi. Hoc autem modo viuere, est congruenter naturæ viuere, quod quærebant Stoici; & irrationali partem rationali subijcere, quod Peripatetici; & hanc Deo, quod Platonici, & nostri inquirunt. Ac præterea agere, vt hominem decet, & quodam modo secundum hominem interio- rem, ac secundum spiritum in terris versari. Quod quidem vere est bonum virum esse: sic enim sine intermissione, ac perfecte ea parte

ea parte operatur, qua est homo; & finem, ad quem illum natura formauit, assequitur. Nam semper vera fruitur voluptate, cum honesta huiuscemodi sint, ut non solum postquam facta fuerint, verum etiam in ipsa eorum meditatione antequam fiant, ac dum fiunt, voluptate perfundant. Atque hæc demum est potestatum harmonia, quam proposuimus, & ciuilis appetentis, atque agentis vera perfectio.

EORVM, QVÆ DICENDA SVNT,
cum superioribus connexio. Cap. XVI.

80



NOTIVS ciuilis philosophiæ duas esse præcipuas partes superius dictum est, quarum altera circa bene, beateque viuendi principia, & præcepta consumitur, & veram voluptatem, ac beatitudinem cognoscere, atque adipisci hominem docet, quatenus veluti solus, ac seiunctus à cæteris, omni prorsus consuetudine semota, consideratur: ac licet cum alijs illum versari

contingat; obiectorum eos loco, non sociorum, habet. Altera verò in hominum cœtu, & conuictu degendi rationem tradit. Nam de societate quid sit, & quotuplex, quomodo recte iniri, conseruari, ac dissolui possit, sermonem facit.

Præterea de iure, de honestate, deque alijs plurimis, quæ societatem necessariò consequuntur. Cum igitur hætenus priorem partem persecuti simus, nunc alteram aggrediamur, quæ quantò nobilior, vtiliorque est, & ad hominum vitam instruendam, & perficiendam accommodatior; tantò etiam difficilior, & obscurior apparet ijs, qui eam explicare conantur; quippe quæ à veteribus philosophiæ studiosis neglecta fere vniuersa, & tenebris inuoluta relicta fuerit.

Quo fit, ut cum per loca inuia, vbi nulla cernuntur impressa vestigia, iter faciendum sit, non hæreere modò, sed & aberrare interdum oporteat; nisi certis, & ab omnibus comprobatis principijs insistentes, eorum ductum, hoc est, naturam ipsam humanam ducem, perinde ac Herculeum lapidem nauæ vel stel-

lam, sequamur; præcipue cauentes, ne quando ab illis commodioris itineris specie decepti discedamus: quod quidem summa diligentia, quantum in nobis erit, toto, quod reliquum est, opere curaturi sumus, cuius hinc sumatur initium.

FINIS LIBRI QVINTI.





AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Sextus.



NECESSARIAM ESSE HOMINI
societatem. Caput I.



VICVMQVE hominis naturam studiosius speculati sunt, & eximias tam corporis ipsius, quàm animæ dotes examinauere, illum omnes omnium rerum perfectiones vnà cū summi opificis imagine in se continere animaduertentes, 30 paruum mundum esse dixerè, & magnum naturæ miraculum, eumque cæteris natura constantibus, veluti terrenis cælestia, & caducis æterna nobilitate antecellere. Nec enim vt eiusdem naturæ consortem primum inter illa locum tenere; sed vt qui ad diuinam conditionem proxime accederet. Cum verò ignobiliora nobiliorum gratia sint, vt omnes affirmant; meritò etiam cuncti asseuerauerunt, inferiora omnia hominis causa esse generata, ipsum autem hominem ad diuinum cultum, atque ad propriam perfectionem, ac beatitudinem. Si quidem imperfectus producit, suis tamen facultatibus, & naturalibus instrumentis, atque alieno auxilio perficiendus. Nam non modò ad beatitudinis adeptionem, sed 40 vel ad vitam ipsam vt cumque traducendam tam multa sunt necessaria, ut nullo pacto comparari à singulis hominibus possint. Et alter ita alterius ope indiget, vt nisi eam consequatur, frustra ad proprium finem, propriamque perfectionem aspiret. Quod singulas hominis facultates percurrenti perspicuum fit; quæ sine aliorum hominum societate, & adiumento, aut nihil omnino operantur, aut ita parum, vt vix præditum esse illis expediat. Etenim (vt vegetatiuam, & motricem cæteris imperfectiores nunc dimittamus) concupiscibilis, quæ magis necessaria comoda vnà cum sensuum voluptatibus affert, plurimis ex ijs destituetur, si in solitudine degendum sit. Nam præter cæteras gignendi sibi simile commoditas aberit, quæ in cunctis perfectioribus animantibus reperitur. Qua dempta, præterquam quod diu homo conseruari non potest, appetitui perpetuitas humanæ speciei, qui ei est innatus, non satisfaciet. 50


ciet: Irascendi autem vis, quæ non solum tradita est, vt brutis, atque etiam lædentibus hominibus repugnemus, & vt nos, nostraq. tueamur; verum etiam vt beneficientibus beneuoli simus, nobiliorem sui partem amitter. Rationalis verò, qua non modò contemplari instar supernarum mentium possumus, sed cæteris etiam hominibus prodesse cupimus, in solitudine magna ex parte otiosa erit. Cum enim inditus nobis sit appetitus iuuandi homines, vt eiusdem naturæ participes, idque cum facimus, prout recta ratio iubet, humanitatem colimus, & honestatem, quæ propria hominis in ciuili vita operatio est; absque illius exercitatione perfectionem inde aduenientem non assequemur: quæ est humana beatitudo, ad quam sine societate perueniri nullo modo potest. Cum igitur ex ijs animæ facultatibus; quas homini summus Opifex largitus est, nulla absque societate valeat perfecte exerceri; & ad eam perfectionem, ad quam nascuntur homines, nullus omnino detur accessus, nisi sibi inuicem opitulentur; cumque seiuncti proprium finem consequi, & proprium opus edere nequeant, quæ coniuncti commode præstant; nec Deus, aut natura quidquam frustra faciat; fate-ri necesse est, si frustra homines non sint futuri, necessariam esse inter illos societatem. Ac naturam homines hominum gratia producere, quò mutua opera, & beneficentia, singulorum necessitatibus, & appetitionibus satisfiat: atque ita tum singuli seorsim, tum simul omnes perficiantur.

20 **QVOT MODIS HOMINES IN**
societatem, & conventionem coeunt. Cap. II.



VM autem ex his constat, societatem hominibus necessariam esse, nunc quot modis illam contrahant, quotq. inter se conueniant, & quarum rerum gratia quærendum videtur. Itaque vt societatum numerum facilius indagare possimus, totamque eorum latitudinem, qui aliquo modo ad eas referuntur; duo supponere necesse est: primum homines voluntariò iungendos esse; deinde cuiuslibet voluntatem, quæ imperfecta est, in proprium commodum, ac bonum tendere: quæ verò perfecta (qualis humanitate redditur) non proprium, sed alienum spectare. His ita se habentibus, quicumq. alterius auxilio commoda cupit, aut sua vicissim tradit, aut gratis rogat, aut sibi alterum vi parere, vel metu cogit. Eademque ratione commoda in alterum confert; aut vt paria assequatur; aut quia dono dare vult; aut quia minoris mali causa eligit seruire, & sua tradit fere coactus. Cum igitur nulla præterea ratio sit, qua conueniant homines inter se dandi, & accipiendi commodi causa; patet, tres tantum modos esse, quibus inter se iunguntur, atque in societatem coeunt. Quorum primus est, vbi vltro, citroque commodum traditur. Secundus, vbi alter dat, alter accipit gratis. Postremus, vbi alter accipit vi, alter tradit coactus. Qui quidem modus societas pæne non videtur: nam qui coactus aliquid agit, simpliciter velle non dicitur: tamen quia inuitus aliquo modo eligit, & vult minus malum, tamquam bonum; & licet quodammodo nolit; attamen quia tunc vult, idcirco dici aliquo modo societas debet. Verum non solum in his conueniunt homines, sed interdum etiam vt vterque suas res agat, nec alter alteri proficit, vel noceat. Interdum verò, vt alter alteri noceat: propterea quòd vterque putat sibi expedire, vt bellum geratur. Et vt clarius de singulis speciebus loqui possimus, eas nominibus distinguamus. Vocentur igitur, qui conueniunt commoda tradere, & accipere, Socij; qui gratis dare, Benefici; qui gratis accipere, Inopes; qui vt imperent, Domini; qui vt pareant vi, metuue coacti, Serui; qui vt neque proficiant, neque noceant, Solitarij; qui vt noceant, Hostes. Homo igitur homini per voluntatem collatus, vno ex his modis affectus est, siue esse potest. Cum

enim inter alios versari cupit, se vnum ex prædictis esse vult, & reperire alterum, cum quo, vno ex dictis modis conveniat. Et is, cui occurrit, necessario cum homo sit, eadem desiderat. Itaque unusquisque, quæ inter homines versari vult, se vel Socium, vel Beneficum, vel Inopem, vel Servum, vel Solitarium, vel Hostem esse cupit; & alterum sibi respondentem inuenire. Cum enim socius esse vult, proculdubio cupit alterum socium esse: cum Beneficus, Inopem: & ita in reliquis. At non illi necessario occurrit, sed vni, qui forsitan vnum se ex cæteris esse desiderat. Quamobrem si congregantium numerum inuenire volumus, singulas personas cum singulis copulare oportet, quæ cum sint septem, in se ductæ combinationes vndequinquaginta reddentur, ut patet in sequenti tabella.



D E S O C I E T A T V M,

& conventionum generibus. Cap. III.



X ijs combinationibus nonnullas fortasse quis censeat superflueas esse, quod eadem inter se videantur; ut Socius, & Beneficus; & Beneficus, & Socius, aliæq. huiusmodi, quæ sunt numero vna & viginti. Res tamen non ita habet: aliud est enim, me Socium esse velle, & tibi occurrere, qui vis esse Beneficus. Aliud, me velle Beneficum esse, & occurrere tibi, qui vis esse Socius, & idem in alijs. Ex cunctis autem quinque tantum inter concordēs sunt, reliquæ cum inter discordēs sint, in præsentia omittantur. Concordēs nunc voco, non qui conueniunt in opinione, ut qui eadem sentiunt de cælo, neque in electione eorum, quæ agenda sunt. Qui enim cupiunt imperare, non sunt concordēs cum ijs, qui similiter imperare cupiunt; sed cum ijs, qui seruire. Neq. qui cupiunt accipere gratis, cum ijs, qui etiam ipsi accipere desiderant; sed cū Beneficis, qui dare volunt. Opus est igitur, quod dicantur, & sint concordēs, ut vterque velit, quæ placent, non sibi, sed alteri. Sic enim dicere solemus, alterum cum altero concordem esse, vel conuenire, siue alterum alteri assentiri. Itaque quinque sunt omnino combinationes, in quibus congregantes concordēs esse possunt; videlicet, Socius cum Socio, Beneficus cum Inope, Dominus cum Seruo, Solitarius cū Solitario, Hostis cū Hoste. Neq. durū videatur, Hostes dici concordēs, nā licet simpliciter discrepent; aliquādo tamen conueniūt, quæ conferere manus volunt, quo loco, quo tēpore; atque ita aliquo modo concordēs dicuntur, cū sibi inuicem pugnandi copiam faciunt. In reliquis omnibus combinationibus homines non conquiescunt, sed dissident, & querere alios coguntur, quibuscum con-

conueniant, & nisi aut vterque, aut alter flectatur, concordēs non erunt: sed de his suo loco dicemus. Dissidentes autem licet Solitarijs valde similes sint (neutri enim profunt, neque nocent; & etiam Solitarij secundum negationem cæteris omnibus opponuntur) non tamen sunt prorsus ijdem: nam qui dissident, in nullo conueniunt: Solitarij verò supponuntur in eo conuenire, ne alter alteri profit, vel obsit. Præterea qui solitarie degere cupit cum aliquo, qui nocere velit, aut prodesse, non conueniet, vt cum solitario. Nam quamuis non secus acturus sit cum solitario, quicum conuenit, quàm cum eo, qui cupit obesse (siquidem discedens neque proderit, neque nocebit) non tamen quiescet eodem pacto: sibi enim ab eo timebit; ei verò, qui prodesse cupit (quamquam beneficium illius recusat) nihilominus aliquid se debere cognoscer. Sed de his alibi. Iam igitur apparet, societatem communiter sumptam multitudinem quamdam esse concordium, & consentientium, siue conuenientium, aut communis commodi causa; vt sit inter socium, & socium, aut saltem alterius, & hoc bifariam: aut enim potentioris, altero simpliciter inuito, & secundum quid, vel tunc consentiente; vt inter Dominum, & Seruum accidit; aut imbecillioris, vtroque consentiente; vt inter Beneficum, & Inopem. Solitarij verò, atque hostes, socij dici nequaquam possunt: nam licet conueniant, non tamen communis commodi gratia, vel alterius conueniunt; sed sibi tantum prospiciunt, cæteris autem, aut omnino non profunt, aut nocent. Itaque proprium societatis esse videtur, vt alter alterius causa quidpiam agat sponte. Quamobrem in ea societate, quæ inter Dominum, & Seruum est, cum Seruus parum sponte agat, parum etiam Socius dici debet. Ita vt leuissima quaque de causa dirimantur. Verum de his aptior erit dicendi locus, cum de singulis societatibus actum fuerit: tunc enim communia facilius inueniri poterunt.

DE IURIDICA SOCIETATE,

Cur de ea prius agendum sit.

Cap. IV.



VM autem ex ijs, quæ dicta sunt, tres in vniuersum species societatis existant; ea, quæ ad commune commodum tendit, cum finis loco ius habeat (vt infra patebit) nobis iuridica societas appellabitur; quæ ad commodum imbecillioris, benefica; quæ verò ad commodum potentioris, dominica, siue herilis. De quibus singillatim agendum est, & primò de iuridica; quippe quæ proprie, ac vere, & sine vlla adiectione societas dici potest, cum in ea omnes socij sponte, & simpliciter societatem cupiant, quod in alijs non videmus contingere. In dominica enim serui non sponte, sed coacti societatem ineunt. In benefica verò quamquam benefici socijs digniores sunt; non tamen societas, & vnio naturalis, & simpliciter spontanea est: cum inopes huiusmodi esse natura nequeant, sed casu, & ob aliquod infortunium, & omnino præter voluntatem. Nam si quis ita natura comparatus esset, vt commoda accipere cuperet, & contra nihil tradere; omni prorsus beneficio indignus esset, vt infra demonstrabitur. Quamuis igitur Domini, & Benefici sponte ineant societatem; non tamen Serui, & Inopes, nisi coacti, & omnino non simpliciter: nam Seruus eligit potius seruire, quàm mori; Inops verò gratis accipere tantisper vult, dū inopia manet, & abest facultas reddendi paria. Quamobrè societas iuridica simpliciter societas dicitur, & videtur omnibus, & sine adiectione illa intelligi potest; & commune commodum, qui est eius finis, vere est ius; cuius definitione, quasi mensura quadam, in cunctis nostris actionibus, ac societatibus vti nos oportet,

K 3 tet,

tet, vt suo loco dicturi sumus. His igitur rationibus adducti de ea primò, præcipueque loquemur, & in eorum, quæ ad ipsam pertinent, explicatione plura dicemus, quæ secundum analogiam accommodari omnibus poterunt. Quod ed fiet, vt clarior doctrina sit, & quia difficile est (ac fortasse fieri nullo modo potest) vt communia in omnibus reperiantur.

QV I D S I T S O C I E T A S.

Cap. V.




ST igitur societas, vt à notioribus incipiamus, & ijs, quæ paulò ante dicta sunt, multitudo quædam non dissoluta, sed cohærens; atque ita videtur compositio, siue compositum quoddam. Nam nemo diceret, vnum animal esse societatem, vt neque vnum elementum mistum; neque etiam multos lapides diuisos esse domum: sed melicratum ex melle, & aqua mistum dicimus; & domum ex lapidibus, lignisque compositum. Ita societas totum quoddam est ex suis partibus constans, ex multis scilicet animalibus; vt liber ex multis paginis. Itaque cum omni misto, & composito conuenit, propterea quòd ex multis constat, & est vnum quoddam, vnde dilucidum fit, quod vt mistio, & compositio, ita etiam consociatio motus quidam est, quo ex multis fit vnum. Et vt naturales dicunt, misionem esse miscibilium alteratorum vnionem; ita nos dicere possumus, consociationem hominum sociabilium, siue etiam alteratorum vnionem esse (alterantur enim, dum sociantur, vt infra patebit.) Idem autem ex contrario, videlicet ex dissociatione fit manifestum: nam qui societatem dissoluunt, dicere solent illam se diuisisse. At diuidere, est mouere in contrarium ei, qui componit: vt enim compositione fit vnum ex multis; ita diuisione ex vno fiunt multa. Et amicitiam dicunt (quæ, vt suo loco demonstrabitur, est societas quædam) dissuere oportere, non rescindere. Quemadmodum igitur ædificatores lapidibus, lignisque veluti partibus ad ædificij structuram vtuntur, alijque artifices ad proprium opus alijs; ita hominibus ad societatem constandam est opus (liceat enim brutorum congregationes greges, ipsaque gregatilia, alioque quopiam nomine appellare; & hominum tantum cœtus, societates, eosque commoditatis gratia sociabiles appellemus) itaque societas vnio est, vel vnitas, & compositio, vel compositum (modò nihil differant) non quorumcumque, sed hominum. Verùm si quis multos homines colligaret, vel ipsi inter se mutuis manuum, ac brachiorum nexibus vnirentur, totum quoddam ex illis, & compositum fieret, non tamen esset, neque diceretur societas. Oportet igitur, vt non quomodolibet, sed certa ratione vniantur; vt etiam domus ex certa lapidum compositione, non ex quacumque fieri cernitur. Necessè est ergo, vt non superficie coniungantur, quæ illis cum cæteris corporibus communis est, sed ea parte, qua sunt proprie homines. Vt autem ad præsens spectat, præcipue homines sunt, quia felicitatis adipiscendæ facultatem habent, ad quam cætera animantia peruenire nequeunt. Felicitatem verò adipiscuntur secundum propriam voluntatem, & electionem agendo: quo fit, vt societas sit vnio voluntatum, vel electionum, vel animorum, vnde voluntates, & electiones proueniunt; vel potius vnio hominum secundum voluntatem iunctorum. Ex quo lucidius apparet, quod supra dicebamus, Domini cum Seruo proprie societatem non esse, nisi Seruus sponte seruiat; neque etiam Benefici cum Inope: nã Inops numquam lubenter accipit gratis, sed semper animo reddendi paria, licet tunc ea caret commoditate. Verùm de his suis locis diligentius differemus. Nunc id, quod ex dictis sequitur, eliciamus; societatem scilicet vnionem esse, vel compositionem hominum liberorum, quæ liberi sunt: sunt enim liberi, quia facultatem

- cultatem habent agendi, & eligendi, quæ placent, cum secundum voluntatē, (vt dictum est) vniantur. Et societate carere, est huiusmodi voluntatum nexu priuari: & dissociatio est separatio, & diuisio voluntatis à voluntate, vel animi ab animo; ita vt amplius non cohæreant, sed appareat multitudo liberorum hominum, aut sua negotia gerentium, aut inuicem dissentientium. Cum autem singulæ voluntates bonum aliquod appetant, siue existens, siue apprens; opus erit, vt etiam vnionem, vel societatem appetant boni alicuius gratia, vel existentis, vel apparentis. Huiusmodi autem bonum, vel commodum est (vt supra diximus) aut commune, aut vnus tantum, scilicet aut potentioris, aut imbecillioris. Itaque vnio voluntatum ad commune commodum proprie, & simpliciter est societas, siue iuridica. Eademque vnio voluntatum, vel hominum voluntate iunctorum, ad potentioris commodum, dominica societas dicitur, ad imbecillioris autem benefica. Verum nos, ne tractatio confundatur, communia prosequi nolumus, sed facillè poterit quilibet, quæ a nobis de societate proprie dicta tradentur, aut re ipsa, aut proportionem ad alias societates accommodare. Societas igitur est vnio, vel vnitas voluntatum, vel animorum, vel hominum voluntate iunctorum, vel liberorum (nunc enim pro eisdem accipiuntur) communis commodi gratia, vel communis vtilitatis, vel gratia acquisitionis communis vtilitatis, aut commodi. Cæterum cum vnio voluntatum dicitur consensus, & concordia, erit etiam societas consensus, vel concordia sociorum pro communi commodo, quo principio, veluti fundamento, vniuersa niti tractatio debet.

QVOMODO VNIO INTELLIGENDA
sit, & expenduntur, quæ ad genus attinent societatis.

Cap. VI.

- 30  VAERES quam ratione vniri voluntates possint, cum appetitiones sint quædam, appetitiones autem motus quidam animi: non enim videtur posse motus motui admisceri. Quod si motus in vniuersum motui non misceretur, neque voluntati voluntas admiscebitur. Quod si continuos esse dicamus, sequetur, vt nequeant socij simul velle, sed alter post alterum: nam motus continui non sunt in eodem tempore. At verò negandum non est, motum, qui simul à duobus motoribus prouenit, vnum esse. Si enim ego, & tu idem simul pondus portamus, motus est vnus, licet nos non nisi in eo ferendo idē simus. Quoties igitur voluntariò eundem motum efficimus, aut etiam diuersos eiusdem finis gratia, semper dicimur socij. Siquidem socij necessariò in fine vniuntur, quatenus quærunt commune commodum, sed in motu non semper: nam fieri potest, vt communis commodi causa diuersi diuersa agant; vt patet in republica, & in exercitu, in naui quoque, & conuiuio, atque etiam in cunctis permutationibus, in quibus sufficit vtrumque socium commune commodum quærere. Semper enim cum in fine voluntates vniuntur, societas appellatur, & vnio, & consensus, siue concordia. Nec quidquam refert, siue dicatur vnio volentium, siue voluntatum, siue liberorum voluntate iunctorum: nam idem semper erit principium, ex quo vniuersa (vt diximus) tractatio pendet; nosque hæc non contemplationis, sed operationis gratia quærere oportet. Vt igitur continua dicuntur esse vnum, quia extrema sunt vnum; ita voluntates, quia appetunt vnum: & sic qui eadem agere cupiunt, aut eundem finem assequi, socij dicuntur, & vnitas ipsorum societas. Dubitandum autem videtur, vtrum ij, qui eandem poenam pati, aut eandem quietem consequi volunt, sint dicendi socij,

di focij, nec ne. Ac profectò, qui pati aliquid cupiunt, etiam communis commodi causa, aut quiescere, quà tales, proprie focij appellari nequeunt; sed quà se parant, aut quidpiam agunt, quò commodius pati, vel quiescere possint. Nam omnino societas est principiorum actiuorum non passiuorum coniunctio; ac qui agere prohibentur, licèt commune commodum cupiant, non sunt dicendi focij actu, sed potius potestate, aut cum adiectione impediti. Dices diuersarū rerum appetitiones, actionesq. in eo, quod ad præcipuum finem attinet, non coniungi: nā licèt terra, & aqua descendant, in eoq. motu conueniant; nō tamē conueniunt absolute: petit enim terra centrū, aqua superficiem terræ. Et licèt animalia ambulent, pluraq. efficiant eodē modo; non tamen in proprio fine conueniunt: neque igitur ego tuam felicitatem desiderare possum, neque tu meam, sed quisque nostrum suam: & cum voluntas sit appetitus felicitatis, vel eorum, quæ ad ipsam conducunt, fieri non poterit, vt in ea re vniantur: quòd si in ea non vniantur, in cæteris frustra vniantur: cuncta enim frustra fieri, vel esse, existimanda sunt, quæ ad felicitatem non conferunt. Ad hæc, & similia dicendum, nos parte perfectā, ac fere diuina, quæ humanitate informatur, aliena commoda expetere. Cum verò non ea parte, sed bruta, aliorum commoda optamus, id eò facimus, quòd nobis eorum operam necessariam esse arbitramur, eosque nostra neglecturos, nisi nos ipsorum commoda velle cognouerint. Quo fit, vt cum eorum bona quærimus, illi nostra vicissim quærant, ac quantum pro eorum commodo à nostro animum auertimus, tantumdem ipsi proprias appetitiones retundant, vt nobis opitulentur. Quamobrem aliorum commoda appetendo non modò nostræ felicitatis cursum non retardamus, verum etiā celerius absoluiamus: ea enim ab alijs præstantur, quæ haud ita facilè per nos ipsos consequi possemus; quod & bruta inter se, & nobiscum quoque facere videntur. Differt autem societas à communione, & communitate (modò termini proprie capiuntur) quoniam communio est vnio, vel vnitas bonorum, vel rerum possidendarum: societas verò, non bonorum est, sed possidentium vnio. Et communio est actus, vel motus, quo bona communia efficiuntur; actus verò, quo focij fiunt, non est circa bona, sed circa voluntates. Ac commune quidem est aptum possideri ab omnibus, & communitas videtur aptitudo, siue principium, quo prædita sunt apta, vt ab omnibus possideantur. Est igitur communitas vnitas bonorum possidendorum, quia vni societati deseruiunt: societas autem vnio eorum, qui possident. Accidit autem, vt communitas pro societate ponatur, ac societas pro communitate bonorum, quamquam hæc proprie (vt dictum est) ad actiua principia tantum refertur, eorumque vnio videtur: communitas verò quorumcumque vnitorum vnitas videri potest, & idem fortasse de communione, communique dicendum. Societas quoque, vt dicitur vnio, ita potest etiam dici communio. Proprie autem quando dicimus, nos in aliqua re potiundā socium habere, ipsam inter nos affirmamus esse communem, cum socius idem, ac æque possessor esse videatur.

DE COMMUNI COMMODO, ET FINE
societatis. Cap. VII.

RELIQUVM est, vt videamus, quomodo finis societatis commune commodum esse dicatur, eademque ratione ius. Qua in re supponendum nunc est, ius commodorum, siue bonorum paritatem esse. Cum igitur commune illud sit, quod est aptum possideri ab omnibus, siue quod ita distribui debet, vt omnes pariter eo fruantur; si sine diuisione omnes communi bono frui oportet, æqualiter ab omnibus possidebitur, & sic commune, & æqualiter possessum

possessum idem erit; si verò distribuatur, æqualiter distribuatur, & sic pariter distributum idem erit, atque commune; & omnino paritas fruitionis, vel distributionis erit eadem cum communitate bonorum. Quod si dicatur, non esse ex æquo diuidendum, vel possidendum; apparebit non esse simpliciter commune, sed aliquo modo. Et ibi erit paritas secundum analogiam, de qua suo loco dicemus: nunc satis fit, quod siue dicamus societatem, vniionem esse communis commodi causa, siue assequendi iuris, vel æqualis commodi, semper idē dicemus. Quamobrem siue commune commodum, vel bonum proponatur, siue ius; vel paritas commodorum; semper eadem nobis agenda erunt, eodemque pacto progrediendum. Cum igitur conueniant homines communis commodi, vel iuris causa, & valde expedire putent, sibi finis loco ipsum statuere; nemini dubium videri debet, ius esse magnopere diligendum. De quo cum nobis copiosus sermo habendus sit; ne eorum, quæ societatis explicanda causa dicenda videntur, series interrumpatur, post huius tractationis absolutionem, illud reseruamus.

DE OPPOSITIS SOCIETATI.

Cap. VIII.



NUNC ut natura societatis commodius cognosci possit, operæ pretium videtur de illius oppositis pauca differere. Societas igitur, & multitudo communia commoda cupientium, vni homini opponitur in proprijs tantum commodis occupato, & frequentiam, societatemque auersanti; licet qui societatem odit, ac fugit, ei opponatur, qui illam diligit, & inquit. Huiusmodi autem homo (vt paulo inferius dicitur) reperiri non potest, nisi in eo naturæ sint corrupta principia, vt in ijs, qui niuem esse atram assererent. Et Diogenes Cynicus, aut Hippias, & omnino ij, qui se sibi sufficere posse autu-
 30 mant, aut irridendi sunt, aut corrigendi. Neque nobis religiosi Eremitæ obijciantur: his enim (cum Deo seruiant) ministratur ab Angelis. Et vt diuina societas præstat humanæ, ita ipsi cæteris hominibus antecellunt. At nos in tota hac tractatione, non de diuinis, sed de humanis, & humana ratione comparatis societatibus, verba facere instituimus. Rursus igitur societas, vt multitudo cohærentium, opponitur multitudini vagæ, ac solutæ, nullaque lege, aut iure coniunctæ; quæ ita abominanda est, vt etiam solitudine detestabilior sit censenda. Cuilibet enim sunt innumeri hostes, à quibus non modò commoda vlla expectare non potest, sed cauere assidue debet, ne ab ijs opprimatur. Ad hæc societas, quæ est multitudo liberorum, multitudini seruorum opponitur, siue
 40 vni domino seruiant, siue pluribus, & siue omnes communia commoda appetant, siue propria. Nam coetus impedimentis vacans impeditæ congregationi aduersatur, quæ liberorum multitudine vilior est, cum sua commoda profequi nequeat. Præterea cum in societate quæratur communis commoditas, necessariò socij ijs opponentur, qui bona vnius tantum inquirunt, vt fit in multitudine, ex domino, vel dominis, & seruo, vel seruis; vt enim huiusmodi societas est præter naturam, ita & dominatus. Et cum commune commodum quærere nihil aliud sit, quàm mutuam quærere vtilitatem, ita vt alter alterius bona expetat; consentaneum videtur, vt socij beneficis opponantur, qui non
 50 communia, sed aliena desiderant, Hostibus verò, & inimicis, qui non commoda, & bona, sed suorum hostium, & inimicorum incommoda, malaque cupiunt, contrariè opponentur; vt societas bello, & inimicitijs, solitudini verò secundum negationem. Hostes igitur, quæ tales, ex diametro, ac maxime omnium socijs oppositi

oppositi sunt, & ceteris magis detestandi; cum non modò aliena commoda impediunt, verùm etiam ad propriam felicitatem videantur inepti. Sed plura de ijs in præsentia dicere non necesse est; cum eatenus dixisse sufficiat, quò socijs, societatique opponuntur. Suo autem loco palam fiet, quid liceat hostibus, & quando, ac cum quibus, & qua ratione pugnandum sit. Nunc forte disceptandum esset, utrum eligibilior sit societas, an solitudo; & utrum liberitas, an dominatus; hoc est, an socij potius esse optare debeamus, an domini, & utrum communis utilitas priuatæ sit anteferenda. Et utrum prodesse præstet, an obesse, vel cum propria utilitate; iuste agere, an iniuria afficere. Societatem dissolvere, an componere, vel conseruare; aliaque complura, quæ non inutilia essent, si rationes contrariæ soluerentur, & causæ redderentur, cum societas amplexanda sit. Et communia in communi loco, particularia in particularibus societatibus tractarentur. Sed quoniam hæc quilibet priuata diligentia inuenire potest, nos potius cætera persequamur.

DE APTIS AD SOCIETATEM.

Cap. 1. IX. 204



VM igitur societas sit unio voluntatum, & singulorum voluntas (vt summatim dicamus) sit appetitus beatitudinis, perspicuum est, societatem esse voluntatum; vel animorum, conpirationem ad beatitudinem assequendam, & quemlibet propriæ felicitatis causa; si vltimum finem respiciamus, societatem inire. Itaque qui ad felicitatem sunt inepti; vt amentes, & serui; aut apti per se, nullo adiuuante, illam consequi; aut eam actu habent, non sunt apti ad vllam societatem, quæ communis utilitatis gratia inearur: nam illi sunt fere beati, hi fere Di. Homo verò suapte natura videtur in medio constitutus: neque enim est ad eam ineptus; neque actu habet, neque aptitudinem, vt per se illam assequi possit. Nam qui per se, sine alieno auxilio, ad felicitatem sunt apti, aut etiam natura felices, humanam conditionem excedunt, veluti supernarum mentes, quas animo concipimus perfectas esse, nec externa ope indigere ad beatitudinem adipiscendam. Supponamus igitur hominem, neque ineptum esse ad felicitatem, neque ita aptum, vt eam per se assequi possit, neque etiam actu felicem. Et fiat huiusmodi combinatio.

Perfectum

	}	aptum perfici	}	ex se, & sine aliorum auxilio.
Imperfectum		ineptum perfici		non ex se, sed cum aliorum auxilio.
			}	ex se.
				cum aliorum auxilio.

Membrum autem de apto perficere societati beneficæ reseruandum videtur. Quæ igitur natura perfecta sunt, & in melius prouehi non possunt, diuina (vt diximus) sunt habenda; quæ autem imperfecta, apta tamen perfici ex se, sine aliena ope, aut diuina etiam ipsa sunt, aut certe plus quàm humana. Semideos igitur, aut Heroas, quales Poetæ fingunt, hos esse existimemus, eosque relinquamus, quando nostra opera non egent, vt perficiantur. Quæ verò neque ex se, neque alieno auxilio perfici possunt, bruta sunt omnia existimanda; licet nomine, atque aspectu referre hominem videantur. Vt enim mortui manus, & oculus æquiuoce tales dicuntur, quoniam proprias comprehendendi, ac videndi operationes edere non possunt; ita & totus homo, si ad eum finem ineptus est, ad quem illum natura produxit, æquiuoce homo dicendus est. Apti autem


autem perfici aliorum auxilio, licet ex se inepti, homines sunt re, ac nomine. Hi igitur, si extrinsecus impediuntur, serui; si minus, liberi dici debent. Est igitur aptus ad societatem, idoneus perfici alieno auxilio, & impedimentis extrinsecis vacans; cum igitur cunctam suam perfectionem, & finem, ad quem genita sunt, naturaliter quærant; dilucidum esse debet, omnes liberos ita moueri ad statum suæ perfectionis, vt ignis sursum, & terra non impedita deorsum; vt autem perfectio ignis acquiritur, & conseruatur in summo loco, terræ verò in imo; ita perfectio hominis liberi in societate; nam seruus est, veluti ignis, in inferiori conclusus, aut terra in superiori. Vt enim terram non potest esse, qualem

10 esse pro sua natura eam oportet, nisi in inferiori maneat; ignis verò nisi in superiori; ita nec homo liber, nisi in societate. Hoc autem loco hominem appellamus ex cæteris facultatibus, seiuncta humanitate, compositum, quæ quidem perfecta est, & societatem quærit, non vt perficiatur, sed vt perficiat, vt suo loco dicturi sumus. Nunc enim ne terminos transcendamus, societatis nomine, iuridicam intelligi diximus, & eos, qui societatem quærent, suam perfectionem cupere, non alienam supposuimus, atque idcirco imperfectos esse omnes asserimus: nam seclusa humanitate, compositum ex facultatibus omnibus imperfectum est. Cum igitur receptum sit, ex se homines sine alieno adiumento perfici non posse, hoc autem expectandum non sit, nisi ab hominibus suam pariter

20 perfectionem aliena ope desiderantibus (nam de diuino auxilio sermo nobis hic non habetur) qui suam perfectionem quærent, necessario societatem, & commune commodum quærent; & ita ab alijs, videlicet, a socijs, commoda expectant, vt vicissim illis ex æquo prodesse possint, & velint; sua tamen non tradant, nisi vt ipsi aliena accipiant. Quo fit vt, qui iuridicam societatem cupiunt, non suam, neque alienam tantum, sed communem commoditatem, utilitatem, & beatitudinem cupiant. Motus igitur liberi hominis ad societatem ineundam ita secundum naturam est, vt motus terræ deorsum. Itaque ambigendum non videtur, an societas sit secundum naturam, neque, an ei opposita solitudo, & multitudo non cohærens, sint præter naturam, aut saltem non secundum naturam; & longe minus multitudo dissidens, aut dimicans. Vt igitur in societate sumus apti; ita extra eam inepti ad felicitatem, vt aqua inepta est ad conseruationem suæ naturæ in loco superiori, aut piscis extra aquam. Ex dictis patet, eos ad societatem hanc aptos esse, qui imperfecti cum sint, possunt aliena ope commoda capere, quibus perficiantur, & vicissim tradere, quibus socius perficiatur, ita vt vnio communis commodi, & perfectionis gratia fiat.

A P T O S A D S O C I E T A T E M P A R T I M

egere, partim abundare oportere. Cap. X.

40  OMINI igitur cognoscenti ex sua inopia, & indigentia imperfectum se esse, & minus ad felicitatem idoneum, oritur dolor quidam, qualem in ventriculo sentimus, in fame, ac siti, aut in pectore, cessante anhelitu. Et vt ibi natura indidit sensum doloris, ne animal imprudenter corrumperetur; ita sensum nobis, & suctum dedit egestatis nostræ, quo ad fugiendam solitudinem, quærendamq. societatem excitæmur. Vt igitur naturaliter comedimus, bibimus, ac respiramus; ita in societate degimus. Accidit autem nonnumquam, vt siue ob ægritudinem, siue ob alias causas suctum illum in ventriculo non sentiamus, eoque non excitati non appetimus, atque ita neque comedimus,

50 neque bibimus. Nonnumquam verò ob prauos humores, aut alias causas, non solum cibi, potusque appetitu caremus; verum etiã à cunctis alimentis abhorremus. Ita reperiuntur quidam mente potius, quàm corpore ægrotantes, qui multis de causis

caulis societatem fastidiunt; licet secundum naturam sit appetenda. Hi autem peruersis potius rationibus, quam naturali sensu mouentur: naturaliter enim cum se in solitudine animaduertant imperfectos esse, & in societate perfici posse, vt perfectionem, ita etiam societatem appetunt; velut ægrotantes, quæ huiusmodi, valetudinem cupiunt, & medicamenta, quibus illa, morbo depulso, restituantur. Inopia igitur eorum, quæ ad felicitatem necessaria sunt, suctus, quem diximus, morsusq. oritur, & tristis sensatio, quam vocant medici, & inde obiectorum, rerumq. vtilium cupiditas: quæ cum non nisi ab alijs, aut cum alijs haberi possint; oritur appetitus cum alijs degendi, pro obiectorum comparatione, aut aliena petendi: & quoniam ipsi sua negarent, nisi & nos nostra traderemus; hinc fit, vt nostra tradere, & aliena accipere cupiamus, aut simul agere communis commodi causa; quod nihil aliud est, quam societatem desiderare. Egestate igitur impulsus, & bonis, quæ ab alijs obtineri possunt, attracti, fit, vt in societatem ducamur. Egentes verò tantum ad eam sunt inepti, vt etiam omnibus bonis affluentes, aut quibusdam, inepti sunt vel omnino, vel ad societates bona illa comparantes, quibus redundat. Oportet igitur, vt vterque, aut omnes socij ita egeant, vt aliquo abundant; & ita abundant, vt aliquo egeant; & sic vterq. propria inopia impulsus, & aliena copia attractus facile cupit societatem. Aptitudo igitur ad societatem aut consideratur eius respectu, qui illam cum altero cupit inire, aut respectu alterius, qui assentiri debet. Ego enim cognoscens me per me ipsum ineptum, illam desidero, atque ita ea inhabilitas videtur aptitudinem gignere: verumtamen tu, qui tua mihi traditurus es, vt meæ inopiæ subuenias, requiris in me tui commodi causa abundantiam, & copiam eorum, quibus egēs: itaq. vt sim aptus, non sola indigentia opus est, sed etiam abundantia, vel uiribus ad aliquid agendum, quod vel tibi, vel in communi esse possit emolumento. Neq. hæc ita esse sufficit, nisi vtriq. sint cognita: verum de cognitione suus erit dicendi locus. Ad societatem igitur ineundam opus est, vt socij abundant, & velint tradere commoda, aut in communi ad alterius commodum agere. Ex parte verò sua egeant, & velint accipere, ita vt fieri possit hæc combinatio.

Abundans volens	}	tradere commoda, aut in communi agere ad alterius commodum.
Abundans nolens		
Non abundans volens		
Non abundans nolens		

Egens volens	}	accipere
Egens nolens		
Non egens volens		
Non egens nolens		

Hic quilibet socius, aut sociabilis debet componi ex vno membro vnus combinationis, & altero alterius; & cum quater quatuor sexdecim reddant; tot sociorum species erunt, vt in infra scripta tabella apparet.

Abundans volens tradere, &	}	Egens volens accipere.
		Egens nolens accipere.
		Non egens volens accipere.
		Non egens nolens accipere.

Abundans nolens tradere, &	}	Egens volens accipere.
		Egens nolens accipere.
		Non egens volens accipere.
		Non egens nolens accipere.

Non

Non abundans volens tradere, & {
 Egens volens accipere.
 Egens nolens accipere.
 Non egens volens accipere.
 Non egens nolens accipere.

Inutilis societas ineūti, & secundum hæc principia consideranda, nam multi inducuntur ad inutiles societates.

Non abundans volens tradere, & {
 Egens volens accipere.
 Egens nolens accipere.
 Non egens volens accipere.
 Non egens nolens accipere.


10

Quòd si hæc acceperimus, vt dicta in communi ad omnes societates, non solum reperiemus eos, qui ad iuridicam apti sunt, sed eos quoque, qui ad beneficã. Vt autem intra latitudinem iuridicæ contineamus, dicendum est, eum, qui abundat, & non eget, ac vult tradere, beneficum non esse, sed socium dispositum, quoad alteram partem, qua videlicet tradere vult: hoc autem non intelligitur simpliciter, & absolute, sed cum conditione, vt reperiat alterum, cuius bonis ipse indigeat, & accipere velit. Exẽpli gratia: habet quis domum venalem, sed pretij loco vinum, aut frumentum repudiat, & sic abundat, & vult tradere; sed non eget frumento, aut vino, & idcirco ea non admittit. Et cum voluntas dandi nõ sit absoluta, sed accipiendi voluntati adiuncta; mirum non erit, si is aliquo modo aptus sit, aliquo verò ineptus. Hic igitur, quã sua vendere, vel dare cupit, nõ est mouendus: sed quã hæc, aut illa non vult accipere. Nam si omnino quidquã sumere nollet, ad iuridicam societatem aptus non esset, sed ad beneficam tantũ; veluti Princeps, qui vendere equos, aliaq. huiusmodi nolit, sed largiri. Itaq. qui abundat, & vult sua tradere, & eget, ac cupit aliena accipere, dispositus est ad societatem. At qui non abundat, aut non vult tradere, vel non eget, aut non vult accipere, quã talis, aptus non est: cumq. in singulis socijs quatuor exigantur, fieri poterit, ut vnum, vel duo, vel tria, vel etiam vniuersa defint. Abundans igitur volens tradere, & egens volens accipere, omnes numeros habet ad societatem componendam requisitos: ac si cætera non impediunt (de quibus mox dicemus) societas fiet; modò aliquem reperiat, qui eodem pacto in omnibus sit affectus. Exẽpli gratia: eges equo, abundas pecunia; abundo equis, pecunia careo. Facile inter nos conuenire potest; idemq. in reliquis intelligatur. At quoties careo equo, ac si haberem, nollem vendere, & non egeo pecunia, eamq. reijcerem; difficulter societas contrahetur, cum omnia mutanda sint. Vt igitur primus omnes numeros habet; ita postremus caret omnibus: qui verò in medio sunt, vel vno, vel duobus, vel etiam tribus carent; & quatenus inepti sunt, mouendi erũt ab ijs, quibus componere societatem curæ erit. Cumq. ad eam componendam opus sit, vt in vtroq. quatuor illæ dispositiones reperiantur; cumq. sint in ipsa combinatione species sexdecim, vt omnes congressus appareant, in totidẽ erunt ducendæ; atq. ita fient 2 5 6. Verũ societas non constabit, nisi eo modo, qui dictus est; videlicet, quando abundans volens tradere, & egens volens accipere factus fuerit alterum, qui abundet, & egeat, & pariter accipere, ac tradere velit. Si enim non abundans vult tradere, haud quaquam valet, & siue fingit, siue decipitur, alteri male succedet: nam aut omnino non accipiet, aut certe non sine tradentis incommodo. Similiter eius incommodo fiet, quando non eget, & accipere vult, existimans se egere. Porro qui societates componunt, verbis nonnumquam imponere solent; ita, vt inutiles, ac perniciosas coniungant: de his autem a nobis agendum est, vt obscurum non sit, quando, & cum quibus sine

30

incundæ.
 L. APTOS

APTOS AD SOCIETATEM EX POTENTIA, ET
voluntate tradendi, & accipiendi componi. Cap. XI.



T igitur corpora nostra ex quatuor humoribus constant, aliaq. ex alijs; ita ad societatem aptus ex potentia, & voluntate tradendi, & accipiendi componitur. Ex ut illa conseruantur, & ad bonā ualitudinē rediguntur, aut temperiē seruando, aut alterando; ita & societates tū conseruantur, tū conseruantur ex cōseruatione, uel introductione huiusmodi dispositionum, de quibus suo loco dicemus. Fieri autē potest, ut ipse accipere cupiam, ad tradendum uerò nullo modo affectus sim; uide- 10
 cet, nec uelim, nec nolim, quippe qui ne animaduertam quidē. Aut cōtra trade-
 re uelim & quoad accipiendū indifferenter me habeā. Datur enim hęc neutra
 dispositio, ut ignoratio, quę est inter scientiā, & deceptionē media. Sed ne mē-
 bra absq. necessitate augeantur, huiusmodi negationē sub contrarietate cōpre-
 hendimus; quāuis pleriq. dicant, se sua, aut aliena cōmoda respexisse, cetera autē
 nō curasse. Aut dicunt, se uelle cōmoda tradere; sumētis uerò potestati permitte-
 re, an reddere uelit, an gratis capere. Poterit tamen, qui uolet, mēbra augere, &
 assumere uolentes, ac nolentes; & neq. uolentes, neq. nolentes: huiusmodi enim
 facilius mouebuntur, ut etiā facilius ignari docentur, quā qui prauis opinionibus
 sunt imbuti; & omnino ut motus à medio ad extrema, quā ab extremo ad
 extremū facilius est; ita facilius mouebuntur, qui nullo modo affecti sunt, quā
 qui nolunt. Dicit quis ea, quę prædicta sunt, non in omni societate requiri; uide- 20
 licet, copiam, & egestatem, & uoluntatem dandi, & accipiendi: nam interdū
 societatem contrahi, altero, aut etiam utroq. bonis carente, sed aberrante, & de
 suis uiribus non recte iudicante, Interdum fingere homines, se quidpiam trade-
 re, uel agere uelle, quod reuera nolunt: quo fit, ut contrahi societas possit; quam-
 uis ea talia non sint, qualia uideantur. Nam si ipse operario mercedem promit-
 tis, suam ille operam impendit; & licet animo non soluendi promiseris, sequitur
 tamen societas; & idē in alijs intelligatur. Non igitur prædictas quatuor dispo- 30
 sitiones exigi, sed satis esse illis uideri, qui societatem sunt inirituri: quamuis enim
 ipse non egeas, neq. ego abundem, sed utriq. nostrum uideatur, & te egere, &
 me abundare, semper sequetur societas. Quamobrem non hęc ei necessaria esse,
 qui aptus ad societatem futurus sit, sed sufficere, ut uideantur. Respondendū
 autem uidetur, in utroq. copiam, & indigentiam naturaliter exigi, & ijs cogni-
 tis, uoluntatem dandi, & accipiendi sequi, deceptiones tamen (ut dictum est) ori-
 ti posse: nos uerò non de deceptionibus, & erratis, sed de ueris, solidisq. societa-
 tibus uerba fecisse. Verū ut hęc commodius cognoscantur, & errata, quantum
 fieri potest, uitentur; de copia, & facultate alijs commodandi, deinde de uolun-
 tatibus nonnulla dicemus, & paulò post de erroribus. Ut igitur uterq. alteri sa- 40
 tisfaciat, ita ut socij fiant, uoluntate, & potentia opus est (nam scientia subpo-
 tentia quodammodo continetur: artes enim, & scientiæ sunt potentie opitu-
 landi) uerū quia in præsentia supponimus homines nō naturaliter, sed uolūta-
 tē iungi; uidendū est seorsum, quid in me requiratur, ut socius esse uelim; & quid
 ego in te requiram, ut in socij locū admittā. In me igitur, ueluti societatis in eun-
 de principio indigentia, & copia necessaria est, & opinio de mea indigentia, &
 abundantia, & uā de tua abundantia, & indigentia: & in summa, opinio, quod
 ego tradam tua, & abste petam, ut tradas tua. Et quia hoc non fiet, nisi possis,
 & uelis; nec poteris, nisi abundes; nec uoles, nisi confidas te mea accepturum; &
 non cōfides, nisi putes me posse, & uelle tradere, & te egere. Quoties utriq. ege- 50
 mus, & abundamus, opiniones autē prædictæ nō adsunt, appetitus dādi, & accipiē-
 di nō oritur. Et quoniā errores, & opiniones, ne accipiamus, aut ne socij traditu-
 ri sint, multis de causis incidere possunt, ideo de uolūtate dādi, & accipiēdi agē-
 dum est.

dum est. Et cum possimus decipi circa vires, de ipsis nunc aliquid in vniuersum dicendum videtur: sed prius superioris combinationis membra perpendamus.

*SVPERIORIS COMBINATIONIS MEMBRA
diligentius expenduntur. Cap. XII.*



10 **C**VM sexdecim superioris combinationis sint membra, quorum vnum tantum societati componendæ vtile sit; necesse erit, eo modo affectum aut societatem cupere, aut non. Eam igitur cupienti nihil aliud agendum est, quàm vt se ipsum, quo ad omnes numeros exacte dispositum, paratumq. ostendat; videlicet, se posse, & velle commoda tradere, ac egere, & velle accipere; vt si quis equum venalem habet, hic abundat, & tradere vult, idemq. eget pretio, & vult ipsum accipere. Itaq. nihil aliud quæritur, nisi qui eget equo, & abundet pecunia, & illum accipere velit, & hanc tradere: nam ijs inter eos cognitis, continuò sequetur societas. Sed cum voluntas tradendi, & accipiendi confusa, & vniuersim oriatur ex notitia, & opinione suæ indigentia, & abundantia; & voluntas dandi huic, & sumendi ab hoc ex notitia eorum, quæ ad alterum pertinent, commodius viderur, vt abundantes, & egentes capiamus, abundantes verò, & non egentes, ac egentes, & non abundantes societati beneficæ relinquamus;

20 non egentes autem, neq. abundantes solitudini. Verùm cum huc vsque de voluntate tot dicta sint, principium diligenter retinendum, vt ea non ab aliorum cognitione pendeat; sed ab indigentia nostra, & abundantia: nam cum dare volumus, vt accipiamus; opus est fide, seu opinione, quod is, cui trademus, sua traditurus sit, atque ita numquam concurrent voluntas dandi huic, animo capiendi, & nolle capere, prædictaq. distinctio cunctas auferet difficultates. Itaq. vt datur voluntas dandi, vniuersalis, & particularis; ita & voluntas accipiendi. Quapropter fieri potest, vt quis eget in vniuersum, & nolit accipere hæc, quæ admodum vt velit tradere, sed non huic; denique aptum ad societatem oportet egere, & abundare, & scire se abundare, & egere, & velle sua abundantia, videlicet bonis, quibus affluit, satisfacere suæ indigentia. Et hoc pacto,

30 quo ad se ipsum attinet, aptus erit ad societatem: neque enim recusabit, quia de sua copia diffidat, neque quia putet se non egere. Quoties igitur alterum reperiet, qui eo abundet, quo ipse eget, & eget, quo abundat, & ita affectum esse intelligat, vt se egere, & abundare cognoscat, & velit indigentia abundantia satisfacere, & alterius sciat dispositionem, & quod alter suam cognoscit; societas proculdubio contrahetur. Quamobrem autem non contrahatur, multæ sunt causæ. Nam aut non abundat quis, vel non eget, aut non vult sua abundantia indigentia satisfacere, sed accipere vult, non tradere; ac vt velit, non reperit aliquem, qui eo abundet, quo eget, aut si abundat, non eo eget, quo ille abundat, aut non vult abundantia satisfacere indigentia, aut abundare, & egere se non cognoscit; aut licet dispositus sit, alterius dispositionem non cognoscit, aut cognosci suam non putat. Hæc autem omnia stipulationibus, & promissionibus remouentur. Cum autem voluntas sit, aut satisfaciendi indigentia sua abundantia, aut dandi huic; ad primam voluntatem constituendam, accipiendi voluntas, & cognitio abundantia sufficit. Sed ad flectendum animum, vt huic dare velit, opus est, vt confidat se accepturum, & suæ indigentia commodis ab eo allatis satisfacturum. Quo fit, vt omnium, quæ dicta sunt, cognitio requiratur, nec vmquam dandi appetitus oritur, quin opinio, & fiducia accipiendi præcedat, quæ consistit in virium, voluntatis, & egestatis alterius cognitione; & quod

50 ille quoq. suam dispositionem cognoscit, & sua tradendo alterius bona cupit accipere. Et idcirco tradere cupit, quod cognoscit à quo hæc sperare, & accipere possit. Hæc igitur hoc modo sumpta nullâ præterea difficultatē habebunt, & po-

L 2 sita volun-

sita voluntate, opinioniones requirere non oportebit: ipsæ enim præcedunt, ut animum flectant, quo inflexo, alteriq. annexo, societas contracta est. Pendet igitur dandi voluntas ab accipiendi voluntate; quamvis ignoremus à quibus determinate accipere, aut quibus nostra tradere debeamus. Eodem pacto voluntas accipiendi pendet ab indigentia, quamquã reperiri possunt, qui ea velint, quibus non egent, aut tradere cupiant, quæ non habent, aut non possint. Verùm huiusmodi homines aut stulti, aut certe parum prudentes censendi sunt. Et omnino de omnibus sermo est habendus: nam qui purant se posse, quæ nequeunt, aut habere illa, quibus carent, inutilem conflant societatem.

10

DE CAUSIS, QUIBVS ALIIS PRODESSE
possimus. Cap. XIII.



IN singulis nostris operationibus, quæ ad finem aliquem tendunt, primum rerum agendarum cognitione opus est, & omnino recta ratione, quam prudentiam dicimus, non absolute, sed quatenus ad eorum notitiam attinet, quæ ad illum finem perducunt. Præterea sanitate, quæ corporis perfectio est, ad animæ imperium commode exequendum: ut enim cognitio impellit voluntatem; ita voluntas corpus ad operandum. Ad hæc quia res fere semper inter alios gerendæ sunt, qui impedire nonnumquam, & prohibere possunt; libertas est necessaria, ut externis impedimentis vacui, corpore uti pro arbitrio valeamus. Postremò quia in re gerenda semper aliquibus obiectis, & alicubi utimur; opus est obiectis non impeditis, & omnino facultate quadam ab alijs permittis, qua possimus circa bona versari, quæ (ut suo loco dicemus) ius appellatur. Itaque ut nostri, & alieni commodi causa quidpiã agamus, nobis inesse oportet prudentiam, sanitatem, libertatem, ac ius. Quamquam libertas, & ius nobis insunt, non ut qualitates reales, sed ut amotiones impedimentorum, siue perfectiones quædam, quibus ab externis incommodis tuti sumus. Nam idem est, seu nos impediamur, seu res attingere, & circa ipsas versari arbitrato nostro nequeamus. Quatuor igitur perfectionibus opus est, animi, scilicet, & corporis; & ne nos impediamur, & ne nobis res impediatur, quas hinc apparet aliquo modo adesse oportere: nam ius, seu facultatem circa ea versandi, quæ non adsunt, habere non possumus. Quare idem videntur ius, ac diuitiæ: habet enim diuites ius circa multa, quæ sibi, & alijs sufficere possunt. Et abundare bonis, est habere facultatem ipsis utendi. Vnde patet quo pacto abundantes, diuites, & ius in bonis habentes sint prope idem; nec quidquã refert, bona ne actu possideamus, an artes calleamus, quibus illa parantur: nam cum ex faciendi cum recta ratione, & comparandorum obiectorum principia sint, ad prudentiã, & ius referendæ sunt; quemadmodum nobilitas, cognatio, clientela, gratia: ijs enim habemus ius in hominibus, veluti diuites in pecunijs. Potentia autem animi, qua ad finem cæpta perducuntur, scientia dicitur. Sciunt autem, ut vniuersim dicamus, in singulis societatibus prudentes, & qui rerum agendarum cognitione pollent, earum saltem, quæ in communi vsu vitæ versantur. Periti quoque in singulis artibus cum scientibus numerantur, cum de ijs agitur, quæ ad eorum officia spectant: posse enim censentur, cum sciunt. Solertes etiam & perspicaces, & acri ingenio præditi, ac experientia, alijque huiusmodi inter hos locari debent. Verùm sola prudentia, & ars animi potentiã constituere videntur, qua dicimur scire, & posse, vel abundare bonis: nam scientes (ut diximus) aliquo modo posse, & abundare dicuntur. Cætera igitur ad illa duo redigantur. Qui enim experti sunt, sensibilia norunt, & alij ad prudentiam, aut artes sunt apti, vel aliquo modo ipsarum participes. Ex ijs igitur eliciendi, qui prodesse possint, vel nequeant, qui sciunt

sciunt vel nesciunt, qui abundant, vel non, nam hæc omnia pro eisdem accepta nobis sunt, ne combinationum membra nimium multiplicarentur. Societatem porro initurus facile, cum eget, animaduertet, quæ, & à quibus promittantur: qui enim promittit se domum, aut aliud huiusmodi effecturum, arte fortasse caret; qui se negotia gesturum, prudentia, aut valetudine eget; qui sui iuris non est, se obligare non valet; qui pecunia, alijsq. bonis indiget, præstare promissa non potest. Vnde apparet, cunctas societates ad prædicta capita redigi; quoad scientiam; & potentiam, siue abundantiam pertinet. Quo verò ad eget item, satis in vniuersum ostensum est, omnes cæteris indigere; particulatim autem ex eorum cupiditatibus, & ijs, quæ habent, & ex ijs, quæ nos habemus, conijcere licebit, an alij opera nostra, & bonis egeant; an non; & semper tam in egestate, quàm in abundantia prædicta spectanda. Nam potest quis egere prudentia, arte, valetudine, libertate, & iure, siue bonis, & ita eadem accommodari possunt, vt cognoscamus nostram, & alienam abundantiam, aut indigentiam, quò societates cautiùs inire possimus. Opposita quoq. considerare non erit inutile: scientibus igitur opponuntur ignari, inertes, stulti, improvidi, tardi ingenio, inexperti, alijsq. huiusmodi; sanitati morbus; libertati seruitus, & obligatio; iuri, ac diuitijs, paupertas, ignobilitas; & omnino copiarum inopia. Serui autem dicuntur simpliciter; & secundum quid: qui enim sunt obligati legibus, vel contractibus, aliquo modo sunt serui. Idemq. de bonis dicendum, quæ sunt apud nos, sed alij in illis ius habent: nunc de voluntate dandi, & accipiendi dicamus.

DE VOLVNTATE DANDI. Cap. XIV.

VOLVNTAS dandi, quæ in benefica societate non pendet à voluntate accipiendi, sed libera est, & absoluta, in iuridica nulla alia de causa reperitur in nobis, præterquam quòd vel accipere cupimus, vel iam accepimus; & omnino quòd nostro labore viuere, non alieno decreuimus: neque enim sua nobis ab alijs traderentur, nisi nos illis vicissim nostra traderemus. Semper igitur accipiendi voluntati dandi est adiuncta voluntas. Nam quæ superius membra enumerantes dicebamus, fieri scilicet posse, vt quis velit tradere, sed nolit accipere; in eo locum habent, qui vendere aliquid cupiat, & ex consequenti tradere, sed pretij loco nolit prædium, aut frumentum, sed pecuniam, aut vestes, aut non tam paucam pecuniam; aut non has vestes: non igitur absolute dare, & nihil accipere vult, sed dare quidem, & accipere, non tamen hæc, vel tam pauca. Quamobrem, quoad tradendi voluntatem, non est mouendus, vt eum mouere oporteret, si nollet vendere; sed vt pretium illud admittat scetendus est. Itaq. apparet reperiri aliquem, qui velit tradere, & accipere, sed non hæc, fortasse etiam non huic, vel non ab hoc. Voluntas igitur dandi pendet à voluntate accipiendi; quapropter nisi adfit fides, quòd sit accepturus, licet velit tradere, conflare societas non poterit. Ego enim non existimabo, te mihi velle tua tradere, nisi opiner te cupere, & sperare mea contra accepturum esse. Hoc autem nõ sperabis, nisi de me bene sentias, videlicet quòd sim daturus. Huiusmodi verò opiniones procedere in infinitum videntur; certus tamen modus adhibendus est, de quo suo loco sermo fiet. In præsentia dixisse sufficiat, voluntatem dandi esse gratia accipiendi; cur autem accipere velimus, mox dicemus. Cur verò nolimus tradere, inde prouenit, quia accipere nolumus, vel non putamus nos egere, vel non abundamus. Proinde inferri potest, eum, qui sua tradere velit, non solum putare se alijs indigere; sed illis etiam abundare, quæ tradere vult: ita vt ei deesse non possint; aut se minori incommodo carere ijs posse, quæ habet, quàm ijs, quibus eget. Cum verò huic dare nolumus, sed simpliciter da-

re vellemus, id eo fit, quòd non confidimus nos accepturos, aut non tot, quot indigemus. Quòd non confidamus, causa est, quoniam alij non abundant, vel dare nolunt, cur autem nolint, eadem causa est, cum ea, propter quam diximus nos nolle tradere. Nam aut egere se non putant, & ideo nolunt accipere, ex consequenti nec tradere, aut non putant se abundare. Nunc id tantum addamus, eos, qui tradere nolunt, cum debent, iniustos esse; eos verò, qui tradere gratis volunt, iustis esse præstantiores. Hæc autem tum copiosius tractabuntur, cum de ijs agemus, qui cupiunt accipere, & nihil tradere, vel omnino pauciora, quàm accipere cupiant.

DE VOLUNTATE ACCIPIENDI.

Cap. XV.

VI bona accipere ab alijs cupiunt, modò boni viri sint, sua illis vicissim tradere volunt, non tamen ideo volunt accipere, ut tradant; sed tradere, ut accipiant. Cur autem bona accipere cupiant, causa in promptu est: nempe ut commoditate, vel voluptate, quæ ex eorum usu percipi potest, fruantur, neque aut illa carere necesse sit, aut diu, ac fortasse frustra in ijs comparandis elaborare. Nam si miles, aut gubernator operam dent, ut sibi suarum artium instrumenta parent; vel diurno labore, vel potius numquam efficient; at commutando, & sua tradendo fit, ut aliena, quamlibet operosa, facillè assequantur. Nonnulli verò sunt, qui commoda accipere vellent, & nihil tradere, eaque non gratuito, aut dono rogantes; sed vi, vel dolo subtrahentes; & modò bonis alieno labore partis potiantur, nihil pensi habent. Hi verò ad omnes societates sunt ineptissimi, & veluti iniqui, ac rapaces è bonorum sunt consortio exterminandi, vel legibus, ac supplicijs coercendi; sed de his aliàs, nunc sufficiat viròs bonos aliena accipere, & sua vicissim tradere velle; ac licet non accipiant, ut tradant, tamen inferre tutò possumus, si accipere volunt, velle tradere. Ut enim à causa ad effectum arguimus; ita etiam ab effectu ad causæ cognitionem peruenimus. Itaque præcipua accipiendi causa est, opinio indigentiae, & commoditatis, voluptatiq; ex acceptis percipiendæ cupiditas. Cur autem accipere nolimus, causa est, quod non putamus egere nos, vel ea esse commoda nobis; aut quòd ueremur, ne plura illi à nobis expectent. Nam cum iniustis perferri nolumus, Accipere autem nolle, propterea quòd gratis dare uelimus, ad beneficam societatem pertinet. Ex his igitur etsi non facillè, saltem aliqua ratione licebit alienam uoluntatem coniectura consequi: nam qui nouit, quibus causis adducti homines ad dandum, & capiendum mouentur, poterit in singulis perscrutari, an adsint: atque ita probabili quadam argumentatione cuncta assequetur. Sed nunc de bonis inter simul contrahentes opinione dicamus.

FINIS LIBRI SEXTI.

ADOVAR-



AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Septimus.



DE BONA INTER SIMUL

contrahentes opinione, quae est Fides,

& Honor. Caput I.

39



VM autem pro aptitudine ad societatem: quatuor re ipsa dispositiones in quolibet socio exigi dictum sit; nempe bonorum, alieniq; auxiliij indigentiam, & abundantiam, commoditatemq; iuvandi alterum, & voluntatem dandi, & accipiendi; ita vt qui se egete cognoscit, & alterum, scire, velle, ac posse bona tradere, ipsum diligere, & ipsius com-

40

moda optare cogatur; tum quia boni viri officium est diligentem diligere, & benevolentia vinci nolle; tum quia voluntas dandi, non per se esse videtur, sed ob indigentiam, & desiderium accipiendi; qua igitur credimus aliquem nobis prodesse velle, quamuis nequeat; aut modum nesciat,

50

cogimur ipsum diligere, alioqui iniurij sumus. Qua vero scit, potest, & vult nobis prodesse, dignus existimandus est, non solum nostra benevolentia, verum etiam bonis, quae in nostra sunt potestate. Haec autem opinio vno modo est fides, altero vero honor. Nam qua opinio est in me, vt scias, possis, & velis mihi prodesse, dupliciter afficior: vno quidem modo, ad societatem ineundam mei commodi causa, quia me bona accepturum confido; altero autem pro commodo tuo, a quo sentio pendere commodum meum: nisi enim bona tibi optarem, licet tradere mihi commoda posses, proculdubio nolles. Moueor etiam naturalior, cum nemo ferre possit, modo probe constitutus sit, vt commoda accipiens non retribuatur; praesertim cum dans eget, & accipiens aliquo modo abundat. Itaque cum sim mei commodi cupidus, quod pendet a voluntate tua, & tua voluntas commodi mei pendeat a meo desiderio commodi tui, necessario cogor non solum commodum meum, sed etiam, quae ad ipsum conducunt,


vide-

videlicet commodum tuum desiderare. Hæc autem opinio mea de scientia, potentia, & voluntate tua, ad meum commodum vergens dicitur fides; ad tuum verò, quatenus tibi prodest, ut huiusmodi de re mihi opinio insit, dicitur tuus honor. Nam licet in me sit re ipsa opinio quædam, tamen quia in tuum commodum cadit, dicitur honor tuus. Opinio igitur, quod quis sciat, possit, & velit prodesse, in præsentis societate appellatur honor, modò in eius commodum vergat, de quo habetur. Eadem autem opinio, quæ fides, atque honor dicitur, causa est, ut societates ineamus, & initas conseruemus, non solum pro commo-
do nostro, verum etiam pro alieno.

FIDEI, ET HONORI RESPONDERE,

Et æquari virtutem, ac dignitatem.

Cap. 11.



HIS autem duobus alia duo, nimirum virtus, ac dignitas respondere videntur: virtus enim (quo nomine hoc loco iustitia intelligitur) constans est voluntas, scientia, potentiaque prædicta dandi unicuique suum, id est, quod ei debetur, vel quod polliciti sumus, ex eo, quod nobis date cupit, vel etiam quod ad eum spectat ex communi labore. Quamobrem virtus proportionata fidei esse debet, aut potius fides virtuti; ita ut acta promissis, atque expectationi respondeant. Quoties igitur fides, seu opinio in me, quod promissa seruabis, respondet, atque æquatur principio, & facultati in te (quæ hoc loco virtus vocatur) præstandi quod pollicitus es, semper res, quoad me attinet, recte se habet. Rursus cum opinio de tua voluntate, & viribus respondet dignitati; res tecum bene agitur. Est autem dignitas aptitudo ad commoda capienda, quæ ita est eadem re cum virtute, ut fides cum honore; & hæc saltem inter se æqualia esse oportet, ut quanta est in te virtus, tanta sit in me fides; & quanta est virtus; tanta debet esse dignitas. Mea enim virtus ponderatur commo-
do tuo, quod si est magnum, virtus etiam magna est; & si magnum est, quod accipio, quod à me tradi debet, & abs te accipi, magnum similiter esse oportet. At nos diximus dignitatem esse aptitudinem ad accipiendum, quæ tanta esse debet, quanta est tradendi facultas. Nam ut ea, quæ traduntur, ijs æquari debent, quæ accipiuntur; ita virtus, & dignitas debent esse inter se æquales: vna enim ex altera nascitur, ut dandi voluntas ex accipiendi voluntate. Nam ut data, & accepta æquantur; ita & constitutiones æquari debent. Id autem, quod diximus de virtute, & dignitate, de fide quoque, & honore est intelligendum. Tot enim, ac tantis dignum iudicare socium debes, quot, & quanta te ab eo accepturum confidis. Atque ita hæc quatuor æqualia inter se esse necesse est. Nam si fides æquari virtuti debet, & virtus dignitati; honor autem, & dignitas sint pares, itemque fides, & honor; absque dubio quæ vni, & eidem paria sunt, erunt etiam inter se paria. Erit igitur par dignitas fidei, & honor virtuti, modò boni, & æqui viri sint, nec aberrent: nam iniusti plurimum confidere, & sperare solent, parum autem dignos iudicare; quippe qui sibi dumtaxat consulant. Superbi autem putant sibi omnes sine vlla præmij spe seruire debere. Vnde apparet, qua ratione multi decipiantur. Qui autem in vno fallitur, in cunctis fallatur oportet. Nam qui minus confidit, virtutem, ac dignitatem minorem iudicat. Cum verò honor sit mensura dignitatis, vel de aliena dignitate opinio; necessariò etiam minor erit. Fides verò annexam spem habet, quæ quidem re est eadem, ratione tantum differt. Nam quæ opinamur alios nobis bona tradituros, fides; quæ verò opinamur nos accepturos, eisque frui-

fruituros, spes dicitur. Quapropter non sentimus fidei voluptatem inesse, aut magis latentem, in spe autem illam percipimus: omnes enim, dum sperant, voluptate aliqua afficiuntur, vt dolore, dum timent. Expectatio autem idem est, quod spes, prout in præsentia accipitur. Verùm de Honore, & Fama, de Gloria, deque omnibus, quæ ijs sunt annexa, eorumque contrarijs, alibi fufius differemus, vt ab omnibus eorum substantia cognoscatur, & appareat, cur à quibusdam negligantur, à quibusdam verò tanti fiant, vt pro eorum affecutione, & conseruatione mori non recusent. Quemadmodum autem corpora nostra iisdem aluntur, & conseruantur, quibus constant; ita societates ineuntur à socijs, propter promissa, fidem, & expectationem, seu spem commodorum capiendorum, eademque de causa commoda traduntur. Si quis igitur abstulerit fidem ab vno, auferetur statim aliquo modo virtus ab alio: nam fides opinio est de virtute. Ablata autem aliquo modo virtute, aufertur dignitas, itemque honor, quæ est de dignitate opinio. Quoties igitur quis promissa non seruat, virtute caret, quam hoc loco iustitiam diximus. Officio dandi destitutus, ineptus statim, indignusque habetur, qui ab alijs capiat. Simul igitur virtutem amittit, honorem, dignitatem, fidem, spem, & huiusmodi, & ineptus redditur ad societatem: ex quo facillè patere potest, quantopere diligendum sit ius, à quo aliquo modo commoda cuncta proueniunt: nam qui ipsum seruat, est aptus ad omnia; qui autem non seruat, bonis etiam, quæ possidet, est indignus. Prædicta ita intelligenda sunt, vt re ipsa sequantur: opiniones enim accommodari rebus debent; qui igitur, mutata re, eandem seruat opinionem, decipitur. Virtus in quolibet re quidem ipsa est aliquid, dignumque reddit; ratione tamen societatis, virtus est, quanta est fides, & dignitas, quantus est honor; honor autem & fides in bono viro sunt pares. Opus est igitur, vt quis sit vir bonus, ac iustus, & in opinando de reliquis non decipiatur. Ex dictis apparet, aptum ad societatem pro commodo suo, honore, ac dignitate egere; & honor quidem est in alijs, dignitas autem re ipsa in digno, licet mutetur, cum aliter, atque est, iudicatur. Alieni autem commodi causa virtute egemus, & fide, quæ nobis non proderunt, nisi aliquo sint modo in alijs. Attamen virtus, & dignitas, cum re ipsa in nobis sint, seruari possunt; verùm non proderunt, nisi quales in nobis sunt, tales quoque alijs videantur. Quin licet non sint, & videantur, profunt; quo fit, vt omnes magis cupiant videri, quàm esse: nam cum viri boni videntur, atque in pretio habentur, ipsis prodest; at cum reuera sunt, nec tamen habentur, nocet. Viri autem boni cupere debent, vt quæ insunt, ijs respondeant, quæ videntur, sed maiora verbis non fiant. Verùm cum vsus obtinuerit, vt in aulis cuncta augeantur, nisi quis sua augeter, minora viderentur. Sed de his postea. Ex ijs autem, quæ dicta sunt, quid sit societas, patet; quiq; ad eam sint apti. Posthac de ratione componendi, seruandi, ac dissoluendi societates agendum est.

40

DE MOTV ANIMORVM IN
componendis societatibus. Cap. III.

RINALEM societatis causam diximus esse commune commodum, eandemque sociorum; eorum verò, qui nondum socij sunt, non est præcipuus finis commune commodum, sed proprium, quod cum assequi sine aliorum commodo non possint, ac si possent, non expediret; commune desiderant, aut alienum, vt alij vicissim non sibi, sed ipsis commoda querant.

30 Vt igitur confletur societas, sufficit vnio voluntatum communis commodi causa; verùm vt voluntas, vel appetitus singulorum, absque obiectis, alijsque rebus, quæ requiruntur, expleri non potest; ita appetitus societatis, vel sociorum, nisi
vires

vires suppetant, & facultas finem adipiscendi, inanis erit. Quamobrem propositis viribus, & facultate, si concordia, & vnanimitas aduenit, vt vnitur societas, ita facilè, feliciterque procedit. At si quo pacto discrepare inter se homines, ac dissentire contingit, mouere eorum animos, & inflectere opus est, dandaq. opera, vt remotis omnibus impedimentis, idem sentiant, & idem velint. Flectuntur autem animi aut re, & obiectis, aut oratione. Re, & obiectis, cum ea, quæ appetit animus, præsentia offeruntur: quamuis enim tacitus sitienti vinum proponas, aut auido aurum; ad propria obiecta, & res, quas appetunt, confestim ferentur. Oratione autem, cum eadem obiecta, quæ, si adessent, sua præsentia appetentem mouerent; cum absunt, ita verbis offeras, & præsentem, ea enumerando, apteque explicando, vt auditorem non secus moueant, quàm si veram eorum speciem præberes, præsentemque exhiberes. Quod ars oratoria præstat, nec societatis tantum constituendis, ac conseruandis, & vbi occasio postulat, recte dirimendis; sed cunctis hominum operationibus regendis, & gubernandis, cum prudentiæ adiuncta est, maxime inseruit. Sed de ijs aliàs: nunc sufficiat, quod ad societatis constitutionem, aptitudo hominum est necessaria. Vt autem sint apti homines, præter cætera necesse est, vt non proprium, sed commune commodum appetant. Cum verò, antequam societatis vinculo copulentur, & vniantur animi, eorum status varij, ac diuersi sint: alij enim tantum abest, vt cæteris commoda optent, vt etiam obesse quærant: alij neque obesse, neque prodesse parati sunt: nonnulli accipere quidem commoda cupiunt, non tamen tradere: alij contra non tam accipere, quàm tradere volunt: vt igitur ad vnionem, quam inquirimus, perducantur, dimouere illos à priori sede, statuque oportet; ita vt qui hostili sunt animo, à voluntate nocendi, ad voluntatem agendi alieni vel communis commodi causa traducantur. Sic & cæteri à voluntate non nocendi, neque iuuandi, ad voluntatem iuuandi, & à voluntate accipiendi, & non tradendi, ad voluntatem accipiendi, ac tradendi; demum à voluntate tradendi, & non accipiendi, ad voluntatem tradendi, & accipiendi conuertendi sunt. Apparet autem, quod facilius ille mouebitur, qui dare vult, & non accipere, quàm qui non vult dare, nec accipere: & longe difficilius is, qui vult nocere, impellitur, vt profit, quàm is, qui non vult nocere, neque prodesse. Summa est, motus reales fieri debere, aut circa appetitiones, & animos, qui reuèra flectendi sunt, aut circa scientiam, & potentiam, aut circa opinioniones. Et circa appetitiones quidem mouendi sunt homines, vt appetant, quæ non appetunt, aut vt non appetant, quæ appetunt. Circa scientiam, vt ea cognoscere velint, quæ sunt cognoscenda, nec quidquam negligant. Circa potentiam, vt bona comparent, quæ vsui futura sunt. Circa opinioniones, vt non credant, quæ credunt, aut vt credant, quæ non credunt. Quod si omnia ad appetitiones referre volumus, appetitum dandi, & accipiendi impellere oportet, vt assequatur ea, quibus caret. In ijs autem, quæ ad vires attinent, interdum quis non putat se posse, quæ potest, aut se putat nescire, quæ cognoscit; hi tamen oratione persuaderi facilè possunt. Denique ratio flectendi voluntatem est, ei bona, & voluptatem, vel commoda, & vtilitatem offerre, aut incommodorum, & periculorum amotionem, & fugam, quæ bonorum loco habentur. Et cum quælibet societas promissionem, & obligationem quamdam exigit, & quorundam bonorum priuationem; labores subeundos, bonaque tradenda, cum lucro, & commodo acquirendo conferre oportet. Nam vbi commodum superat, semper societas sequi debet, nisi alia forte offeratur: tunc enim, quænam vtilior sit futura, exquiritur. At non solum prædicta efficienda, verum etiam suspiciones sunt amouendæ, ne socius nequeat, aut nolit. Sed iam de erroribus dicamus.

DE ERRORIBVS. Cap. IV.



VIDIMVS commune commodum societatis iuridicæ finem esse, veluti terminum, ad quem societatis ipsius ductu, quasi via quadam peruenitur. Error autem à recta via deflexio est, cum scilicet illius ignari extra institutum iter diuertimus; vel etiam tamquam fouea, & præcipitium, quod nos impedit, ne ad finem peruenire possimus; propterea summopere vitandus

- est: Incidere errores possunt, tam ante congressus, quàm in congressibus, & tam inira societate, quàm dirempta. Ante congressus quidem, cum non quando oportet, aut non cum quibus, inire societatem paramus: nam si tunc minus cauemus, plerumque inutilem, nonnumquam etiam damnosam, aut perniciosam contrahimus, & viam ad felicitatem nequaquam ferentem, aut non rectam eligimus. In congressibus verò socij esse cupientes, cum quærere dominum præstaret, aut seruum, aut beneficum, aut inopem, aut etiam solitudinem, vel pugnam. Verumtamen cum quærere socium expediat, summa cautio adhibenda est, ne decipiamur. Nam cum quatuor tam in nobis, quàm in alijs noscenda proponantur, videndum in quibus plus, vel minus aberrare possimus.
- De nostra igitur voluntate dandi, & accipiendi ambigere non solemus (quamuis nonnumquam videantur nescire homines, quid sibi velint) sed potius bonum ne, an malum sit, vtile, an inutile. Fieri igitur potest, vt circa nostras vires hallucinemur, existimantes scire nos, quæ nescimus, & posse, quæ non possumus, vel abundare, quibus non abundamus, egere, quibus non egemus. Quamquam magis fallimur, quod egentes opera, consilioque alieno, nos non egere putamus. Eadem autem in alijs exactius considerata, vbi periculosus erratur: nam quoad vires, & abundantiam aliorum, decipimur putantes posse, quæ nequeunt, vel non posse, quæ possunt. Idemque de voluntate dicendum: nam putamus velle, quæ nolunt, aut nolle, quæ volunt, vel egere, cū non egent, aut non egere, cū egent. Sed & aliquando circa magnitudinem, & paruitatem erramus, existimantes nostras, vel aliorum vires magnas, aut exiguas esse, maiores, aut minores, similiter & indigentiam. Interdum etiam comparantes, nostras maiores, alienas minores arbitramur; aut contra nostras minores, alienas maiores, cum tamen aliter habeant. Possimus etiam decipi circa locum, tempus, & reliqua, aut circa voluntatem aliorum, putantes eos velle dono dare, aut accipere, vel vi sine, quod inira societatem est, velle paria tradere ijs, quæ acceperint, vel plura, vel pauciora. Qui igitur suas vires, & dignitatem maiores, alienas minores autumant, superbi sunt. ijque se omnino egere non putant, nec sibi ab alijs prodesse posse; præterea nec dignos censent, qui æquali cum ipsis iure utantur: quo fit, vt in societate plura appetant, præsertim in bonorum, & honorumque distributione: itaque societas cum ipsis iniqua conditione inicitur, & difficillime conseruatur. Neque enim eorum voluntas alienæ voluntati vnitur, vt in societate fieri diximus, sed quasi aquæ infusum oleum semper supernatat; seorsumque manet. Contra ijs, qui demisso, delectoque sunt animo, suæ vires minores, alienæ maiores apparent, & alios plurimum, se parum, aut nihil posse prodesse; moderatis autem moderata omnia videntur. Qui verò suas vires, & simul alienas maiores credunt, audaces sunt, & confidentes, qui contra dissidentes, & timidi; & vt hi parsi pri ad societates habendissent; ita illi aptiores etiã, quàm par sit. Qui de suis viribus minimè magnificè sentiunt, de alienis verò moderate, semisuperbi vocari possunt. Qui autem contra de alienis præter modum, de suis autem vt æquum est, non tam humiles, & demissi censendi sunt, quàm imprudentes, & leues. Verum superbi, primò alijs inepti sunt, & incommodi

modi, deinde sibi. Humiles contra primò sibi, deinde alijs. At audaces simul sibi, & alijs sunt inutiles, nisi fortuna opem ferat, quam iuuare illos affirmant, timidos autem repellere, de quibus idem censendum est, quamquam eorum minor, quam audacium est lapsus. Nam licet multis se bonis defraudent; tamen cum ex humiliori gradu deturbentur, videtur eorum conditio eligibilior. Sunt qui de alijs grauius sentiant, nec vllò pacto confidant, eos promissa esse præstituros; alij non credunt sibi fidem haberi: quo fit, vt plurimæ societates vtilis, atque optabiles impediuntur. Et omnino magna errorum pars in communi vsu vitæ inde oriri videtur, quòd nimium confidant, aut diffidant homines, neque id ab re. Nam præterquam quod difficillimum est alienas vires, voluntatemque cognoscere, augetur à plerisque difficultas, simulandi, ac dissimulandi arte, & consuetudine. Præterea nos ipsi circa nostras vires, ac dignitatem magnopere fallimur: non enim quid alijs tradere possimus, sed quid accipere, quidque illi nobis afferre commodi valeant, consideramus: proinde obiectorum, commodorumque magnitudine perturbati recte sentire non possumus. Errores, qui ante congressus, & in congressibus admittuntur, iam ostendimus: cætera enim hominum experientia, & prudentia supplet. De ijs autem, in quos iam inita, vel etiam soluta societate incidimus, post sermonem de officijs dicemus. Nunc vt à simulatoribus, & dissimulatoribus minus lædamur, aliquid in vniuersum de fictionibus dicendum est. Cum enim communia explicata fuerint, facile erit, in singulis societatibus proportionalia, siue etiam propria principia inuenire.

DE FICTIONIBVS.

Cap. V.

FIXIONES aliquo modo proportionem respondent erroribus: nam vt erramus putantes nos scire, cum nescimus, ita fingimus nos scire, quæ ignoramus; & vt decipimur existimantes alios velle, quæ nolunt; ita etiam fingimus nos velle, quæ nobis molesta sunt: & omnino fingendi ratio aliquatenus erroris proportionem respondet. Sed in eo differt, quod fictiones fere semper ad fingentis commodum tendunt, & illius, qui fallitur, detrimentum, nisi ludendi gratia fingitur, tunc enim fictio nemini nocet. Nam, qui fingit se posse, ac velle, quæ nec potest, nec vult; idcirco fingit, vt alterum ad sua tradendum alliciat. Quapropter multi se diuites, aut amicos simulant, & magno desiderio alios iuuandi teneri, vt ipsis alij profine. Qua in re tota Curialium, Aulicorumque facultas consumitur. Nam gestus, signaquea moris, ac reuerentiæ mire exprimunt, & stragare studio videntur, beneficij in alterum conferendi, & eius commodis inserviendi, vt alibi dicturi sumus. Nunc monere satius est, ab ijs, qui fingunt, diligentissime cauendum esse: omnibus enim imponunt. Nec desunt, qui non idcirco fingunt, vt vnum, aut alterum fallant; sed vt inane probitatis, aut sapientiæ nomen acquirant: non enim virtutes ipsas, sed earum umbras aucupantur. Probi autem, & prudentis est hominis, ita se gerere, vt eius potentia, virtus, & dignitas, qualiscumque sit, diuissis fictionibus innotescat. Nam qui fingendo excedunt, simulatores vocantur; qui sua extenuant, dissimulatores, qualem Socratem, & Scipionem fuisse ferunt. Qui verò suas vires, & voluntatem, etiam si velint, significare nesciunt, rudes, ac rustici habentur. At qui rem, vt se habet, aperijunt, simplices, aperti; & boni viri censendi sunt. Licet sint, qui diuersis de causis fingendum cum multis esse contendunt. Et Principes nonnullos dicere solitos accepimus, nescientem simula-

re, ne-

re, nescire regnare. Qui si eatenus fingendum putant, ne ab hostibus ipsi fraudentur, ferendi sunt; si verò, ut alios decipiant, tantò magis sunt accusandi, quantò detestabilius est fidem publicam, quàm priuatam fallere, & eos peccare contra ius, quos, ne cæteri peccent, exemplo, & opere curare oportet. Hæc autem quamquam à nemine (quod sciamus) tradantur, tamen ab omnibus fere exercentur; & cum ad fidem, honorem, virtutem, ac dignitatem magnopere conferant, ideo de illis aliquanto latius dicere est necessarium. Fingunt igitur homines, tam antequam in societatem coierint, in ipsis primis congressibus, quàm post illam iam initam; & non solum in societate iuridica, sed etiam in alijs societatibus. Et antequam contracta sit, fictiones nonnumquam ipsam impediunt, nec sequi sinunt, contractam verò perturbant, & sæpe subuertunt. Et ante congressus quidem fictio ascribi vitio non videtur. Præsertim cum non animo fraudandi ea quis vitur, sed ut ab alienis fraudibus caueat, nec se decipi patiatur. Inita verò societate, qui fingit, prout etiam qui fallit, & mentitur, iniustus est. Fingunt autem se scire, quæ nesciunt; velle, quæ nolunt; posse, quæ nequeunt: vel contra, se nescire, quæ sciunt; nolle, quæ volunt; & quæ possunt, non posse. Eademque ratione de alijs fingunt, quæ de se ipsis, videlicet eos scire, quæ nesciunt; vel nescire, quæ sciunt, & cætera simili modo. Ac nisi nugentur, ut fit aliquando, aut benefici esse velint, semper mediate, vel immediate ad suum commodum vergunt, ut pauciora tradant, & plura accipiant. De scientia verò, voluntate, ac potentia, eò potissimum fingunt, quòd sint rerum agendarum principia, & quidam quasi fontes, vnde omnes humanæ fluunt operationes; & ita se aptos ad societates, alios ineptos esse demonstrant. Sunt etiam, qui non solum, se, vel alios scire, aut nescire; velle, aut nolle; posse, aut non posse, plus, vel minus; faciem quoque, ac vultum rebus accommodant, fingunt; verum etiam se ipsos alios esse, quàm sint, tum ut eorum bonis partiantur, quos se esse fingunt, tum ut mala effugiant, quæ sibi impendent. Fingunt præterea facere se, vel fecisse, cum non fecerint, non fecisse, cum fecerint. Beneficia contulisse, quando iniuria affectos; iniuria se affectos esse, cum non sint, non esse, cum sint; quæ tamen omnia ad scientiam, voluntatem, & potentiam referuntur. Nam qui fingit se, vel alium scire, quæ nescit, aut contra, ad scientiam referri debet. Qui se robustum, aut intrepidum, cum pauet; aut posse facere, cum non possit, ad potentiam; qui molesta esse, quæ placent; grata, quæ displicent, ad voluntatem; & similiter se iratum, aut obligatum esse, cum non sit, ut curiales solent; qui cum aliquem rogant, aut sibi conciliante cupiunt, se ei debere prædicant, & acceptorum beneficiorum memores esse, licet reuera nihil debeant. Denique qui fingit, sua auget, aliena extenuat, cum accipere cupit; contra cum dare non vult, aliena auget, sua minuit; quod Horatius veritus est, ne sibi obijceretur, cum dicit: *Sed timui, mea ne finxisse minora putarer; dissimulatores opis propria, mihi commodus uni.* Fingunt autem, aut verbis, ut adulatorum, qui coram laudant, clam vituperant; aut gestu, ut qui honore, & reuerentia prosequuntur, quos oderunt; aut etiam re, ut qui sumptuosis vestibus, & instructis ædibus alios se haberi volunt, quàm sint. Qui verò vitiosum equum laudat, ut pluris vendat, non fingit, sed imponit, & mendax est; ut etiam interpolator, & mango. Et qui dicit te Romæ esse, cum sciat esse Neapoli, non dicitur fingere, sed mentiri. Quapropter omnis fictio mendacium quidem videtur, quòd res aliter, quàm sit, esse ostenditur; & veri facies falso inspergitur; sed non omne mendacium fictio. Ira ut ex ijs, quæ dicta sunt, fingere, sit actionum principia sua, vel alterius; ipsasque actiones re, aut verbis immutare proprii commodi causa: quod penitus vafri hominis, & versipellis est opus. Nam bonus vir nunquam ea negat esse, quæ sunt; aut ea affirmat esse, quæ non sunt; aut sua

extollit, alienà deprimat; neque fraudibus, & fallacijs venatur honorem, vel fidem, aut opinionem virtutis, & dignitatis. Neque enim plura accipere, quàm tradere vult; sed paritatem secundum rem semper habet in animo, cui subijcit omnes affectus: propterea numquam quidquam ager, quod sibi plus proffit, alijs minus; sed perpetuò veri custos erit, & suas actiones iure metietur. Quærendum autem videtur, quonam pacto viro bono contra fingentem sit procedendum; & quamquam ille prorsus indignus est, ut cum eo aperte, ac sincere degatur, sed fallentem in juridica societate fallere liceat, & fallacia fallaciam trudere, atque (ut aiunt) cretizare contra Crentensem; tamen boni viri officium est, suos constantè servare mores, non alienos induere, suumque ius semper humanitate condire, & operam dare, ut socium (si fieri potest) probum, ac veridicum reddat; si minus, eius consuetudinem vitet, & caueat, necubi suis negotijs aliena malitia obesse possit. Quoties autem errores, aut fictiones societatem impediunt, facile est, ut illis remotis ea coalescat: at quoties reuera deest aliquid, quod fictione supplendum sit, aut non succeder, aut non proderit. Verùm in cognoscendis erroribus, & fictionibus diligenter cauere oportet, ne vel temere feramur, vel nimia formidine retardemur. Nam in plerisque non certitudinem quærere, sed veri similitudine contenti esse debemus.

DE OBLIGATIONIBVS. Cap. VI. 16



VM dictum sit, societatem voluntatum vnionem esse; & voluntates, non vti corpora, contractu vnum fieri, sed ratione finis, quia eundem volunt; nunc dicendum videtur, eas etiam consociatione fieri vnum, quia aliquo modo simul ligantur; ita ut singulorum voluntas non sit soluta, & libera, sed socij voluntati aliquatenus alligata, & serua. Nam in qualibet societate, quæ fit consensu, aut vnum dare promittimus, ut aliud accipiamus; aut aliquantulum simul agere, ut partem communis operis adipiscamur. Et vtroque modo agendum, aut tradendum quidpiam est, ut aliud capiatur; nec possumus nolle tradere, aut nolle agere, aut velle aliud capere, vel plura ijs, quæ pacti sumus: hoc autem est ligatum esse, & solui non posse. Ut igitur dicimus, societatem esse vnionem voluntatum communis commodi causa; ita dicere licet, esse vnionem eorum, qui colligantur, vel colligati, aut obligati sunt. Est autem obligatio fere idem re cum promissione, & obligari, quod promittere, sed ratione differunt: nam obligatio respicit ipsam voluntatis religationem; promissio autem rem, ad cuius traditionem quis obligatur. Erit igitur idem societas, & vnio promittentium sibi mutuò bona communicare, aut obligantium se inuicem ad bona tradenda, & accipienda, vel ad aliquid agendum communi labore in commune commodum. Quapropter tractatus de obligationibus, & de promissionibus, & societatibus idem re sunt, & separari non possunt. Itaque qui promittit, se, suaque obligat, quantum in ipso est; & qui se obligat, ac promittit, in societatem eoit, modò alter non refragetur. Sic etiam acceptio promissorum, & obligationis, & mutua obligatio, siue reciproca, idem sunt. Qui enim accipit conditionem, ipse etiam promittit aliquid, & qui promittit, semper cum conditione promittit, videlicet se daturum, modò accipiat; & in ipsa acceptione semper tacite, aut expresse promissio, & obligatio inest. Quod autem promissio sit obligatio, & hæc sit religatio voluntatis, ut aliud velle nequeat, quàm quod promissum est, patet vel ex illa civilis fidei nota, qua alter alteri dexteram dat comprehendendam. Nam cum manu cuncta fere extrinseca opera efficiamus; ac propterea pro potètia sumatur; qui manum dat, reponere quodammodo videtur suam potèntiam, & suarum virium principiù in alterius potestate. Itaque hoc signo colligationis manus indi-

indicat se ea promissione ei, cui promittit, suas vires, & animum obligare. Est autem hoc ita signum fidei, ut inclinatio, & huiusmodi alia honoris. Et ut bruta animalia soluta sunt, cum, quò libet, progredi possunt, ligata verò, cum loco dimoueri nequeunt; ita liberorum hominum animi ligati videntur, cum non possunt pro arbitrio eligere, quæ placent, sed coguntur ea tantum velle, quæ polliciti sunt, & stare ijs, quæ promiserunt. Qui igitur ad societates sunt apti, ijs promittere, obligari, & conditiones accipere apti sunt; quod non facient, nisi qui se commoda accepturos sperant, & promissis satisfacturos, modò prudentes, & boni viri sint. Nam qui suum commodum tantum respiciunt, num satisfacere possint, non curant; sed ijs sufficit, societatem iniri, ut commoda ipsi accipiant; quia operantur, dan t, ut alij credant se vicissim posse, ac velle commoda tradere. Aptitudo verò duobus modis considerari debet, altero quidem, ut societas contrahatur, altero autem, ut ita contracta ad operatum finem perducì possit. At hoc modò non sufficit, ut quis sit aptus promittere, & se obligare, & conditiones accipere; sed aptum esse oportet ad ea præstanda, quantum in ipso est, quæ ad commune commodum requiruntur: præstare autem non poterit, nisi promissa seruauerit, aut seruare velit, & possit. Idcirco ab ijs cauendum, qui non possunt, aut si possunt, nolunt; aut nec possunt, nec volunt. Dispositio igitur in nobis, unde pendet fides, & honor, & simul etiam dignitas, est aptitudo, ut ligemur. Quod quidem parum videri non debet. Nam bruta arte ligata solui nequeunt, at homo, quò artius ligatur, eò facilius solui potest: artius autem ligatur simplici promissione, quam contractu, non iuris ciuilibus, sed humanitatis ratione; & inde facillime exolvitur, nisi verecundia cohibeatur. Quæ igitur huiusmodi est, ut ligari possit, & victus libenter permaneat, dignus est fide, quæ ad eius commodum relata, ut supra de monstrauimus, eiusdem est honor. Verum non sufficit sola seruandi promissa voluntas, quamquam perpetua; sed bonis, & viribus est opus, ut supra dictum est. Qui igitur huiusmodi sunt, ut in fide permaneant circa ea, quæ possunt; fide, & honore sunt digni. Hæc autem animi constitutio, quæ est principium tradendi commoda, & suum animum coercendi, ne plura appetat, ad aliorum commodum relata, virtus, ad ipsius verò, dignitas appellatur. Cum autem homines vniantur communis commodi causa, ut proprium assequantur; & tum vere vniti sint; non eum sua, sed cum aliena commoda cupiunt; necessariò, qui in societatem coit, aliquid vult, quod ad socij pertinet commoditatem; non enim solam accipere, sed aliquid etiam tradere vult; aut opus communi labore perfectum partiri. Et omnino vterque aliquid cupit, quod alteri conferat, eaque de causa iunguntur: nam nisi alter commoda ab altero expectaret, sua tradere nollit. Hæc autem commoda, quæ mutuo tradenda sunt, aliquando stipulationibus, pactisque firmanur; aliquando verò illius arbitrio relinquuntur, qui ea est accepturus. Cum igitur pactis, uel alio quouis modo voluntas dandi declaratur, huiusmodi actus promissio uocatur, & obligatio; ut dictum est; & bona, quæ tradenda sunt, promissa: quæ autem sine promissione quis debet; debita dicuntur, quæ illius sunt credita, cui debentur. Atqui huiusmodi debita sunt etiam obligationes; quo fit, ut obligatio, & debitum in plus uideantur se habere, quam promissio; non tamen ita res habet: nam licet ea debita nulla debitoris promissio præcesserit, illius tamen, qui debitori auctor fuit, aliquam promissionem præcessisse necesse est. Promissio autem necessaria quidem non uidetur, nisi ut bona exprimantur, quæ tradenda sunt, & tempus, & locus. Qui enim aliena bona accipit, non ciuilibus tantum; sed etiam naturaliter obligatur. Non igitur, quia promiserimus, standum est, cum debemus; sed quia re ipsa obligati sumus. Quamobrem ea questione, utrum promissa de promissis seruanda sint, & sic in-

Infinium: opus esse non videtur: nam qui dubitat, verum promissa seruanda sint; dubitat, an seruanda sit fides; an honor, & existimatio, an ius; deum an velis esse ad societates aptus, an non; & an expediat priuari errorum hominum commercio, & humanitatis opinione. Est enim oratorius rationis, vt Democritus appellatur. Qui igitur oratione fallit, hominem quodammodo se esse negat, eum se ratione carere indicet, cuius illa est defluxus quidam. Qui vero se obligat, & promittit se prius daturum, si postea non tradit, non tam iniuste agit, quam qui bona accepit, nec vult paria reddere: fidem tamen fallit, obligationem, atque honorem deserit, neque ei fides praestanda erit. Proinde ipse quoque, quodotum in eo est, reddere se ad omnes societates ineptum, aut saltem ad eas, quibus tempore opus est, ac promissionibus. Cum huiuscemodi autem hominibus, si modo versari necesse est, saepe oportet, vt ipsi priores sua tradant, verum tamen praestent, vt à ceteris omnibus expellerentur. Cum autem pactis, & promissionibus ab inueniunt homines, indicant se sibi inuicem fidem habere; & illum praedipere, qui tradit, in alterius aequitate confidere; aut eo animo tradere, vt regeraturus non sit, etiam si nihil redderetur. Cum vero quis quidpiam promittit, ita se obligat, vt illud non possit nolle, & ique curandum est, ne obliuiscatur, aut ne quando nolit, aut ne quid velit, quod ipsum impediat, ne praestare promissa possit. Itaque socij videntur mutua obligatione conluncti: & si diceremus societatem esse ligationem voluntatum ad commune commodum, idem esset, ac si diceremus unionem animorum communis commodi causa: nihil enim refert, an alter alterius commoda cupiat, an vterque commune. Nam cum mea tibi tradere cupio, & tua accipere, non meum tantum, aut tuum, sed commune commodum cupio. Est autem illa definitio magis accommodata ad officij declarationem, & omnino ad totius tractationis progressum: haec autem magis confert ad explicatorem essentiae iuris, & finis, id est, communis commodi. Nos autem utraque uti volumus: non enim sufficere videtur, nisi nos finis ratione dicere esse vnitos; sed opus est, vt addamus, quo pacto vniamur. Nam nimis commune fortasse principium est, dicere vniri; ac obligari, & promittere, & accipere obligationem, & promissa, est aliquid ex ijs apponere, quae ad motum pertinet. Nam is, cui societates coniungere cura erit, huiusmodi obligationes, & promissiones eliciet. Quicumque igitur has definitiones diligenter expendet, easdem penitus esse inueniet, cum genus tantummodo exprimitur. Qui ergo est obligatus (vt dictum est) proportionem respondet ijs, quae extrinsecus alligantur: vt enim corpora ligata loco moueri non possunt; ita animi, cum non secundum locum, sed secundum voluntates, & appetitiones moueantur, non possunt moueri, quo ad eos attinet, ita vt aliud velint; sed neque etiam debent, cum ipsis ita manere commodum sit. Ligantur autem animi, non vt quiescant, & nihil velint, sed vt velint determinata, hoc est (vt saepius diximus) aliena commoda. Quamobrem in societate deincti sumus, neque aliud velle, quam sociorum commoda possumus; ita vt quae ad alios pertinent, in nostrum usum transferre prohibeamur, vt nostrae sensitiuae cuperent facultates. Qua in re equis non ab similes sumus, qui in pascuis ita ligantur, vt pascere quidem possint herbas, attingere autem segetes nequeant. Vnde iuris, & promissa seruandi difficultas apparet: nam quae tradenda sunt, essent commoda nobis; & à nostris facultatibus appetuntur; sed obligatione impedimur, ne attingamus. Aut igitur ita dicendum, aut ligatos esse nos ita, vt non liceat nolle, vel aliud velle, vt alligata loco moueri non possunt. Dicet quis: Nonne alia nostra commoda nobis licet appetere? Licet sane: sed quae huiusmodi, socij non sumus. Nam in societate non nobis optanda bona sunt; sed aut communia communi labore, & sic secundo loco nostra, aut aliena tantum, vt nobis alij vicissim commoda cupiant, & tradant. Quae igitur ratione in obligationibus, & promissionibus procedendum sit, patet.

nunc

nunc videndum, quo pacto in ijs accipiendis, quæ promissa sunt, gerere nos debeamus. Quo loco animaduertendum est, quod ut appetitiones nostri commodi nos plerumque impediunt, ne alijs commoda conferamus, neque obligationibus, & promissis satisficiamus, & omnino sunt in causa, ut vel nihil, vel pauciora, vel serius tradamus; ita eademmet nos impellunt, ut plura, ut citius, & quæ nullo modo debentur, accipere cupiamus. Hac igitur in parte ita ligatam voluntatem esse oportet, ut præter ea, quæ sibi debentur, nihil appetat: non enim minus obligati sumus paritati commodorum, ijsq. tantummodo, quæ nobis debentur, acquirere, quam tradere alijs, quæ debemus. Et in solemnibus quidem pactis, ac promissionibus apponi vtrumq. solet; licet tamen non apponatur, nihilominus efficiendum est, modò (ut sæpe diximus) iure, & cõmuni commo delectemur. Ex hac autem constanti, ac perpetua voluntate cuncta tradendi, quæ debemus, sine vlla retentione, & ea solùm, quæ debentur, nec quidquã aliud accipiendi, optatæ operationes, & effectus sequetur, & cõmunia commoda, ac propemodũ sociorum felicitas. Simul enim comparatis, deinde recte distributis bonis, aut permutatis, faciliè fiet, ut ea omnibus bona suppetant, quæ ad felicitatem sunt necessaria. Qui autem bonis abundat, ut potestate beatus est, ita etiam ab omnibus creditur. Sed cum ab obligationibus orientur officia, nunc ad ea transfundendum est, si prius de socijs, à quibus obeunda sunt, pauca dicamus.

DE SOCIIS. Cap. VII.

DE aptis ad societatem, & de cæteris, quæ ad eius absolutionem sunt necessaria, satis, superq. dictum est. Nunc cum, obligationibus intercedentibus, apti ad societatem socij facti sint, de socijs dicendum. Est igitur socius, non potestate alteri iunctus, sed actu; quapropter non solùm ad bona tradenda, & accipienda idoneus est, aptusq. ut animo flectatur; sed iam est in usus, & tradere vult, & accipere, & nactus est alterũ, cui iã iunctus est. Hic igitur, si bonus sit, desiderat commune commodum, promissa præstat, & fidẽ, nec plura ab altero expectat, quàm æquum sit; sed tantummodo paria traditis, vel tradendis; nec quidquam molitur, aut agit, quod ipsum impedire possit, ne se ab obligatione exsoluat. Nec differt ab eo, quem aptũ diximus, nisi quod in apto scientiam, voluntatem, potentiamq. spectamus, & omnino aptitudinem, & facultatem, ad acquirendum commune commodum. In socio verò iam officia quæruntur, & operæ; ita ut omnes socij id assequantur, cuius gratia conuenere. Cum autem societatis finis sit commune commodum, & ius, sociorum finis vel idem est, vel mistum ex datis, & acceptis: nam est paritas dati, vel dandi, & accepti, vel accipiendi. Differt autem appetitus societatis ab appetitu singulorum sociorũ, quia societas desiderat commune bonũ per se: nam cum sit appetitus constans ex omnibus, appetit bonum omnium; ex accidenti verò, & secundo loco, appetit bonum huius, & ut paria dentur, & sumantur à singulis. At singuli primò desiderant dare, & accipere paria, & inde quasi ex accidenti sequitur commune commodum. Et ut in mistis refractæ sunt primæ qualitates, & insurgit alia qualitas; ita in societate voluntates singulorum sunt refractæ, & insurgit communis voluntas; ita ut cum quis paria dandi voluntate caret, sit ut elementum parum ad se respiciens; cum autem dare vult, & accipere, sit quasi retusa qualitas. Vel ut in missione necessariò retunditur, ita in societate, quasi quadam voluntatum commissione, oritur appetitus paria dandi. Ut igitur socius bonus sit, iustitia illi necessaria est, quæ est habitus assequendi iuris, quod assequimur, cum paria acceptis damus: proinde opus est, ut eius appetitus vno quidẽ modo cohibeatur, altero verò quasi calcari impellatur. Nemo enim sine molestia

bonis se ipsum priuat, quibus ad suarum appetitionum expletionem uti potest. Et è contrario quilibet bona ab alijs cum magna aviditate accipit, & voluptate. Horum contrariorum moderationem sola operatur iustitia, ut habitus cohibendi animum, ne plura capere velit; eundemque impellendi, ne pauciora, sed paria tradat: nam ut in hac societate volens plura det, & pauciora accipiat, non fit verisimile: imprudentiæ enim tribueretur, & stoliditati, si tamen ad beneficam non referretur. Socij igitur voluntas iustitia dirigetur; si verò potentia desit, & cognoscat reddere se paria non posse, non accipiet aliena. Quòd si scientia sit destitutus, ita ut hæc dijudicare non valeat, iniustus quidem non erit, hoc est, contrarie oppositus iusto; sed privatiue, scilicet non iustus, cum proprie iustus sit, qui assequitur ius, quod illi non succedet. Qui verò iustus erit, scientia quoque, & potentia pollebit, alioqui non negotiabitur. Cum enim fieri possit, ut ius non assequamur, vel quia nolumus, vel quia non possumus, vel quia nescimus; nolle contrarij est habitus; non posse, vel nescire; privationis. At in voluntate bene disposita cernitur officium, & cura, ac studium, ut non solum scientia adsit, sed etiam potentia. Nam quis ea nos velle credat, quæ nihil curamus? Quæ enim volumus, assequi contendimus; & si comoda desint, inquirimus, si quid impediât, remouemus; & modò sumendi aviditate non rapiamur, semper aut cum opportunitate capiendi aderit tradendi commoditas, aut ea deficient, licet socium decipere possimus, eius bona non accipiemus. Quomodo igitur in hac societate appetitiones cohibendæ sint, patet; idemque in reliquis dicere licebit. Itaque perfectio voluntatis sociorum iustitia est, quoad dandum, & accipiendum; quo verò ad scientiam, & potentiam, alijs perfectionibus est opus, de quibus iam dictum est. Verumtamen erit quispiam iustus, sed dare huic, vel capere ab hoc nolet, propterea fatendum est, iustitiam esse perfectionem voluntatis in vniuersum, ut paria accipere, & dare velimus, & ut socijs commodi simus. At quòd huic, vel illi velimus tradere, aut tot, & tanta accipere, non iustitiæ, sed prudentiæ est; ut sciamus, bona nobis necessaria cum ijs conferre, quæ vel nullo modo, vel non æque sunt necessaria: fides verò, & honor, sunt opiniones, ut quis sit iustus; itaque pro communi, & vniuersali notione opus est, ut alter alterum iustum putet: sic enim aberit suspicio, ne velit, aut ne possit. At non sequitur, scio te esse iustum, ergo ades locaturum; sed quòd eas habes, & cætera, quæ requiruntur, & si promiseris, locabis.

DE MALO SOCIO. Cap. VIII.



ONVM igitur socium iustum esse ex his manifestum est; malum verò contra iniustum esse oportet. Sed quoniam plerique malum dicere ignarum solent, videndum, an ita res habeat; & nostro quidem iudicio, ignoranter agens non est malus. Qui enim iuste agere cupit, & paria tradere, sed pretia, aliaque huiusmodi ignorat, iniustus dicendus non est. At qui iusta noscit, & ius, & tamen sui commodi causa aliter vult operari; ille malus est, & iniustus: necesse est enim ius cunctis suis commodis anteferre, & præ cunctis diligere; quique ita affectus non est, bonus, & æquus dici non potest. Qui igitur nunc vult iniusta, est iniustus, non absolute, sed nunc; qui verò semper, absolute, & simpliciter iniustus est. Idcirco non ira, vel amore, aliaue causa moueri quisquam debet, ut præter ius agat; quamquam fieri potest, ut aliqui suis flagitijs digni fiant, ut eos iuste lædamus. De quibus, cum de hostibus agetur, suus erit dicendi locus. Itaque qui ius non in meliorem partem, sed in deteriolem transgreditur, & ad ipsum numquam peruenit, est iniustus, cum semper iniuste operetur.

retur. At qui aut non profest, aut etiam nocet ijs, quibus illum prodesse oportebat, cum humanitatem deserat, & honestatem; turpiter igit, & tã turpiter, quam iniuste operans est malus. Huiusmodi autẽ habitus neq. secundum naturam, neq. contra eam reperitur in nobis; sed prouenit vel ex alieni boni cupiditate, vel ex falsa affectate fortitudinis opinione. Nulla verò hic ignoratio est, cum natura ad ius diligendum, honestatemque ducamur; sed prævalent aliæ nostræ animæ potestates, quæ ad propria objecta feruntur. Nemo tamen a deo est ignarus, vt non iudicet præstare iuste, honesteque agere, quam iniuste, vel turpiter; sed dum illa obiecta, vel compassio rationis imperiũ excusserint, putant homines comoda capienda quocumque modo, non tamen iudicium in ijs corrumpitur, quod operis rationis, id est conseruationis; semper incorruptum manet; Hoc autem vel inde cognosci potest, quod ea, quæ nos ipsi agimus, in alijs sæpe reprehendimus, & quod errorum nostrorum conscientia torquemur. Non enim vt visum, aut auditum, ita & rationem amittere possumus, vel eam illius partem, quæ ius, honestatemque colimus, & aliam videri potestatem, qua reliquis hominibus noceamus. Nam vt nobis data facultas non est, quæ delectetur amaris; ita nec ea datur, qua nocere velimus. Sed vt amara comedimus, licet gustu repugnante; ob aliam causam, & ab alia facultate adducti; ita iniuste, ac turpiter, operamur lædentes ceteros. Non quod huiusmodi principium nobis adueniret, aut quod humanitas non refrageret; sed quod alia potestas prævalens ad illud compellat. Non igitur ignorantia mali sumus; sed cum rationis loco, quam sequi præstares, aliam potestatem ab ea descendentem sequimur, vel ceteris illius imperium detestantibus famulamur.

DE OFFICIIS.

Cap. IX.

OFFICIUM, si vniuersè capiatur, est actio, siue effectio (modo nihil differant) cuius agentis ad felicitatem ferens; si verò particulatim, in singulis societatibus ad singulos fines perducit: nam in societate iuridica ad ius, in benefica ad honestatem, & in cæteris simili modo. Panæthus autem, quem M. Tullius summo ingenio, & doctrina vitæ sequutum se dicit, cum definiat esse id, cuius ratio probabilis reddi possit, aut rectum; siue perfectum; semper vno modo sumere videtur, quæ res impedit, quo minus methodice officia tradantur. Cum enim officium sit effectio determinata, ad determinatum finem perducens agentem, vt effectio futoria ad calceos, ædificatoria ad ædificiũ, eum, qui finem mutat, mutare officium necesse est. Vt si quis pro calceis domum sibi efficiendam proponat, cogitur futuriæ effectio, & operam, in ædificatoriã commutare, modo ad propositum finem sit peruenturus. Quod & ipsum M. Tullium cognouisse videmus; cum in ijs, quæ de finibus, enim asserat, qui summum bonum suis commodis, non honestate metitur, de officio nihil posse dicere. Finis igitur cognitione opus est de officio agenti; in eademque tractatione de finibus, & de officijs agendum fuit; dandaque opera, vt cuique fini sua responderent officia, & ab illo artificiose penderent. Quod si (vt Stoicum decebat) cæteris bonorum, & malorum finibus dimissis, honestatis tantum ratio erat habenda, illius definitionem negligere non oportebat: sic enim patefecisset, quod erat perueniendum; & aliquatenus viam, quæ illò duceret, aperuisset. At finis definitione omissa, vel potius inuersa, virtutes cum illo confundit, quæ quidem non sunt illius partes (vt ipse arbitratur) sed principia, quibus officia præstantur, & diriguntur; & quibus ad præcipuos fines ipsorum officiorum ministerio peruenitur: quæ non minus, quam officia, mutato fine, mutantur. Definitiones autem, quas ipsius officij asserit, aut vere definitiones non sunt, aut certe tractationi

tractationi sunt inuiciles. Nam dicere quod rectum sit, esse officium perfectum; est ignotum ignoro definire: qui enim ignorat, an sit rectum pugnare pro patria contra amicos, ignorabit etiam, an sit perfectum, & contra. Neque altera definitio reprehensione vacat: nam licet ratio probabilis reddi possit, officium tamen non erit. Incerta igitur, & infirma definitiones sunt, neque ijs (vt pariter) tractatio nititur; sed vt cetera dimittantur, id omnino probari non potest, quod pro officio finem sumit: ipsum enim appellat *εὐνομία*, quod idem M. Tullius in ijs, quæ de finibus, interpretatur rectum factum, cum illius loco *εὐνομία*, quam rectam effectiōnem exponit, dicens de hisse. Hæc autem, vt aduersus Panætium dicta, a nobis accipi volumus, quæuis Stoicorum, tamen in dialectica non admodum exercitata, vt aduersus M. Tullium, quem ob inmeritas, atque innumeras diuini animi dotes, quæquis illum sit secutus audeat, omni prorsus censensu veneratione dignissimum. Nunc ad reliqua:

DE SOCIETATE. *Cap. X.*

QUID igitur in hac societate sit officium, facile ex ijs, quæ dicta sunt, intelligi potest: nam est actio, qua socius soluit obligationem, præstat promissa, commune commodum, & ius acquirio, honori, fidei, & expectationi satisfaciō, eos coarguit, qui de se male sentiebant, & auctoritatem consequitur, & omnino est actio (vt ad præsens negotium spectat) secundum iustitiam ad ius deducens. Hoc autem loco plura dici possent, & hæc eadem longius protrahi, nos autem breuitati studentes summa tantum capita attingimus. Illud silentio prætereundum non videtur, quod vt duplex obligatio in quolibet socio, ita duplex officium est, quorum alterum in accipiēdo, alterum in tradendo consistit: & vt in hoc aliquid agendum est, ita in illo aliquid potius patiendum. Et (vt diximus) hic cauendum est, ne nobis nimium indulgentes parum alijs prosumus, ita vt obligationem, & debitum non exsoluamus; ibi periculum imminet eadem de causa, ne quæ traduntur à nobis, pauciora iudicentur, & non penitus debito ijs satisfieri, cum reuera satisfactum sit: licet fortasse nostris immoderatis appetitionibus non sit satis. Hæc autem, etsi commutatiuæ tantum societati congruant, tamen etiam distributiuæ, in qua cōmuniter partem diuiditur, facile accommodantur, qua de re aliàs. Nunc ad officium redeūtes, ipsum actionem socij esse dicimus, qua leges, pacta, contractus, & omnino conuentiones tuetur; & cum socio utilis sit, societatem ipsam præstat incolumem: & ab alijs iustus, & æquitatis amans habetur, atque etiam boni viri nomen assequitur, cui honor, tamquam solido, stabilique fundamento incumbit. Hinc autem innumera sequuntur commoda, cum in eadem societate, tum etiā in alijs contrahendis. Nam cum alieno consortio digni iudicemur, sit, vt à socijs diligamur, & à cæteris nostra exspectatur consuetudo, à quibus (modò boni viri, & copiosi sint) quæcumq. nobis necessaria erunt, quæq. optabimus, suggerentur. Quanti igitur momenti officium sit, ex his patet, cum in solo officio omnia, quæ ad societatem attinent, locata esse videantur. Quamobrem antequam incatur societas, diligenter considerandum est, an & à nobis, & ab ijs, quibuscū contrahere est animus, possint officia præstari; eaq. inita, præstanda sunt: cum vero ad finem perducta fuerit, an sint præstata, queritur. Ad laudes enim, ac vituperationes eorum indagatiōe vtimur, & similiter in litigijs, ac controuersijs. Nam præter ea, quæ dicta sunt, officium causa est, ne litigare cogamur, ne uel alijs de nobis querantur, & (modò socij æqui, bonique fuerint) vt nos, nostrasq. actiones commendare non desinant. Non est igitur, quod miremur de officijs scripsisse

scripsisse multos: nam vno, eodemque tempore vterque socius ijs delectatur, & proficit: agens enim vt bonum virum decet, iusta operatione gaudet, & quod paria accepit, vel accipiendis tradiderit. Accipiens verò, si prudens sit, ijs, quæ accepit, suam explet indigentiam, & appetitionem. Confert igitur officium ad vtriusque socij felicitatem: nam alter non modò alterius non interturbat bona, sed quantum in se est, magnam ei opem affert ad bene degendum. Itaq. priusquam inoatur societas, eam optamus, inita verò, promissis, & spe alimur. Officijs autem præstitis gaudemus, & (modò mente, & corpore valeamus, nec quidquam impediatur) fruimur bonis nostro quodammodo labore partis. Idem est enim, siue egomet mihi aliquid comparem, seu tu tantumdem diuersi generis à me sumens id mihi tradas. Nam vtroque modo quilibet nostrum videtur suis viribus, & facultatibus suam sibi perfectionem acquirere. Atque hæc de iuridicæ societatis officijs dicta sufficiant. Verùm cum circa ea pluribus modis peccare contingat, nunc de peccatis, siue de erroribus nonnulla dicamus, vt illos facilius vitare possimus.

DE PECCATIS, SIVE ERRORIBVS
circa officium. Cap. XI.

PECCATVM nihil aliud est, quàm lapsus ab officio: nam siue agimus aliter, ac debemus, & obligati sumus, siue quiescimus, cum est opus operatione, siue operamur, cum est opus quiete, semper peccamus. In peccata autem delabimur, aut inscitia, aut impotentia, aut mala voluntate. Ea, in quæ ob inscitiam, vel impotentiam incidimus, faciliè condonantur, eam nos inscitia, vel impotentia causa non sumus. Nam qui pro hoste socium lædit, rationabili errore deceptus non admodum peccat; si verò vel ebrietas, vel iniuria sit causa erroris, non tam facile est ignoscendum. Eodem pacto qui ægritudine impeditur, vel ei bona surrepta fuerint, vel naufragio, aliove infortunio deperdita, excusatione dignus habetur; at qui sibi suæ impotentia causa est, aleæ, vel crapulæ, alijsq. huiusmodi indulgens, si soluendo non sit, venia dignus non erit. Sic etiam qui pluribus obligationibus distinetur, quas simul soluere nullo modo potest, si vni satisfacere recusat, vt à grauiori liberetur, & minus malum pro bono eligit, non tam dicendus est nolle, quàm non posse, & modò ipse non sit causa, vt non possit omnibus satisfacere, semper excusatione dignus habebitur. Non igitur sufficit dicere, se non posse, aut nescire: danda enim est opera, vt sciamus, & possimus nostras persolvere obligationes; & cauendum, ne dum scimus, ac possumus, nostra culpa, aut incuria ad inscitiam, vel impotentiam redigamur. Qui ergo possunt, & volunt, modò non impediuntur, suo funguntur officio; at qui nequeunt, & nolunt; aut etiam, si velint, non possunt, ab obligatione non liberantur. Qui verò nolunt, siue possint, siue non, immediate peccant; at qui vellent, sed nequeunt, tum peccant, cum suæ impotentia ipsi sunt causa. Sane statuendum nobis est ius in hac societate, tamquàm omnium nostrarum operationum scopus: nam antequam societas ineatur, qui ipsum respexerit, nec plura petet, quàm par sit, nec pollicebitur pauciora, & omnino iniquas condiciones non feret, sed æquis contentus erit: ea verò inita, debita tradendo præstabit officia, & accipiendo iustis acquiescet; & posteaquam vltro, citroque obligationibus satisfactum fuerit, nec litem intendet, nec conqueretur, nec se plura tradidisse, & pauciora accepisse iactabit, socium verò contra dedisse pauciora, plura cepisse. Huiusmodi autem socij mutua se beneuolentia prosequuntur, paria tradere, & accipere cupient, & alter alterius voluntate moderatè utetur, nec minorem curam, studium, ac diligentiam in alterius commoda

commoda impendet, quàm ab illo in suis exposcet; ita ut utrimque sequantur effectus pares. Hoc loco dubitari potest, num is, qui alterius bonis eget, cum alterum, quem ijs, quæ ipse habet, non egere intelligit, ad iustam permutationem hortatur, iustus appellandus sit, nec ne; ut si mihi equus sit, quo ego, & tu pariter egemus; tu verò vestes habeas, quibus neuter nostrum eget, quæ supponantur, tanti esse, quanti est equus; cum me ad permutationem iuicis, non videris iniustus, cum paria tradere velis; si autem ego tua oratione persuasus permuto, non capiam commodum ex tuis vestibus, sed ex equi privatione incommodum tua culpa. Et dicendum quidem videtur, eum, qui alterum decipit, affirmans illum ijs bonis non egere, quæ habet; & sua etiam tanti fieri, semper peccare, iniustumque esse. Licet enim equus simpliciter pluris non fiat, quàm vestes; nihilominus tunc pluris est faciendus: nam et si pretia ex sola alterius indigentia non mutantur, sed utriusque; tamen in communi fuga, & hostium metu equus plurimi faciendus est, vestes nihili: quamvis igitur ille in permutatione aliàs iustus esset, tunc tamen peccat, & apparet iniustus. Verùm hæc rarissime contingunt: qui enim suis bonis valde eget, ea cuiquam non tradit, nisi admodum hebes sit, & insipiens. Hi verò, qui nimium cōfident, aut diffidunt, aut prorsus male de alijs iudicant, qui circa rerum pretia, & laborum præmia decipiuntur; qui suam voluntatem explicare non valent; qui timide rogant; qui que efflagitant, alijque huiusmodi non peccant in ijs, quæ ad iustitiam attinent, sed in ijs tantum, quæ ad se ipsos: & omnino nisi læserint, iniusti dicendi non sunt, neque etiam si læserint, modò ne contra ius. Sed, ut paucis absoluamus, errores, peccata, & fictiones, aliaque huiusmodi non solum per congressus deducenda, antequam societas ineatur, sed ea inita, per ipsas operationes, & actus, & postquam officia præstita fuerint, & societas soluta sit, per ea, quæ inuicem obijci possunt. Datur enim rursus peccandi, ac fingendi locus; & vna conquerendi: nam qui fecit, dicit se non fecisse; qui non fecit, fecisse. Et hic omnia adduci possunt, quæ ad motum pertinent, à principio societatis ad finem, ita ut etiam principium includatur. Verùm nos hæc diligentius prosequi non curamus, ne immensum volumen excrescat.

QVOD NULLVM SIT PECCATVM EXTRA

societatem. Cap. XII.



VM nullum sit peccatum, quod non sit lapsus ab officio, hoc est actio ad ius non perducens, vel non recta, vel non ita comode; & nullum officium concipi possit, nisi præcesserit promissio, atque obligatio; & nulla obligatio sit, quin sit societas; proculdubio non dabitur peccatum sine societate, neque intelligi poterit, nisi ex mensura ad ipsam obligationem: quanto enim quis eam minus soluit, tanto magis peccat. Est igitur latitudo peccandi à non præstandis promissis, ad eorundem præstationem. Itaque qui non quantum debet, tradit, nec quando, aut ubi, & secundum ceteros terminos, peccat quidem certo modo, minus tamen, quàm qui nihil tradit, atque etiam longè minus, quàm qui à creditore aliquid petit, aut subtrahit. Ex quo patet Stoicorum rationis solutio, qui omnia peccata dicunt esse paria, falluntur autem, quoniam peccata in eo quidem conueniunt omnia, ut peccata sint, non tamen ut sint graua eodem modo. Nam si transire lineam peccatum est, minus transire minus est peccatum: quanto enim magis aliqua linea deuiat à recta, tanto magis obliqua est. Ius autem est rectitudo (ut patebit) dicere igitur cuncta esse paria, est asserere, omnia obliqua esse pariter obliqua, & non plus, vel minus,

minus, & omnia à recto remota, esse æque remota. Verùm quantò magis quælibet actio ab officio distat; tantò obliquior, vel potius iniquior est, & maior iniuria, & peccatum grãuitus. Nunc ad reliqua. Qui igitur in communi opere ad aliquid agendum est obligatus, si non agit, aut si minus agit, peccat, nec ei debentur paria commoda; quin; si nocet, est dignus poena, quod in qualibet societate contingit. Iam verò patere cuique potest, eum, qui de societatibus non agit, de officijs non posse differere. Quod autem de obligationibus dicitur, de legibus quoque est intelligendum: nam leges non conferunt, nisi quatenus imperata declarant, & communes omnium obligationes. Quapropter D. Paulus; *Si lex (inquit) non fuisset, peccatum non cognoscerem.* Ex ijs verò, quæ officio contraria sunt, peccatum etiam fit manifestius: qui enim promissa non seruat, ab obligatione non soluitur, fidem fallit, amicorum spei, & expectationi non respondet, inimicis rem gratam facit, leges eludit, societatem dirimit, se ipsum ad omnia commoda reddit inhabilem, & honorem, auctoritatemque amittit. Idcirco huiusmodi homines iubemus se in latebras abdere, nec audere in ceterorum hominum conspectum prodire: & sane sibi ipsis placere nullo modo possunt. Cum enim ad humanitatem exercendam, & beneficia conferenda sint à natura producti; si eam non sequuntur ducem, & socijs ob leuia commoda nocent; nobilissimam sui partem lædunt, & cum frustra se natos esse, ac vixisse animaduertunt, mirum in modum anguntur; & qui promissa præstando felices fieri potuissent, ob exiguum, & turpe compendium, in miseras incidunt detestabiles. Et hæc de peccatis intra iuridicã societatem admittis. Nam peccata intra facultatũ societate admittis, quamuis non æque vituperanda sint, tamẽ ipsa etiã sunt damnanda, cum propriæ felicitati aduersentur, vt qui nimium comedit, vel bibit, aut cum sua vxore nimium liberis operam dat: nam præterquam quod suam valetudinem lædit, sensui tantum, genioque indulgens, partem, quæ in eo diuina est, non excolit, seque ineptum reddit: ad commoda illis afferenda, quibus natura, vel electione est obligatus, qui nonnulla ab eo expectare quicumque de causa debuissent.

QVID AGENDVM ADVERSVS

pocantes.

Cap. XIII.



QVID igitur sit officium, & quid peccatum, ex ijs, quæ dicta sunt patet, & quor modis fieri possit, vt societas ad finem non perducatur. Reliquum est, vt videamus, quid nobis agendum sit; si iam inita societate, & pactis confirmata, nos decepti esse sentiamus, aut si bona sint immutata. Nam si nobis fictionibus impositum est, aut pro sinceris fucata, aut pro certis obtrouersa traduntur, scire oportet, quid actu opus sit, tum antequam nostra tradamus, tum in ipsa traditione, tum etiam post societatis diremptionem: aut enim litem habere, aut prorsus aliquid efficere necesse est. Quærendum igitur videtur, an deserendi sint, qui nobis paria tradere non possunt, an fallendi, qui nos fallere; & prodendi, qui nos prodere tentant. Et omnino, an par par referendum sit; ita vt si nobis sua tradere nequeant, nos nostra non tradamus, & non posse asseueremus; vel si nolunt, & nos illudere cupiunt, an ipsos ludificari æquum sit. Sane in iuridica societate petiti nobis videtur, vt decepti decipiamus, mentiamur aduersus mentientes, & cum improbis improbitate certemus, modo ad paritatem omnia redigantur: qui enim suas merces, aut labores plaris facit, quam par sit, non debet inuenire socium, qui sua astinet, quantum

vere

vere fiunt, sed tanti pluris, quanti supra commune pretium sua fiunt ab illo; ita ut sequatur ius, quod transire nullo modo convenit, ne reddamur iniusti, & socius paritatis assequendæ desiderio, nova fraude nos iterum aggrediatur: sed eò usque decipere illum licet, ut, si quieverit, paritatem sit consecutus; in posterum verò ab eius societate abstinendum est. Nam iurisconsulti, cum iuris terminos non excedant, fallenti fidem fidem dicunt fallere licere, ut etiam vim vi repellere, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Verum enim verò bonorum virorum est, neminem fraudare: nam partim legibus cohibentur, quæ cauent, ne qua fallacia utamur, partim honore: fidem enim fallere sine iniustitiæ suspitione non possumus; partim etiam humanitate, quæ à nocendo coercemur, ad beneficia conferenda impellimur. Hæc tamen non iuridicæ societatis, sed beneficæ propria sunt, aut mixtæ ex utraque, & iuridicam in meliorem partem longe excedunt, de quibus alibi dicturi sumus. Dicat aliquis, ubi pacta servata non sunt, aut aliquid actum in societate, quod pactis cautum non erat, quid socio agendum, quem nihil præterea docuimus, quam pacta servare? Atqui ipsum negotium redigere ad societatem naturalem oportet, & ad æquitatem. Exempli gratia: debet quis merum, tradit vinum dilutum, aut acidum, quid agendum? Si pretium certum est, ipsum petendum; sin minus, æquitate omnia metiri oportet, quæ est paritas commodorum secundum rem (ut paulò post demonstrabitur) quæ quidem vere est scopus, quem nobis proponendum, & præ oculis semper habendum ducimus. Et mensura sumenda, non tam ex pretio, quam ex indigentia accipientis, & ex tradentis incommodo; nam in fuga, qui suum equum alteri tradit, non equum tradere, sed vitam videtur; qui autem rei alicuius cupiditate trahuntur, ita nonnumquam sibi blandiri solent, ut non ius, & æquitatem secundum rem in accipiendo sequantur, sed suum commodum: cum verò tradunt, non quantum acceperint, aut promiserint, sed quantum placeant, & prodesse possint, bona apud se conservata spectare solent: quapropter decipiuntur, impediunturque eorum rationem habere, quæ ad ius pertinent. Alij autem retinentur, quia invident; at non erant sua ab illis sumenda, quibus nostra, & debita inuidebamus. Commune igitur præceptum sit, ut ipsum ius respiciamus, omni odio, vel amore reiecto, cæterisque animi perturbationibus, ne ab ijs impediamur, quò minus perspicere veritatem possimus. Et omnino eadem tam in nostra, quam in aliena causa videri semper res debent, & persona nostra in aliam cogitatione comparanda, ac considerandum, si ea, quæ nobis tradita sunt, nos alteri tradidissimus, quid nobis contra dari vellemus, vel quid tradituri essemus alteri, si nobis ea tradita forent, quæ illi dedimus, & quanti ea faceremus, si iudices inter ignotos constituti essemus, tam in commutativa, quam in distributiva societate. Et præ cæteris cauendum est, ne nos, nostraque nimium diligamus: illo enim oraculo sit, ut ius penitus assequamur, quo proximum diligere, ut nos ipsos iubemur. Cum autem petimus magistratus, honores, præmia, cæteraque huiusmodi, diligenter perpendendum est, si ea distributio ad nos pertineret, quid nostri similibus concederemus: & ne in ijs decipiamur, summa cautione est opus. Multa præterea hic dici possent; præcipue circa mores, & vitia hominum: nam plerique commoda accipientes, non sentiunt se accipere, aut quidquam deberi, nec modum statuunt petitionibus. Quærendum etiam videtur, quid socijs agendum sit, qui ab initio fuerint circumventi: vendit enim quis equum vitiosum, aut aliud huiusmodi, quanti non valet, sic contractus, & pretium ad certum tempus persolvendum est; queritur, an huiusmodi obligationi liceat non satisfacere. Dicendum, leges occurrere plurimis, quæ dolo malo fiunt: tamen, si quid tale accidat, bonos viros commune commodum respicere oportet.

(ut

(vt diximus) & paritatem bonorum secundum rem, ac si tunc impediuntur, aliàs conari liceret aduersario imponere, qui si vir bonus esset, sua pluris vendere nolleret, quàm æquum est. Et vt dicimus ijs non esse præstanda promissa, qui nec ipsi præstant; ita qui dolis circumueniunt, cum non paritatem commodorura, nec bona sociorum, sed sua quærant, non vt socij, sed vt ij, qui accipere, non tradere volunt, iuridicæ societatis ratione habendi videntur; huiusmodi autem sunt hostes: est enim hostis, qui nocet. Verùm (vt supra dictum est) virum bonum decet, potius beneficam societatem sequi, & humanitatis, atque honestatis causa de suo iure multum remittere: sed cum de iuridica societate dictum iam sit, nunc de illius fine, quod est ius, dicendum videtur.

FINIS LIBRI SEPTIMI.





AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Octauus.



D E I V R E. *Caput I.*



I NTER innumeras voces, quibus ad animi nostri sensum explicanda uti solemus, nulla fere crebrius usurpatur, quam iuris, ac iusti nomen. Et licet cognitione rei, quae hoc nomine significatur, maxime indigeamus (quippe quae sit utilissima, & in omni vitae ratione magnopere necessaria) paucos tamen reperias, qui interrogati, quid ipsum ius sit, naturam illius, & substantiam aperire possint. Nec quemquam moueat, quod nullus (ut Plato affirmat) siue vir, siue etiam puer, se neget iusta, vel iniusta cognoscere. Nam eodem modo cuncti, si valent, aut agitant, probe intelligunt; quid tamen ipsa sit valetudo perpauci norunt. Cum autem ius non solum iurisperitis, atque iudicibus finis loco sit constitutum, verum etiam bonis omnibus, qui sponte, non iudicum opera, iuste vivere consueuerunt; necesse est, ut plurimum illis tractatio conferat de eius substantia, & natura. Nam ut hominem sibi ignotum quaerentes non poterunt, nisi fortuito, ipsum reperire; ita ius, nisi ius, quod quaerunt, perceptum habeant, illud praeterquam casu non assequuntur. Ac quamuis sine exacta iuris definitione videamus plerosque natura duce iuste operari; non tamen tuto, vel commode possunt iurisperiti, aut iudices, & legumlatores, longaeque minus ciuiles philosophi (quos omnes circa ipsum ius plurimum versari oportet) aut facultatem consequi, quae se valeant ab omnibus quaestionibus expedire, aut promptam nancisci peritiam omnibus (ut bonos decet artifices) de iure respondendi, legesque condendi, aut etiam methodo certa in scribendo procedere. Siquidem ab ipsa iuris definitione maxima ciuilibus philosophiae pars pendet, cuius propositiones proprias, & necessarias nulla ratione possunt elicere, & explicare, qui ipsum aut nullo modo, aut negligenter definiunt. Cum enim omnis ars, omnisque tractatio (ut initio dictum est) si certa sit via, & ratione tradenda, egeat notione finis, ad quam possit sua praecipua dirigere; ac iter

ac iter ostendere, quo ad eum facile perueniatur; ius verò (vt patebit) plurimarum societatum finis sit; merito circa eius cognitionem illi est magnopere laborandum, qui de ipsis societatibus, deque communi vsu vitæ artificiose sit tractaturus. Præsertim cum exploratum omnibus videatur esse, homines in suis negotijs, muneribusque gerendis, vel obeundis, aut iure moderari suas operationes, aut certe fingere se moderari. Quiq; in aliena consuetudine, & conuictu, vel quieti degunt, vel conqueruntur; quiq; laudant, aut reprehendunt aliorum facta, dicta ue, fere semper iure, quasi certa omnium mensura, & norma vtuntur. Itaq; pluribus adducti rationibus existimamus hanc vtilissimam esse doctrinam, tum iurisperitis, & iudicibus, tum legumlatoribus, tum verò moralibus philosophis, præterea cunctis, qui in re vel priuata, vel publica versantur, ad commercia, ciuiliaq; negotia examinanda, ad lites fugiendas, vel dirimendas, ad laudandum, aut vituperandum, & omnino ad djudicandas hominum operationes, eaq; persuadenda, quæ agere quemq; oportet, & dissuadenda contraria: eos autem videmus, qui adhuc ipsam ius definire tentarunt, aut metaphoricis definitiones, aut communia quædam afferre, nec vllum esse, qui tractationem de iuris natura ex proprijs principijs deduxerit; vt mirandum non sit, iurisperitos suæ artis principia apud philosophos non inuenire. Quamobrem non quòd plus cæteris posse nos confidamus, nec quòd summos ingenio, & doctrina viros, quibus omnes plurimum debent, carere velimus; sed vt ansam pro viribus præbeamus alijs, bonas artes methodo explicandi, prouinciã hanc suscepimus, non tam perficiundi spe, quàm cæteros excitandi desiderio: vt postquam hæc intellexerint, non modò à veteribus non absoluta, sed vix leuiter fuisse tentata, idem opus maiõribus viribus aggrediantur. Interim autem nemo miretur, si in eo definiendo videmur prolixiores, quàm in vilius rei natura, & substantia indaganda existimauisset oportere. Nam in huius explicatione præcipua bene, beateq; viuendi fundamenta sunt iacienda.

DE IMPROPRIIS IURIS SIGNIFICATIONIBVS.

30

Cap. I I.

NOMEN iuris multa multis modis significat: nam & æquiuocum est, & ex eo nominum genere, quæ ad vnum, vel ab vno dicuntur. Ac æquiuocum quidem non solum ad ea, quæ pertinere videntur ad diuersos artifices, sed ad ea quoque, quæ ad eundem ciuilem attinent. Propterea diligenter nobis cauendum est, ne qua in hoc possit suboriri confusio. Et sane mirum videri debet, Aristotelem, qui vt in cæteris omnibus, ita in diuersis vocum significationibus perscrutandis, earumque distinctionibus enumerandis diligentissimus fuit, antequam earum substantiam aperiret; in iure definiendo illius æquiuocationem, & multiplicem significationem non explicasse. Vt igitur nihil pro viribus omittamus, cum iusti, & iustitiæ voce frequenter vti necesse sit; illud prius dicendum videtur, iustum illud esse, quod iure factum sit, & quod in se ius continet, vel ipsum spectat: ac propterea vt ab honore honestum, & ab onere onustum, multa que alia nomina simili modo, eadem ratione quorundam Grammaticorum sententia à iure iustum dicitur, vnde nomen iustitiæ deriuatur, quæ est habitus, quo ad ius tendit, & iusta appetit, iusteque operatur homo. Nunc dimissis huius vocis significationibus, quæ ad rem non faciunt, cæteras persequamur. Ac primò idem fere est iuste agere, ac recte, & artificiose: nam dicimus iustum esse, medicos in affectu frigido præbere calida; & domum hoc, vel illo modo ædificari; & pannum ad vestem conficiendam sic incidi. Balistam quoque, cum recte disposita sit, ad signum

N 2 ferien-

ferendum; iustam appellamus. Unde colligi potest, id, quod in qualibet arte iustum dicitur, in universum dici rectum, ad finem conducere, & artificio non carere. Quod vero iniustum, id obliquum, ad finem non conferre, & sine artificio confectum esse. Eodemque modo iusta asserimus, non solum, quæ ad cæteras artes pertinent; verum ea quoque, quæ ad facultatem civilem, atq. usum vitæ communem, iustum enim dicimus esse, bibere sitientem, esurientem comedere, quasi rectum, bonumque sit, & aliquatenus ad ipsius civilis facultatis finem conducens. In his igitur omnibus iustum videtur, artificiosum, & rectum, ad finem consequendum, quicumque ille sit. Ius vero rectitudo quædam operationum, commode, & facile deducendum ad ipsam finem. Atque hæc secundo, dum proportionem, quamdam dicuntur, facile est enim id, quod vni proprie sonu venit, quod eximum, & illustre sit, multis improprie accommodare. Nam, ut caput, & pes animalis, proprie dicitur, montis vero, secundum proportionem, vel metaphoram ad ipsum animal, ita dicitur, proprie res, & actio iusta, quæ ad ius, tamquam ad ipsum finem tendit, ac ducit; metaphorice vero, quæ etiam, ad alios fines. Ius igitur, cum videatur, rectitudo rerum, & operationum, quibus traditur cuiq. suum, facile potuit ampliata (ut fere fit) verbi vi, ad omnes artes, atq. ad diversos fines aptari. Hanc nostri homines, iuris significationem secuti, vultu iustum, atque etiam ius ipsum, rectum appellant; iniustum vero, aut etiam iniuriam, deponunt. Ut enim, recta linea, neque in dexteram, neq. in sinistram partem, inclinatur, & omnium brevissime à puncto in punctum pertingit; ita iustum ad ius, ius vero ad felicitatem nullis circuitibus, sed recta, hoc est, quam brevissime, & compendiose perducit. Huic significationi, assimilis illa est, qua ius, belli, vel ludii, cæterarumq. actionum, hoc, aut illud exigere, asserunt, ad vitæ finem, scilicet, finemq. optatum assequendum. Ut idem videatur esse ius, ac ratio, cuiusq. rei bene gerendæ, quapropter ipsum esse affirmant rationem bene vivendi, vel rectam rationem rerum agendarum, ut non immerito ius à nostris rationis etiam nomine appelleretur. Et sane, nisi statuatur ius, nulla fere potest nostrarum actionum ratio reddi, bona ne, an mala, recta, an obliqua, laude, an vituperatione digna sit; earum saltem, quæ sunt infra honestatem, ac beneficam societatem, de qua suo loco dicturi sumus: nec alia mensura est, qua distingui actio ab actione possit, ita ut ius esse videatur humanarum operationum ratio, norma, & mensura. Dicunt etiam aliquando nonnullarum rerum quantitatem spectantes, eas iustas esse, ut staturam, vestem, mensuram, gladium, aliaq. huiusmodi; id nimirum hac voce intelligentes, quod nec longum, nec breve, siue nec magnum, nec paruum sit, nec secundum ullam dimensionem excedens; sed mediocre, moderatumque: proinde videtur etiam capi ius pro mediocritate quadam, & moderatione rerum omnium, atq. etiam pro commensu, proportionem, ac responsione: nam canentium voces, & tiliarum iustas dicunt, cum cæteris concinentibus, concordēs sunt, & harmonice consonant; calceos item iustos, qui pedibus proportionem respondent, atq. ijs aptantur, & quadrant. Sumitur interdum ius pro honestate, ut honestas vicissim pro iure: cum enim distinctio harum vocum non populo modo, sed philosophis quoque obscurissima sit, mirum videri non debet, si confundantur. Est autem honestum (ut infra declarabitur) dignis, & bene meritis bona largiri: nihilominus eum sæpe iuste agere dicunt, qui dono dat, quibus oportet. Nec desunt, qui liberalitatem, & benignitatem sub iustitia locent. Sunt etiam, qui iusta dici omnia existiment, quæ recta sint, & honesta aliquo modo sub iustis contineri. Nonnulli contra omnia vocant honesta, & iusta tamquam speciem honestorum ponunt. Sed & alij reperiuntur, qui ius pro pietate accipiant: iustum enim esse dicunt Deum colere, parentes alere, aliaq. huiusmodi, quæ proprie non iusta, sed pia sunt. At nos neq. de usu uocum disceptare debemus, neq. illis vim asserere, ut pro arbitrio nostro significant; sed præstantiorum scrip-

scriptorum auctoritatem, & rationem sequuti necesse habemus illas distinguere, ut quid qualibet earum intelligendum sit, quæque res cuilibet proprie respondeat, explicare possimus.

DE PROPRIIS IURIS SIGNIFICATIONIBVS.

Cap. III.



MISSIS igitur improprijs, & metaphoricis iuris significationibus, videndum est, an in propria tractatione de iure, quatenus iuridicæ societatis, & iustitiæ finis est, aliqua æquiuocatio lateat. Itaq; illud primò dicendum, quod omnibus manifestum est, ius non solum esse finem, in quem terminatur actio iuste agentis, & iusti, vel iustitiæ præditi; sed etiam pro loco sumi, vbi à iudice dicitur ius: est enim idem in ius vocare, atque in locum iudicij. Præterea pro lege accipitur; & apud Iurisperitos leges, senatusconsulta, plebiscita, cæteraque huiusmodi, quæ vim habent legum, iura dicuntur; ita vt iura dare, idem sit, ac leges condere: licet lex non per se, & proprie ius sit, nisi quia illud statuit, & significat, vt alibi dicemus. Ad hæc capitum & propriis iuris arte: nam ab Vlpiano ius definitur ars boni, & æqui. Quam definitionem

- quamuis carpant nonnulli, asserentes Iurisconsultum cum iurisprudencia ius confundere; tamen si quis diligentius animaduertat, eum ius sumere, non vt extra est, sed in mente, fatebitur recte definire. Vt enim bona valetudo, quæ extra est medicinæ finis, & forma corporis humani probè, & secundum naturam dispositi, in medici mente ita percepta, & radicata, vt gignere possit sibi simile, ars medica est, & cæterarum artium fines, simili modo; ita ius, quod extra iurisprudenciæ finis est, & forma probe constitutæ societatis, in Iurisconsulti, aut iudicis mente penitus impressum, est iudicis ars, aut iuris, aut æquitatis, quam ille appellat bonum, & æquum. Sed & hæc quamquam propriæ iuris significationes segregandæ sunt, vt videamus, num id, quod tum iusti inquirunt, tum iudices, atque ij, qui de iure disceptant, sit vnum re, quidque illud sit, tam vbi ius dicitur, quam vbi que. Primum igitur sciendum est, quod Aristoteles iustitiam statuit bifariam dici, vno modo, prout est idem, quo ad ambitum cum virtute communiter sumpta, alio, vt est habitus particularis. Nos verò ex ijs, quæ de virtutibus dicturi sumus, quæ in benefica societate reperiuntur, existimamus perspicuum fore, iustitiam nullo modo eiusdem ambitus esse cum virtute. Præterea legitimum, licet idem quadamtenus sit, ac iustum, non tamen ad omnes virtutes, sed dumtaxat ad particularem iustitiam pertinere. Neque illum, qui iussu legum fortiter pugnat, vel ex ipsius Aristotelis opinione fortem dici debere; neque qui adulterio abstinere, temperatum; neque qui sua bona largitur, liberalem. Nullus enim ex ijs, non modò studiose, sed nec etiam iuste operatur, at tantummodo iusta. Postremò, virtutes omnes, quæ ad humanitatem, ac beneficentiam attinent, esse legibus, & imperijs omnibus superiores, ita vt sponte exercere illas oporteat, non metu poenæ, neque vt legibus pareatur; sed per se, & honestatis gratia, siue vt benefici sint, & Deo assimilentur, qui eas exercent; & vt illis bene sit, quibus ipsi prodesse conantur. Itaque legitimum per virtutes omnes minime diducendum censemus, neque iustum: qui enim legitimum, ac iustum idem ducit, quod studiosum, & iustitiam, quod totam virtutem, ius cū honestate permiscet, & idē omnino vtrumque reddit, eandemque vtriusque substantiam. Quod superius leuiter redarguimus, & vberius alibi confutaturi sumus. Et quamuis fateamur plures dari societates, & plures iustitiæ species esse; non tamen propterea concedendum est, eam ratione tantum à virtute differre, videlicet quatenus est ad alium: iusti enim, ac

Ethic. lib. 3
cap. 4

Ethic. lib. 3
cap. 8

virtute præditi operationes longe erunt inter se diuersæ. Nam iustus fortiter pugnabit, vt societatem seruet, & legi obtemperet; fortis verò, licet sua nihil intersit, nec societate, vel lege teneatur, pro bonorum virorum defensione dimicare paratus erit, cunctaque vltro subire discrimina. Qualem Poetæ Hercules, & Equites errantes fingunt. Atquæ idem de liberali, urbano, & cæteris alijs, pro cuiusque habitu, dicendum est. In eam autem Aristoteles incidisse opinionem viderur, quòd animaduerteret vnã esse iustitiæ speciem, à qua declinans, plurius audis diceretur, & omnino plura accipere, & pauciora tradere velle, id quod in reliquis non apparebat. At species illa iustitiæ, vel iusti, & iniusti in commercijs tantummodo locum habet. In ciuitate verò, in qua legibus parere oportet, quicumq. non paret, non tam iniustus, quàm malus ciuis habetur. Quacumq. enim ratione quis obest alijs, siue conuijs afficiendo, & contumelia, siue adulterium committendo, siue etiam eadem perpetrando, & omnino legibus non parendo, quamquam iniustus quidem est, quoniam leges iura videntur; tamen non ita facile cognoscitur ex ijs facinoribus, illum plurius audis esse: ex quo nihil aliud inferri potest, quàm quod multipliciter iustitiæ dicitur, vno modo, vt ad commercia pertinet, & distributiones, alio verò, vt ad ciuitatem. Nam vt ibi plura accipere, & pauciora tradere cupimus; ita hic aliquis legum transgressus apparet, dum alios lædimus, vt nobis nimium prospiciamus. Patet igitur iustum, ac legitimum, si proprie capiantur, non excedere iuridicam societatem. Nam humanitatis, atque honestatis leges appellare solemus, quæ à legibus ad ius spectantibus diuersæ sunt, neque vniuoce cum illis dicuntur, sed secundum proportionem quandam, vt patebit, cum de ipsius verba faciemus. Et licet iustum sit legitimum, vt iniustam contra leges, non idcirco idem, quod rectum, & studiosum est: nam neque iustitia est idem cum tota virtute, quamuis sit idem cum habitu agendi secundum leges. Quod fortasse planius fiet, si ea extrema, in quorum medio sita iustitia est, diligenter inuestigemus; quod ab Aristotele factum esse non arbitramur. Vnde & apparebit, ius medium quoddam esse, & quorum extremorum sit medium. Nam cum singulis virtutibus, vt medijs, bina vitia extrema tribuantur, iustitiæ vni nullum aliud, præter iniustitiam assignatur, cuius rei causam Aristoteles non explicauit; verum censet actionem iustam mediam esse inter agere, ac pati iniuriam; iniustum autem esse plus commodi accipere, & minus incommodi. Quæ licet vera essent, ad rem tamen nihil faciunt: in agendo enim cernitur virtus, ac vitium; & non in agendo, & patiando. Et in capiendis commodis plus, quàm oporteat, quis est iniustus, licet paria ceperit incommoda. Ac duobus illis modis iniustus esse aliquis potest, plura scilicet capiendo, & pauciora tradendo, vel plus commodi capiendo, & minus incommodi. Non quod in altero sit excessus, defectus in altero. Nos igitur existimamus, homines, dum ad alios referuntur, posse tradere sponte paria bona, vel commoda ijs, quæ accipiunt, vel plura, vel pauciora. Cum autem pauciora tradunt, plurius audi sunt, & (vt Aristoteles inquit) lucrantur. Cum verò plura, damnum patiuntur, & modò sponte agant, munifici sunt; cum paria, iusti. Ita vt actio iusta consistere in medio videatur illius, qua lucrantur, & illius, qua damnum sponte patiuntur. Vt igitur liberales, prodigi, & auari circa eandem considerantur operationem, videlicet in erogando pecuniam, vel alia, quæ pecunia æstimantur. Fortes verò, audaces, & timidi, in eligendo, vel fugiendo certamine; ita iusti, iniusti, & alij in dando, vel non dando cuique suum. Nam qui dat paria acceptis, iustus est, qui pauciora, iniustus, nisi dono acceperit. Qui autem plura dat, non necessariò iniuriam patitur, neque est vitiosus, & malus; immo verò liberalis, & bonus, si bene largitur. Quapropter etsi virtutes in ea mediocritate consistunt, vt extrema, siue excessus, & defectus, vitia sint; tamen

Ethicæ lib. 5
c. 4.

iustitia

iustitia videtur non inter duo vitia, sed inter virtutes, & vltima media esse. Cunctaeque virtutes, nostra sententia, ipsa iustitia terminos in meliorem partem excedunt. Siquidem fortis pro salute, & defensione honorum curat; non quod periculum acceperit, neque ut iustus sit; sed ut beneficus. Liberalis sua bona tradit; non ut vicissim accipiat; nec ut iuste agat; sed ut honeste; hoc est; ut illis confisum sit, qui degere commodum non poterant, & cetera simili modo. Itaque iustitia habitus medius est (si proprie capiatur) inter eos, qui nocent, & eos, qui prosunt; quo quippe dicitur sunt, nec plura, nec pauciora tradunt; quam accipere. Virtutes autem habitus auandi sunt, ut nocendi vitia. At inter iustitiam, nocendumque, medium quoddam, vel potius mediocritas quaedam, ius est; ad quam iustitia ducitur tendit. In iuando vero mediocritas honestas dicitur, quam, qui virtutes exercent, finis loco habent: sed in laedendo nulla dicitur mediocritas potest, propterea quod iniustus, & vitiosus sunt omnes; qui dantes vel sapem non tradunt; vel obstant quocumque modo. Iusta igitur actio per se nec nocet, nec prodest; ita ut qui vel dat, vel accipit, diuinitum patiatur; aut lucretur: quae causa est, cur iustitia vnicum tantum vitium opponatur: qui enim plura sponte tradit (ut supra diximus) non est vel natura, vel necessario vitiosus, ut qui pauciora. Ex his, quae dicta sunt, dilucidum sit, actionem iustam mediam non esse, inter agere iniuriam, & pati, neque omnino inter tradere, & accipere; verum media quidem est inter tradere plura, & pauciora, & inter plura, & pauciora accipere. Nam qui plura sciens accipit, vel petit, vel appetit, iniustus est, quatenus plura est avidus: iustus vero, est medius inter eum, qui plura tradere, & pauciora accipere vult; atque eum, qui pauciora tradere, & plura accipere: qui enim vult plura tradere, & pauciora accipere, non iniustus est, sed beneficus, & iniusto opponitur; qui plura accipere, & pauciora tradere cupit. Quamobrem videtur iusta actio inter beneficium, & maleficium media esse, neque per se (ut dictum est) vel prodest, vel obest; sed in causa est, ut quisque potiatur suis bonis, & suo, vel suorum labore partis. Cum ergo iusta actio sit media inter plura tradere, & pauciora ijs, quae acceperit tradens; erit eadem cum illa, qua paria acceptis traduntur, & iustum traditum aequale accepto: ius vero, cum sit medium ipsum, vel mediocritas (ut diximus) erit paritas dati, & accepti. Maxime igitur propria, & germana iuris significatio delineata sit hoc modo. Nunc planius illam explicemus.

DE IVRE, UT EST PARITAS.

Cap. IV.

40 **F**ELICITATEM, dictum à nobis in superioribus est, finem hominis esse, ad quem persequendum, ut cuique datus est à natura instinctus, & stimulus quidam internus; ita etiam cum animi, tum corporis sunt facultates tributae. Ut autem eadem natura singulos aequè aptos ad eum inuestigandum gignit; ita etiam velle videtur, ut aequè propria aptitudine, & diligentia illum consequantur. Verumtamen cum ad tantae rei consecutionem plurima necessaria sint, plura etiam utilia, si singuli apti seorsum essent ad ea sibi comparanda, nulla opus esset societate, nulla bonorum inter homines commutatione, vel distributione, nulla demum iuris, vel iniuriae cura; sed in solitudine degentibus, sibi que tantummodo prospicientibus, sine aliena ope propria commoda, finemque ipsum adipisci liceret. Cum autem fieri nullo modo possit, ut omnes ad omnia efficienda apti sint, sed ad alia alij; & nemo reperiatur, qui sibi ipsi per se sufficiat; naturae imbecillitate, ac necessitate adducti, & desiderio finis,

finis, eorumque commodorum, quæ ad eam perducunt, impulsu, aliorum fo-
 cietatem, & consuetudinem querunt; ut quod proprio studio, comparare sin-
 guli nequeunt, mutuo assequantur auxiliis. Quamobrem versantur inter se ho-
 mines, & consuecunt, eorumque labores, actiones, & opera communis com-
 modi, & utilitatis gratia illis volentibus conferuntur, & quasi miscentur: nec
 ratio redigendi omnia in eum usum, in omnibus denique satisfiat, excogita-
 ri alia potest, præter eam, quam hominum mentibus natura indidit; videlicet,
 ut bona bonis, labores laboribus comparati æquantur, & omnino ut quantum
 quisque commodi, & utilitatis accepit, tantum rependat, ac quantum tradi-
 dit, tantumdem accipiat. Quod ubi fit, nulli datum queri bonæ loci non
 enim quisquam impeditur, vel abducitur a sui commodi assiduatione, sed dum
 alterum iuvat, iuuatur ab altero; & dum alienum laborem suo pensat, non fo-
 cus ac si sibi soli assidue laborasset, non alieno, sed suo vivit, & proprijs facul-
 tatibus ad felicitatem recta contendit, ad eamque magnam adipiscitur appeti-
 dinem. Hoc autem iuridicæ societatis, & illius finis, videlicet iuris est opus,
 quod etiam ex his dati, & accepti paritatem esse quandam patet. Lucidius au-
 tem patebit ea consideranti, quæ spectant tunc commutantes, tum distribuendi-
 res bona, tum etiam, qui communiter aliquid operantur, ac prætereâ iudicium
 auxilium implorantes, & iudices ipsi; sic enim facile quis ex notis, & concessis
 ab omnibus ignota, inueniet. Commutantes igitur (modò boni viri sint) pa-
 ria accipere cupiunt, quæ tradunt, siue merces dantur, siue secundum com-
 muniem ætimationem pretia, & pecuniæ (nam commutantium appellatione
 tam ementes, & vendentes, quam permutantes comprehendimus, utraque quo-
 ties tradita acceptis æqualia sunt, quiescunt, assentiantur, & recte, ac iuste com-
 mutationem cessisse autumant. Cum verò plura tradiderint, quàm accepere,
 queruntur, iniuria se affectos clamant, & iurgia, ac contumelias oriuntur. Ne-
 que omnino aliud in causa est, quàm quod traditis paria non accipiant. Eadem
 pacto distributores diligenter cauent, ne ex bonis, quæ distribuenda sunt, al-
 teri plura, vel pauciora, quàm alteri obueniant (nunc enim nihil referat, an
 pro personarum dignitate fieri distributionem oporteat, an secundum nume-
 rum.) Quod si paria dignitati, vel aliorum portioni obtigerint; quiescere om-
 nes, & distributorem laudare, tamquam iustum uidentur, alioqui queri, se
 pauciora, alios uerò plura obtinuisse asseuerantes. Sed & ij, qui communi la-
 bore aliquid acquirunt, uel operantur, id inter se æqualiter, & inæqualiter par-
 tiri possunt. Nam cum necessarium sit, ut in commune opus alter plus, aut mi-
 nus altero, aut æque conferat; postulare ratio uidetur, ut qui plus contulit,
 non pauciora, uel paria consequatur, sed ut plus suo labore profuit; ita etiam
 plura lucrifaciat. Si igitur pro analogia inter eos diuisio fit, ita ut quam ad la-
 bores inter se proportionem habent, eandem ad commodorum adeptionem
 habeant; recta, & iusta partitio creditur, & probatur: sin minus, refellit, at-
 que itur ad iudicem. Itaque tam commutantes, quàm ij, inter quos aut distri-
 buuntur, aut diuiduntur bona, si paria traditis, uel meritis, uel laboribus non
 accipiant, litigare inter se uidentur, neque aliud in iudicio flagitant, quàm æ-
 quari bona. Sed nec iudicibus alius est omnino statutus finis, quàm bonorum
 inter litigantes æquatio, qui postquam æquata bona fuerint, & ad paritatem
 redacta; tum demum iustam commutationem, & distributionem, siue diuisio-
 nem asserunt, iustum quoque iudicem, & iudicium, seque ius suum consecutos
 esse affirmant. Vnde manifestum fit, actionem illam haud iustam esse, qua plus,
 uel minus cuiquam tribuitur, quàm debeat; illam iustam, qua tribuitur, quod
 inter utrumque est. Iustum igitur medium est inter plus, & minus; at hoc di-
 citur par in numeris, & in magnitudinibus æquale: quapropter ius, cum sit
 medium ipsum, uel mediocritas, erit paritas, uel æqualitas, non rei cuiusli-
 bet.

bet, sed dati, & accepti, vel bonorum, & commodorum, quæ inter aliquos aut commutata, aut diuisa, & distributa, aut adjudicata fuerint. Proinde cum ali-
 quid ut iustum comprobamus, par esse, aut æquum dicimus. Et par pari refer-
 re illud videtur, ac iustum tribuere. Et vulgo æquari sarcinam dicunt, cum
 scilicet culque redditur. Græci autem *δίκαιον* ius vocant, quasi *δίκη*, quod est
δική, id est a bifariam, scilicet diuidendo dictum, ut etiam notat Aristot. Ethic. lib. 5
c. 4.
 reles. Hinc iustitiam, cuius est opus, & finis ius, pingunt altera manu lancem
 eque libratam tenere, altera vero ensen, quod Princeps viribus, & potentia
 paritatem hanc (quod est ius) in societate tuetur, cum iustitia præditus est.
 10. Hinc Pythagoras, qui rerum omnium substantias numeris exprimebat, iustitiam
 dicebat numerum esse pariter parem. Nunc ut reliqua commodius persequa-
 mur, quoniam iudicium commutationis, & diuisionis, vel distributionis sequi-
 tur controuersiam, istam in presentia omittamus: nam ex ijs, quæ de commu-
 tatiuo, ac distributiuo iure, deque cæteris ad ipsum pertinentibus dicemus, fa-
 cilius intelligi poterit, quid de iuris restitutione, hoc est, de iudicio dicendum
 sit. Ut enim medici prius agunt de bonâ valetudine, & corporis secundum na-
 turam constitutione, eiusque conseruatione; deinde de morbo, & quomodo
 ægrorantes ad naturalem statum sint redigendi; ita de iure agentes prius ex-
 plicare oportet, quid sit ius, & quomodo perficiat societatem, & quasi illius sa-
 20. nitas sit, quaque ratione conseruari debeat; postea de iniuria, per quam, si il-
 lud subuersum fuerit, quomodo sit à iudice restituendum. Cum igitur ex Ari-
 stotelis sententia duplex sit ius, alterum, quo bona commutantes vtuntur,
 quod commutatiuum, alterum, quo distribuentes, quod distributiuum appel-
 lat, si quis definiat ius paritatem dati, & accepti, vel commutabilium bono-
 rorum, commutatiuum tantum ius explicabit. Si vero paritatem bonorum pro
 dignitate distributorum, distributiuum. Quærendum autem videtur, num re-
 periatur vtriusque natura communis, an potius nomine tantum conueniant:
 nam cum Aristoteles separatim, non communiter definiert, existimare aliquis
 posset, illam non dari. Ethic. lib. 5
c. 3. & 4.

DE COMMUNI IURIS COMMUTATIVI, ET

distributiui definitione. Cap. V.



40. **A**TQVI primò perspicuum est, quod definitio commutatiui iu-
 ris propria, videlicet paritas dati, & accepti, distributiuo
 etiam accommodatur, quandoquidem in bonorum commu-
 nium distributione alter alteri cedit eam potestatem, quam
 in illius portione habet. Cum enim bona inter nos commu-
 nia sint; portio, quæ in distributione, vel diuisione sit tua,
 tibi ex dimidia parte à me traditur, ad quem dimidiata
 spectabat: quæ verò sit mea, mihi abs te traditur, ex eadem dimidia. Cum igitur
 par est traditio, vel cessio mea tuæ, aut labor, quem ego in portionem tuam
 impendi, par est ei, quem tu in meam; tum paritas dati, & accepti etiam in di-
 stributione apparet. Nec quidquam refert, vtrum secundum numerum distribu-
 tio fiat, an pro dignitate, nec vtrum ab eisdem, quorum commodo sit, an ab
 alijs, quod mox patebit. Præterea si ius communiter, ut vtramq. speciem cõple-
 citur, definiendum sit; cum constet tam commutationem, quàm distributionem fieri
 50. inter socios, siue sint electione, siue natura, & tam quæ vicissim dantur, & ac-
 ciuntur, quàm quæ distribuuntur communis utilitatis gratia, bona, siue cõmoda
 esse; si quis dixerit, ius paritatem esse cõmodorum inter socios, vel inter eos, qui
 quoquo modo apti sunt inuicè sibi prodesse, forsitan exprimet vtriusq. naturam.

Sed

Sed examinandum relinquetur, num hæc paritas in commutatio, & distributio iure omnino sit eadem, an re differat: nam si differt, communis definitio non erit recte assignata. Cum enim genus non est idem re, species in eo conuenire non possunt, & id secundum se definiti nequit; cum vna definitio vnus rei sit, non plurium eodem nomine significatarum. Aristoteles igitur iustum distributum affirmat, secundum proportionem geometricam, æquale esse; commutatum verò secundum arithmetica. Quo fit, vt non omnino conuenire videantur: nam quæ proportionem eadem sunt, non sunt necessario genere eadem, vt idem ait. Nos autem non dissidendi cupiditate inducti, sed ratione coacti, ius distributum existimamus à commutatio non differre, & in vtroque eadem proportione procedi, sed, quia latet principium, diuersam videri. Quod facile cognitu fiet, si diligenter consideretur, quo pacto homines, tum simul, tum seorsum agunt. Nam vt commutatio fit secundum numerum, quoniam sua quilibet vicissim tradit; ita distributio pro laboris ratione, vel quantitate fieri debet; siue pro ea vtilitate, quam quisque attulit communi operi. Vbi igitur æque laborarunt socij, distributio non fit pro geometrica proportione, sed arithmetica: at vbi alter plus laborauit, siue plus in commune opus contulit, plus etiam illi debetur. Quòd si, vt in commutatione, pretio æstimentur bona tradita, & accepta, ita æstimentur labores, & merita simul agentium; palam fiet, proportionem geometricam quidem videri, reuera tamen non esse. 20

Neque nos fallat, quòd in Republica optimates, ac nobiles & cupiunt, & capiunt plura cæteris, licet non videantur plus laborasse: nam aut non recte res geritur, aut bona parta pro insumptis, vel insumendis laboribus diuiduntur; & vbique si pretia definiantur, non pro geometrica, sed pro arithmetica proportione, paria ferent. Non enim nobilibus plura dantur, quòd plus ipsi egerint; verum quòd parentum meritis, quorum ipsi hæredes, & creditores reipublicæ sunt (quæ, vt suo loco patebit, nobilitatis ratio est) plura debeantur. Diuitibus verò, quòd plura conferunt, vel conferre in Rempublicam commoda possunt. Itaque si pretium statuatur, patebit ex eodem principio pendere omnia. Nihil enim refert, solus agat quis, an cum alijs: vt igitur, qui solus plus laborat, plus sibi acquirit, quam qui minus; ita qui simul cum alijs plus agit, plus etiam de communi opere meretur. Et vt non plura sibi pro geometrica proportione acquirit, sed pro arithmetica; ita cum alijs agenti præmium pro arithmetica proportione, non pro geometrica debetur. Porro in bonorum distributione sæpe alteri plura, alteri pauciora traduntur; si verò iidem inter se commutent, non eadem videtur seruari proportio, sed numeralis. Vt si inter nos distribuenda sint bona, tibi fortasse decem, mihi duo dabuntur; si commutanda, æqualia, eiusdemque pretij erunt, quæ tradam, ijs, quæ accipiam. Hac tamen differentia falli neminem decet: nam quicumque commutant, in commutatio societate sunt pares, licet in distributio sint impares: nulla enim commutatio differentia est, nisi datorum, & acceptorum differentia sit. Nam si ipse mihi in commutatione decem tradas, alius octo, alius verò quatuor; ego, vt tibi tua, ita eorum cuiuslibet sua æqua ratione rependam. Quòd si solus tot contuleris, quot simul alij decem, singulorum comparatione decuplum feres; sed & idem in distributione seruatur: cuius enim labor decuplus fuit, eiusdem & præmium decuplum erit, cuius duplus, duplum, cuius verò æqualis, æquale. Quo fit, vt eandem vbique rationem sequamur; si vt in commutatione merx merci, ita in distributione præmium labori comparetur. At in distributione non confertur labori præmium (nam essent paria) sed præmium vnus præmio alterius. Quamobrem in commutatione vere proportio locum non habet, sed fortasse in distributione, in qua paria accepisse dicuntur, qui sæpe imparia acceperunt; quamuis neque in ea proportio necessaria sit, quam Græci *αναλογίαν*, sed

sed ratio, quam λόγος appellant, is videlicet respectus, qui est termini ad terminum, ut in commutatione mercis ad mercem, vel eius pretium, in distributione laboris ad præmium. Nam qui personarum quoque comparationem admiscet, è iuridica societate imprudenter in beneficam transeunt, & distributivi iuris nomine honestatem describunt. Dum enim merx merce, pretiove pensatur, semper commutativum est ius, at cum in communi agitur, congruum est, ut quilibet suo labori æquum ferat. Ut si tu vnum diem operam navas in meo prædio, alter verò biduum, te denarium vnum, illum duos accipere decet: nam sic vterque vestrum paria secundum rem laboribus accipit; quòd si quis conferat, quæ tu accepisti, cum ijs, quæ alter; iam non erit paritas secundum rem, sed secundum proportionem. Cum igitur illum respiciunt homines, cui laborant, siue Princeps, siue Respublica, siue quis alius sit; semper est inter eos ius commutativum. Cum verò eum tantum, qui vna laboravit, laborem labori, & præmium præmio comparantes; si plura illi, quàm sibi tradita esse animadvertunt, irasci solent; idemque usu venit, si commune opus inter eos diuidendum sit: quoniam imparitas secundum analogiam, imparitatis secundum commutationem admonet. Nam si labor alterius tanti fiat, noster pluris fieri debere videtur, quàm sit: in hac enim argumentatione trium quantitatum regula utimur. Iustum igitur distributivum in causa est, ut cognoscamus commutativum; neque aliam ullam ob rem de eo mentio est facienda. Cum enim acceperit Respublica ab altero decem, ab altero quinque, vel laborem, aut commodum tanti faciendum; debet singulis in solutione paria tribuere: quo fit, ut ius distributivum dicatur: quamquam non secus est, ac si ego, cum mutuo acceperim simili modo ab altero decem, ab altero quinque, vtrique sua restituum. Nam quod ad me attinet, cum eorum quolibet commutativum est ius; verùm ipsi inter se pro eorum, quæ tradidere, proportionem accipiunt; quod assimilatur distributivo. Vnde apparet, vnicum tantummodo esse ius; videlicet paritatem datorum, & acceptorum: verumtamen cum paritas considerari possit, vel inter socios, hoc est, inter eum, qui laboravit, & eum, cui laboravit;


2^o vel inter eos tantum, qui vna laborarunt, socius, qui paria laboribus tradit, simpliciter paria refert, quæ scilicet æquantur acceptis. Inter eos autem, qui laborarunt, si ea, quæ tu accipis, non paria ijs, quæ alter accepit, sed dupla sint; tum si labor tuus fuit duplus, diceris accepisse pro laborum proportionem paria illi. Quæ paritas utilis quidem est communi quieti, non tamen est ius; neque solent iusti queri, quòd hac paritate fraudentur, vel quòd alij plura ipsis acceperint; sed quòd ipsi suis laboribus paria non tulerint. Cum enim queruntur, quòd æqui non æqua, aut non æqui æqua ferunt; iure queruntur: quippe quòd non tradantur laboribus paria. Ac per se numquam petunt iusti, nisi bona suo labore parta, nulla eorum ratione habita, quæ dantur cæteris; & dicere solent sua non referre, an plura tradantur alijs, modò sibi non negentur, quæ sua sunt. In societate igitur iuridica, iureque ipso, non personas, sed bona tantum spectare oportet, omni proportionis consideratione dimissa. Quod in cunctis quoque artibus fieri videmus. Nam si medico duo tertiana febris laborantes curandi sint; temperie, ætate, cæterisque, quæ ad curationem pertinent, pares, & eadem vtrique adhibeat remedia, ita ut medicamento ad medicamentum ratio sit, quæ ægroti ad ægrotum; ex accidenti servabit proportionem illam, per se autem remedia dirigit ad naturam morbi, eiusque causas auferendas, & bonam valetudinem reparandam. Sutori quoque si duobus calcei sint faciendi, & pedum alterius longitudo dupla sit ad alterius pedes; dupla itidem longitudine calcei fient: non tamen huiusmodi ille proportionem curat, sed tantum ut calcei pedibus amborum æquentur. Ita bonorum distributor per se labores, & singulorum merita spectat, ex accidenti verò proportionem, quæ est inter

inter illos. Quod in cōtributione clarius cernitur: cum enim eget respublica, decimæ civibus imponuntur, ad quarum quisque rationem de ijs, quæ possidet; confert: ita ut tibi centum possidenti decem conferenda sint, mihi autem decem habenti vnum. Ergo exactor rem cuiusque, & opes exquirat, ut sit damnum commodis par, & pro bonorum quantitate contributio fiat: num verò pensioni meæ decupla proportione tua sit, non animadvertit. Cum igitur vnum tantum sit ius, vnam, eandemque paritatem esse commodorum dicendum est, & ad vnum principium redigenda sunt omnia, ne iuris ratio, quæ simplex est, sine necessitate multiplex fiat; & ne impediamur, quò minus possimus de ijs, quæ natura coniuncta sunt, coniunctim agere. Paritas ergo ius est, aut dati, & ac-¹⁰ cepti, aut commodorum inter socios, pro laboris proportione, vel pretio. Nam ut in commutatione pretium, non pondus, aut aliud huiusmodi spectatur; ita in distributione laboris æstimatio, vel utilitatis ad commune opus accessio, quod idem est, cum ex ipsa labor sit æstimandus.

*IUS NON RATIONVM PARITATEM ESSE, VT
censet Aristoteles, sed commodorum.*

Cap. VI.


Ethic. lib. 5
cap. 3



²⁰ LLVD quoque non minus considerandum est, num præstet paritatem hanc asserere commodorum esse, ut nos arbitramur, an rationum, ut Aristoteles. Qui ius esse censet proportionem quãdam, hanc verò rationum paritatem, rationem autem habitudinem, seu respectum (ut nos paulò ante dicebamus) termini ad terminum, ut habitudo, siue ratio duorum ad quatuor subdupla dicitur, itemque trium ad sex. Quapropter ambæ pares, & ex ijs proportio existit. Ut enim se habent duo ad quatuor, ita etiam tria ad sex; & commutatim, ut duo ad tria, ita quatuor ad sex. Huiusmodi igitur proportio, & rationum paritas in rebus civilibus ab Aristotele ius esse dicitur, & si absit, abesse ius, & commutationem,³⁰ aut distributionem iniuste fieri. Hoc autem dicere, est aliquid asserere, quod non longe à veritate discedit; verumtamen ad tractationem de iure profus inutile: cum definitio proportionalis sit, perinde ac si quis dicat, Principem civium, vel Imperatorem militum aurigam esse, aut hominem plantam inuersam. Ut si statuamus vnum possessorem cum re possessa, vnius rationis loco, alterum verò possessorem, cum re eidem possessa alterius. Cum igitur hæ rationes non exorbitant, nec altera excedit alteram, tum congrua proportio est, & ius, ac paritas adest. Nam ut humores, & partes nostri corporis in quadam oportet proportione consistere; ita homines in societate: ut verò ibi quaritur proportio primarum qualitatum, vel magnitudinis, quæ est sanitas; ita hic bo-⁴⁰ norum, & commodorum, quod est ius. Opus est autem, ut ratio vnius possessoris ad rem possessam, rationi alterius possessoris ad alteram rem possessam sit par; quæ rationum paritas non quidem in omnibus, sed in possessoribus tantum, rebusque possessis ius ab eo appellatur. At verò cognosci vix potest huiusmodi proportio, & rationum paritas, quonam modo habere debeat; neque minus obscurum, ac difficile est inuenire, quod rationum comparisonem subeat, quam quod iustum sit. Accedit, quòd si reperitur communis mensura, qua data, & accepta metiamur, ut ius existat; apparet ipsum non proportionem esse, sed paritatem; quod ex ijs, quæ mutuò dantur, manifestum est. Præterea inanem definitionem illam esse oportet, in qua pro differentijs proprijs, & ⁵⁰ ad iuris substantiam explicandam necessarijs, ea sumuntur, quæ omnibus rebus communia sunt: cum proportio non sit quid reale, sed (ut alibi diximus) ad

- ad Logicum tantum pertineat, & sit supra genera, nec ea quidquam proprio definiatur, sed tantum probetur, & lucidius fiat. Quo factum est, ut siue in Ethicis, siue in Politicis, de iuris essentia differere, pro eius utilitate non poterit, nec quidquam dicere, quod ex illius natura ductum appareat; aut certe quidquid eius naturæ consonum attulit, diuersa principia sequatur. Nam aliqua de re ex necessarijs principijs agere cupienti differentiarum communissimarum sumendarum non sunt, & longe minus earum, quæ nullius rei sunt differentiarum; alioqui impeditur, ne procedere possit ulterius, ut ex illa iuris definitione cognoscitur. Quam etsi probant Iurisconsulti, tamen cum ea uti volunt, intelligunt
- 10 ad suam facultatem nihil pertinere. Id autem propterea accidit, quod non tam in ipsam veritatem, quam in artis condendarum rationem peccat. Essentialia igitur differentiarum apponendarum sunt; quod Aristoteles alibi mordicus seruat. Paritas enim quædam est ius; at non in magnitudine, numero consistens, sed in bonis, commodis, siue in utilitate, aptitudine, & commoditate (ut paulò post compertum fiet) fruendi objectis ad beatitudinem conferentibus. Quod qui dicit, docet nos in commutatione curare, ut traditis bonis æquentur accepta; in civili verò honorum distributione animadvertere, quæ quibus bona, honores, ac potestates conueniant, & tradere omnibus aptitudinem meritis parem ad beatitudinem consequendam; ut ex hac definitione copiose agere de iure, ipsumque cognoscere, & seruare possimus; tum in societate omni, ac ciuitate rationem reddere, cur tam commutatio, quam distributio; ac præterea quælibet actio iusta sit, vel iniusta. Itaque rationum comparatio neque necessaria, neque utilis est; sed tantum commodorum, vel dati, & accepti paritas; quam illud Pythagoricorum, & Rhadamanti τὸ ἀντιπρωτότης, hoc est, repassum commode exprimit, quasi quis retributum dixerit, vel compensatum. Quod in commutatione aperte conspicitur: in distributione verò, qui reipublicæ causa passus est, in bonum repatitur, cum bona accipit laboribus æqua. Quod si illa antea diuisa sint, ita repatitur, ut bonis acceptis consequens æquetur labor. Verum qui magistratum lædit, quod caput est, &
- 20 membrum totius reipublicæ nobilissimum; cum in totam rempublicam sit iniurius, non æqua pati videtur, nisi longe maxima poena, atque etiam supplicio afficiatur; cum læsio longe maior sit, quam priuati: ut etiam magis lædit, qui caput hominis feriât, quam qui humerum, aut membrum aliud.

DE ÆQUITATE, ET QUID INTER EAM,
ac ius intersit. Cap. VII.

- 40  VONIAM verò paritas considerari bifariam potest; aut enim ex ipsa re, aut ex hominum opinione, ut etiam artifices videmus interdum mensura quadam, & numeratione uti, ad veram, & exactam rerum æqualitatem, & paritatem inuestigandam; interdum sensum tantum, aut opinionem sequi; statuendum nobis in præsentia est, harum paritatum utra sit ius. Nam sunt nonnulli, qui hanc iuris rationem omnem arbitrentur hominum commentum esse, conseruandarum societatis causa; atque ij paritatem hanc sola opinione metiuntur. Nonnulli contra innatum esse in nobis hoc principium iuris, non secus ac societatis, quæ ipso conseruatur; atque ij paritatem ex rei quantitate, & natura definirivolunt.
- 50 Vtrique autem aliquam partem veritatis attingunt. Etenim naturalem esse inter omnes homines societatem paulò post dicturi sumus, eamque communis

communis commodi gratia, quod idem cum iure censei posse manifestum erit. Sed inter eosdem homines voluntarias quoque societates iniri plurimas, quibus societas naturalis excolitur, & quarum finis idem commune commodum est, ex ijs, quæ dicemus, patebit. Itaque naturalis societatis finis, ac ius, ipsum quoque naturale, vel secundum naturam est: cum enim homines inter se commutant, & distribuunt quæpiam, siue aliquid agunt, nullis præcedentibus pactis, aut obligationibus, sed rationem tantum, vel usum sequuti, tum eorum, quæ dantur, & accipiuntur, paritas, secundum naturam, & rem ipsam tantummodo definienda est. Vt si cum mihi decem dederis, totidem reddam, aut si pro merce pretium, vel pro labore præmium soluendum sit, 10
quanti merx, vel labor huiusmodi, eo loco, ac tempore à peritis communiter æstimetur, tantum numerem. Voluntariæ verò societatis finis, similiter ac ius, voluntarium, & ex opinione esse videtur. Nam si contrahimus inter nos ea conditione, vt tibi decem mutuanti post annum quindecim restituam, aut pretium tuæ mercis, vel præmium operæ, non quanti communiter à cæteris sit, sed duplum persoluam; tum non secundum rem, & naturam, verum secundum voluntatem, & opinionem definitur paritas. Eam igitur paritatem, quæ secundum naturam, & rem ipsam est, proprie æquitatem dicimus; eam verò, quæ secundum voluntatem, & opinionem hominum, tam in priuatis contractibus, quàm in publicis legibus, communi nomine ius appellamus. 20
Ita vt omnis æquitas continuò sit ius, sed non omne ius æquitas. Cum opinio, & voluntas aliquando cum re conueniat, aliquando discrepet. Vt enim quod bonum, aut verum videtur, non semper re ipsa bonum, aut verum est, sed aliquando nobis imponit; ita quod videtur æquum, & iustum, nonnumquam secundum rem valde diuersum est. Quapropter sæpe differt iustum ab æquo; quamquam Aristoteles iustum æquum esse supponit. Dicunt enim Summum ius summam iniuriam esse, quod de æquitate dici non potest, quæ cum summa est, tum cum iniquitate, & iniuria maxime pugnat. Illud autem summum est ius, quod hominum voluntate, opinioneque constitutum, in latitudine iuris extrema consistens, quàm longissime à paritate secundum rem, & naturam, hoc est, ab æqui- 30
tate discedit. Ac voluntarium hoc ius cum pacto, & lege sancitum sit, omnia re-
cta, & inflexibilia exigere dicitur; proinde rigoris nomen assumpsit: æquitas verò, quæ paritas ex opinione, vel pacto, ad paritatem secundum rem, naturamque redigitur, de ipso iure multum remittere. Propterea hanc Græci *ἐπιδικίαν* *ἴσους* *ἀκέραιον*, id est, à cedendo, quòd de iure cedatur, illud *ἀκέραιον*, quòd exactum sit ius, aptissime nominant. Huius autem æquitatis ratio non solum inter priuatos, sed etiam inter eos, ac rempublicam locum habet. Verat enim lex (exempli gratia) moenia scandi, & scandentem iubet morte mulctari, ascendens cuius, vt ea ab hostibus tueatur, quæritur an sit mulctandus: Ius igitur, quod legis verbis exprimitur, pœnam irrogat; æquitas, quæ illius sententia continetur, 40
contrarium suadet, quam sequi præstat, propterea quòd rei, & naturæ consentanea est. Neque enim rei natura, & ratio poscit, neque eò condita lex est, vt qui iuuandi causa ascendit, pro præmio supplicium ferat; sed beneficium beneficio pensare decet. Itaque cum lege explicari omnia, & omnes particulares casus comprehendi nequeant, plurimosque contingere verisimile sit, in quibus, si legum verba sequamur, à legumlatorum sententijs, & æquitate discedimus; complura necesse est legibus iusta contineri, quæ æqua non sint. Nam iusta dicere illa conuenit, quòd à republica sanciantur; æqua verò esse negare oportet, quòd si ex ijs iudicium fiat, non paria meritis, pro re, & natura referantur. Cum igitur huiusmodi ius ab 50
ea rectitudine declinet, quam supra diximus ad felicitatem perducere;
commodum

Ethic. lib. 5
cap. 10.

commodum est, vt deuius illius rigor æquitatis mollitudine, & norma corrigatur. Quæ quidem æquitas, paritas secundum naturam est, & ius in societate naturali, non scriptum, sed ab ipsa natura in hominum mentibus insitum, atque impressum. Neque tamen æquitas à iure differt, nisi ex accidenti, videlicet quando socij quacumque de causa non sunt secundum naturam affecti. Nam cum omnes homines natura socij sint, & quasi fratres, ac coheredes bonorum omnium, quæ in communem vsum à summo rerum opifice sunt procreata; vti inter se sunt animi, & corporis instrumentis, & facultatibus pares; ita voluntate, & studio bonis fruendi esse congruum est. Ingenitum igitur cunctis est hoc principium, vt sine vllis pactis, & legibus iuuantem iuueamus, subleuantemque pariter subleuemus, & omnino paria afferamus commoda socijs, & præsidia vitæ. Sed nihilo tamen minus vt lædentes vicissim lædamus, & pari incommodo eis simus, ac detrimento. Hoc tantum interest, quod cum læsio ab iniuria, quæ præter naturam est, plerumque proueniat, natura dumtaxat socij, & amici sumus; sed præter naturam, & ex accidenti inimici. Improbiorum enim sociorum, iniustorumque necesse est nos aduersarios esse: ac quamuis data nobis natura sint instrumenta, quibus nos tueri, & cæteris obesse possimus; nemini tamen sumus, nisi præter naturam, hostes, & illis potissimum, qui sunt præter naturam dispositi. Itaque quicumque in societate naturali, ac iuridica (nam alia ratio est in benefica) paritate commodorum contentus est; & modò aliena speret, sua tradere non recusat, & sibi paria referri ijs, quæ tradidit, non plura cupit; & socio paria referre, non pauciora ijs, quæ accepit, paratus est; ille est secundum naturam affectus, verumque ius, ac commune commodum diligit. Sed & socium dici potest æque, ac se ipsum diligere: cum enim eatenus se ipsum amet, quatenus sibi bona desiderat; dum paria secundum rem bona sibi, socioque desiderat, non se magis, quàm illum amat, aut illum minus, quàm se. Eadem enim metitur mensura socio, qua sibi illum metiri cupit; neque præterea ei facit, quæ sibi nollet, & quæ sibi vellet, ei facit. Bonus igitur vir est, & æquus, vel (vt ait Poeta.) *seruantissimus*

30 *aqui*, quicumque est secundum naturam affectus, & veram inter socios paritatem expetit. At qui non est secundum naturam affectus, sed nimio sui amore tenetur; semper in societate plaris est avidus, neque in suis bonis metiendis eadem mensura vtitur, atque in alienis. Sua enim absque vlla ratione plaris, aliena minoris facit; & cum sibi solis consulere cæteros credat, de sua re tantum sollicitus est, & in commercijs, in quibus licet priuatim ius statuere, & pactis, & conuentionibusque sese obstringere, æquitate reiecta, socium vel incautum premit, vel inopia coactum opprimit. Tunc igitur plurimum differt ius secundum rem, & naturam à iure, quod ad placitum est, & secundum contrahentium voluntatem; quod sæpe etiam sociorum errore, & ignoratione accidere

40 solet. Permittit autem respublica, vt in commutatione, contractuque omni sua libertate vtantur, seque inuicem aliquò vsque circumueniant ciues; cum ob infinitam ciuiliū negotiorum varietatem, quæ sæpe certa ratione contineri non possunt, tum quod certam, & exactam communem mensuram in bonis, commodisque omnibus inuenire difficillimum est: propterea contrahentium iudicio multa relinquit, quos iustos, cautosque fore sperat; tum verò, quòd eam bonorum imparitatem negligit, quæ non magnopere aduersatur sociorum, & ciuitatis quieti. Vt enim licet in corpore nostro non sit humorum exacta æqualitas, non tamen ante medicus accersitur, quàm ita sensibilis inæqualitas sit, vt actiones lædantur; sic non ob minimam quamque in societate in-

50 æqualitatem, & læsionem iudicis imploratur auxilium: non enim curat minima, & tantisper inter socios pacta seruat, & ius, paritatemque illam, quam sibi sua voluntate, & opinione statuere, dum læsio grauior appareat, quàm

vt conseruari societas commode possit; veluti cum quis decipitur vltra dimidiam iusti pretij. Tunc enim contractum rescindit, vt ex voluntaria illa iuris iniquitate ad æquitatem redigatur, paritatemque secundum naturam. Idem verò penitus est ius, atque æquitas, cum socij, quoad paritatis cognitionem, ac desiderium, secundum naturam sunt affecti. Itaque cum ius finis iustitiæ sit, & iuste agentis, erit etiam æquitas finis. Quapropter mirari conuenit, cur Aristoteles æquitatem dicat iustitiam esse quamdam, & quasi habitum actiuum. Vt enim humorum corporis humani æqualitas non mouet medicum, nisi vt finis; & lapidum paritas, aut lignorum, quæ ad ædificium sunt necessaria, ædificatorem, aut fabrum; ita & bonorum, commodorumue paritas, iudicem: quæ si non, vt extra est, consideretur, sed vt in mente, tum non pro iustitia capienda est, habituque actiuo, sed (vt supra dicebamus) pro habitu contemplatiuo, & iuris arte.

Ethic. lib.
3. c. 5. in fi.

DE COMMUNI MENSURA AD IUS INVENIENDUM, & æquitatem necessaria. Cap. VIII.



VM autem sine commutatione societas iuridica non sit, neque commutatio sine paritate, neque paritas sine communi mensura; de ea nunc dicendum videtur: quamquam communis mensura non est ius, sed ea opus est, vt inter socios ius reperiat, & maneat. Nam vt vnitate metimur numeros, digito magnitudines, vncia pondera; & in cæteris fere omnibus rebus, quarum quantitas quauis de causa cognitu utilis est, communi aliqua mensura vtimur ad eam indagandam; ita in bonis, commodisque, & in cunctis ciuilibus operationibus; quæ inter socios commutari possunt, maxime omnium mensura est necessaria, vt ad æquationem redigantur. Igitur ad vitanda permutationis incommoda nummus repertus est; qui siue sit ex utilibus rebus, quæpiam, vt aurum, aut argentum, aliudue metallum; siue ex inutilibus, vt lapillus, aut mori cortex, quem alicubi in vsu esse ferunt (modò à lege, & publica auctoritate vim habeat) non solum communis mensuræ loca est; sed & vadis, & pignoris: vt qui illum pro sua opera, vel merce accipit, cum aliena indiget, eodem vtatur. Ac sane præstat hæc nummi ratio ingentia hominibus commoda, verumtamen non omnes adimit difficultates, & incommoda, quæ mensuræ, & æstimationis rerum occasione sunt in commercijs. Nam præterquam quod ex ijs bonis, quæ in ciuili commutatione versantur, pleraque nummi mensuram non videntur admittere, vt multa, quæ à priuatis inuicem exhibentur officia; illa etiam, quæ mensuram hanc non repellunt, sed nummo commode æstimantur, pro locorum, ac temporum varietate, magnam æstimationis mutationem subeunt; cum ob earumdem commutabilium rerum, tum ob ipsius nummi, & pecuniæ copiam, siue penuriam. Itaque cum nummus tam varia, & incerta bonorum, commodorumque inter socios mensura sit, ac præterea non natura, sed lege, & opinione hominum constet, huius commodorum paritatis, quam ius, æquitatemque dicimus, quæ secundum naturam est, naturalem potius mensuram querere oportet, quæ certior sit, & communior. Hanc igitur Aristoteles asserit indigentiam esse, quæ omnia contineat si enim non indigeant socij, aut non similiter, permutationem non fore, aut non eandem; nummum verò ex instituto factum esse, vt pro indigentia sit. Ac profectò negari non potest, tanti esse quamque rem cuique faciendam, quanta eius indigentia est. Nam videmus pro suæ indigentia ratione rem quamlibet cuiuslibet caram esse. Est igitur indigentia exacta mensura rei cuiusque; de ipsius indigentis

Ethic. lib. 3
cap. 5

digentis opinione . Verùm in commutatione , quæ inter socios fit , communem mensuram quærimus , & non ex alterius socij , sed ex vtriusque opinione æqualem . Cum igitur eadem re æque indigent , tum illius exacta mensura est indigentia ; vt si ego , & tu æque indigemus frumento , eius mensura communis indigentia est . At tum commutatio frumenti non erit : nam quisque nostrum egestati suæ consulat . Quod si ego frumento egeam æque , ac tu vino ; esse quidem inter nos commutatio potest , sed alia mensura est necessaria . Non enim indicat sola indigentia , quanti sit vtrumque faciendum , & quæ alterius rei quantitas , cum qua alterius quantitate sit comparanda . Quapropter falli eum

10 in commutatione necesse est , qui hoc modo indigentiam spectat . Præsertim cum incidant interdum casus , in quibus illam spectare iniquissimum sit . Nullæ enim tantæ diuitiæ esse possunt , quas non vniuersas profundat in magnum aliquod discrimen adductus , quò necessarium quidpiam consequatur ; vt cibum in extrema fame , equum in fuga , arma in aggressu hostium . Hæc tamen suggerenti non æquam est pro accipientis indigentia pretium soluere ; sed si eam mensuram sequi oportet , non pro huius , vel illius indigentia , verùm pro communi præfinitum pretium erit . Verior igitur fortasse , ac naturalior omnium bonorum , ciuiliūque actionum mensura is finis censendus est , in quem omnia diriguntur , voluptas scilicet , atque felicitas (vt supra etiam attigimus , Lib. 3. c. 3.

20 cum de bonorum æstimatione loqueremur) nam cum bona illa dicantur , quæ voluptatem afferunt , aut quoquo modo ad felicitatem conducunt ; tanti erunt singula facienda , quanta eorum vis , & momentum ad felicitatem esse iudicabitur . Etenim vt actio imperatoria , & bellica instrumenta respectu victoriæ æstimantur ; medici opera , & medicamenta respectu valetudinis ; & in cæteris artibus , quantum ad proprium finem artificis labor , atque instrumenta proficiunt , tanti fiunt , ita ciuile officium , & bona , quæ vitæ instrumenta sunt , pro modo illius adiumenti , quod ad bene , beateque uiuendum præstant , sunt æstimanda . Qua quidem naturali mensura paritas commodorum , tam in republica , & distributionibus publicis , quàm inter socios , certius inueniri , & conseruari potest ; vt quantum in commutatione inter nos meo labore , vel merce tuæ commoditati , & aptitudini ad felicitatem accedit , aut meæ detrahitur ; tantumdem retribuere te mihi æquum sit . Atque hæc æquitatis ratio secundum rem in naturali societate consideratur sine vllis pactis , aut obligatione ; quæ quoniam aliquando post commutationem confusa videtur , & difficultatem parere solet ijs , qui proprias appetitiones , non naturam sequuntur , & aliena parui faciunt , sua plurimi ; propterea voluntaria societas inicitur , pacta fiunt , & contractus , & pretia definiuntur , ut cuiusque socij indigentia , atque abundantia certa sit , & paritas inter eos explicita , & distincta cernatur . Quod si voluntarij socij hac proportionis ad felicitatem norma vtantur ; elaborant arte

40 naturæ principium , quod peruertunt , si ab ea longius discedunt : id enim vbi fit , cum euidenti alterius socij lucro , alterius verò damno inicitur societas . Itaque ex huius mensuræ siue contemptu , siue ignoratione dissidia inter socios , & amicos vtiles (nam inter veros amicos nulli est dissidio locus) plurima oriuntur . Quamobrem iudicis opera est necessaria , qui vel communi mensura , quæ nonnumquam à lege traditur , vel ea , quam suo arbitratu statuit , dissidentium bona æquat , & errores emendat . Eadem distributionis , quæ commutationis ratio est : nam honores , & dignitates conferre , est ciuium meritis referre paria , qui , si mensura æqua non sit , queruntur , & seditiones mouent . Ac Principes , qui viles , & nequam homines magnis muneribus prosequuntur , nobiles

50 autem , ac probos negligunt , aut hanc mensuram despiciunt , aut eius penitus sunt ignari .

DE CIVILI FACULTATE
AN IN COMMUTATIONE

accipientis commodum spectandum sit, an tradentis incommodum. Cap. IX.



AC communi mensura proposita, dubitatio oriri videtur, spectandum ne in commutatione, & pretij definitione, sit accipientis commodum, an tradentis incommodum; cum rationes pugnare inter se videantur. Nam si tradenti debentur paria, qui exiguum tradidit commodum, exiguum feret. 10
Contra si quantum accepit quis, referre tenetur, qui magnum acceperit, magnum debet. Sed sepe fit, ut exiguum ab altero collatum officium in maximum socij commodum cedat. Rursus ei, qui magno labore parum profuit, si labor spectetur, magnum debetur premium, si fructus, paruum; ei contra, qui modico labore plurimum contulit. Quam difficultatis occasionem nacti callidi homines, non quod parum laborarint, sed quod multum profuerint, exprobrant. Et ex aduerso non quod magnum acceperint commodum, memorant, sed quod paruum fuerit aliorum incommodum. Porro accipientis indigentiam spectandam non esse, dictum iam est; quapropter neque etiam illius commodum, cum sit quoddam indigentiae complementum. Sed ratio potius 20
habenda est tradentis incommodi, ut illi par commodum tribuatur; qua paritate manente, quantumuis accipientis indigentia, commodumue augetur, pretia non sunt mutanda. Videmus enim publice rem quamlibet tanti vendere, cum eam quis emit animi causa, quanti cum alius summa necessitate coactus. Tradentis vero commodi paritate mutata, quod tum accidit, cum merces maiori labore, & dispendio constant, mutari pretia consentaneum est. Hoc autem illorum iudicio fit, qui in singulis rerum generibus, artibusque periti earum abundantiam, & penuriam norunt, & quanta sit communis cuiusque utilitas, aut delectatio, & ceterarum rerum comparatione, quanti aestimari quamque sit par; quod de hominum laboribus, aliisque omnibus intelligendum est. Hu- 30
iusmodi igitur iudicium communi usu, & tacito, vel expresso populi consensu probatum, communia rerum pretia statuit, ad quorum normam ijs, qui ius secundum naturam, & aequitatem sequi volunt, rependendum est tradentis incommodum; qua etiam ratione exiguus labor, qui plurimum prodest, exiguo pretio pensandus est. Ei vero, qui magno labore tibi parum profuit, si eius operam conduxisti, par labori premium debes: nam in tua potestate situm fuit, vel non conducere, vel si in rem tuam non erat, illum dimittere. In iuridica igitur societate accipientis commodum, vel indigentia mensura non est, alioqui ego abs te in fuga equum accipiens tibi vitam, aut vitae pretium debeo. Sed quantum te ad felicitatem promouebat equus, quo nunc cares; tantumdem tibi re- 40
tribuendum, ut commoda inter nos aequentur. Nam illa demum commodorum paritas est ius, non ut ego tantum tibi commodum debeam, quantum ex tuo equo sum consecutus, sed tantum, quanto tu mea causa te ipsum priuasti. Neque enim iudex, si eius officium impleretur, pro equo numerari iubebit, nisi quanti communiter fieret, non mei commodi, sed tui incommodi ratione habitum. Quamuis merito ingratitude sim arguendus, si beneficio tuo seruatus non te magna beneuolentia, & munere prosequar. Hoc autem argumento est, societatem huiusmodi non simplicem, sed duplicem, vel mistam esse, ex iuridica scilicet, & benefica; obligationem item duplicem, ut in duplici societate. Itaque iuridicae societatis, & iuris causa, qui illius est finis, soluendum cuique 50
est, quantum sua opera, vel merce meretur; beneficae vero, & honestatis gratia, quantum profuit. Quod iuris naturam transcendit, & ad illud nullo modo

modo pertinet. In benefica erga societate commodi accipientis, & indigentia ratio habenda est: nam in iuridica satis est habere rationem incommodi, quod subit, qui operam nauat. Videmus enim præ ægrotantis salute medici operam parui fieri; quòd si indigentia consideretur, nullum pretium satis sit: pensandus igitur medicus iuridice pro suo labore, sed ei benefice gratia habenda est, pro valetudine restituta, & vitæ conseruatione; quod in cæteris eodem modo seruandum videtur.

I V S C V M I V R I D I C Æ S O C I E T A T I S

10

sine, & communi commodo idem esse.

Cap. X.



ERVM cum superius demonstratum sit, societatem iuridicā vnionem voluntatum esse communis commodi causa (is enim finis est, propter quem voluntates vniuntur, & in quem terminantur) & ius etiam societatis iuridicæ finis esse dicatur; necesse erit, aut plures eiusdem societatis fines esse, aut commune commodum idem esse cum iure. Cum autem illius fines plures esse non possint (vnus enim rei vnus est præcipuus finis) idem vtrūq.

- esse dicendum est; quod etiam ex his manifestum fiet. Nam cum commune commodum illud sit, cuius omnes socij sunt participes, plus, aut minus, aut æque; eius, quod simpliciter commune est, æque participes erunt. Nam id, cuius ad vnum maior portio, ad alterum minor pertinet, non est simpliciter commune, sed aliquo modo. Itaque cum socij communis commodi causa agunt, simpliciter æqualis commodi causa agere censendi sunt. Etsi enim non est æquale secundum rem, saltem est secundum contrahentium voluntatem, & secundum labores, & merita; commune igitur commodum, & æquale idem est. At cum æquale sine æqualitate esse non possit, commune esse non poterit sine iure,
- 30 quod est commodorum æqualitas. Hoc igitur modo ius ad commune commodum redigitur: commune enim esse non potest, quin adsit paritas, siue secundum rem, siue secundum proportionem; nec paritas adesse, quin commune commodum adsit. Cum verò idem sit, dicere societatem esse vnionem voluntatum communis commodi causa, ac æqualis, & similiter idem commodi æqualis causa esse, ac æqualitatis commodorum; idem absque dubio erit, dicere commune commodum, ac æqualitatem commodorum, hoc est, ius esse iuridicæ societatis finem. Mirum autem videri non debet plura verba fieri de iure, quàm de communi commodo: primùm enim singuli socij suum commodum cupiunt; deinde cum animaduertunt, illud se propria industria, & labore, aut nullo pacto, aut non ita facilè consequi posse; societatem, & commune commodum quærunt, vt inde suum, quod antea concupiuerant, adipiscantur. Quapropter in societate omnes communis quæstus, vel operis portionem, vel pretia, & bona, quæ accipiunt, inspicere solent, num labori, vel traditis paria sint. Vnde apparet, ius commune, commodum non tam potestate, quàm actu esse, & vnà communis commodi perfectionem. Vere enim ante iuris aduentum commune commodum dici nequit: nam nisi diuidatur, & parem quisq. portionem accipiat, non commune commodum, sed communiter partum appellari debet; at eo diuiso, & sua cuique portione tributa (vel rei, vel fructus, si forte in communi fruantur) commune re uera, & actu dici potest. Proinde antequam
- 50 in societatem coeant, modò boni, & æqui viri sint, ius præ oculis habent, vt ad ipsum proprias appetitiones accommodent. Inita autem societate, æquo animo iuris causa sumptus, & labores ferant, eaque soluta, iure contenti sint.

Nam

Nam societatis finis, & scopus est, quo cunctæ sociorum actiones aut tendunt, aut tendere debent. Quilibet enim finis ad se vocat, vel etiam trahit suum artificem; & tum eius operationes rectæ dicuntur, cum rectà pergunt ad finem; ita ut ius (velut initio dicebamus) norma bene agendi nuncupari possit; & unà rectitudo, ac moderamen, aut certe directivum, & moderativum operationum. Ut igitur ex mutatione, & conservatione communis commodi mutatur, & conservatur societas; ita etiam ex mutatione, & conservatione iuris.

*CVR ALIQUANDO, LICET IUS
adsit, non tamen commune commodum adest.*


Cap. XI.



IDE TVR autem interdum fieri, ut, licet adsit ius, commune tamen commodum adeste non videatur. Quod apparet in equorum, vestium, aliorumq. huiusmodi emptione, quæ emptorem non decent. Nam etsi, quanti valent, emuntur; commoditatem tamen non afferunt; quapropter ibi est ius, sed commune commodum non adest. Videtur autem fieri non posse, ut cū commune commodum adest, ius non adsit. In ijs verò, quæ ad beneficam societatem pertinent (ut dicemus inferius) fieri minime potest, ut in traditione adsit honestas, & commune commodum absit; nisi fortè dicamus ea tradi, quæ accipientem non delectant, quæ tamen actio vere honesta non erit. Verum enimverò non necessarium est, ut ius solidorum commodorum sit paritas: potest enim etiam apparentium esse, cum fieri possit, ut, quæ appetuntur, non sint vere bona, aut non huic. Nam si quis cum socio rubrum vinum albo permutet, & utrumque sit vitiosum, aut noxia qualitate ipsis nescientibus infectum; si dati, & accepti paritas adest, ius adest; & tamen uterque damnum patitur, quod fortè non accidisset, nisi permutassent: nam cum neutri suum esset gratum, aliud bibissent. Nulla igitur inest fraus, nulla iniuria, & omnis querela, ac controuersia iniusta est, ambo tamen damno afficiuntur: itaq. cum ius dati, & accepti secundum rem communis commodi gratia paritas sit, non tenetur vir iustus scire, an ea, quæ traditurus est, accipienti sint utilia; sed an sint paria. Si quis enim equum venalem habens conveniat tecum de iusto pretio, ac tibi vendat; nullo pacto obstringitur indagare, an tibi expediat illum alere, & quæ ad eum curandum, & ad equitandum sunt necessaria comparare. Et quamvis tibi penitus esset inutilis, queri tamen de socio vendente non potes; modò equus vitio careat, & pretium non sit iniustum. Propterea dicendum censemus, necessariam in rebus agendis esse prudentiam, ac discendum (ut iurisconsultus dicit) caute negotiari; ideoq. legibus cautum esse, ne in societate iuridica commutent, ac contrahant, qui iudicare, quibus egeant, aut abundant, suasq. vires metiri nequeunt. Quo fit, ut pueri, mulieres, & amentes ab huiusmodi commercijs excludantur. Eodemq. modo in benefica societate (ut patebit) qui statuere commode non possunt, quibus ipsi, socijq. egeant, quæq. personarum sit dignitas; prohibentur sua dono tradere, diligentius etiam, quam commutare. Quicumque igitur maturus ætate, ac mente sanus, aut superflua sibi comparat, aut necessaria prætermittit, aut rerum, quibus eget ignarus, bonas merces non emit; non ille quidem iniustus est, neq. etiam is, qui vendit, sed ipsa societas est inutilis, aut non tam utilis, quam sperabatur. Quapropter ius aut est paritas bonorum datorum, & acceptorum; aut eorum nonnumquam, quæ videntur bona, sed reuera non sunt, quoniam alteri socio in societate incunda, aut in obiectis comparandis prudentia defuit. Eademq. de honestate dicenda sunt: qui enim suum vinum

vinum bonum iudicat, idque inter se, & alios pro dignitate partitur, honeste quidem agit, quamuis, eo nesciente, noxiam qualitatem haberet. Quod si quis in commodorum paritate, aut etiam in dignitate æstimanda decipitur, neque iuste operatur, neque honeste, non tamen turpiter; sed iniusto, & turpi sit similis: omnino enim sibi respondent, quæ ad ius quæque ad honestatem pertinent. In huiusmodi autem dici solet, tales homines bona esse mente, nec scienter turpes, aut iniustos esse; sed ob imperitiam tamen peccare. Qui igitur ipsum ius negligit, commune bonum, & societatem non diligit; quam omnibus commodis fit indignus, quæ ab illa proueniunt. Ac de iure, ut est, dati, & accepti, & commodorum inter socios paritas, hæc dicta sint.

FINIS LIBRI OCTAUI.



ADO VARDI GVALANDI
P I S A N I
EPISCOPI CAESENATIS
DE CIVILI FACVLTA TE
Liber Nonus.

DE IVRE, VT EST POTES TAS, VEL
aptitudo. Caput I.

40 **P** R I M A igitur ex proprijs iuris significationibus explicata, alteram aggrediamur: illam enim solam non esse, ex eiusdem vocis in diuersum sensum vsu cognoscitur. Dicunt enim habere aliquem ius vendendi, vel locandi rem aliquam, & absolute habere ius in re, aliaque huiusmodi, quorum omnium longe alia ratio est, ac paritatis. Præterea M. Tullius (ut alij quoque auctores) ius æquabile, siue æquale appellat; & Quintium negat cum Næuio pari iure uti: quod si ius pro paritate sumatur, par paritas diceretur, quod esset absurdum. Accedit, quod sæpe etiam plenum ius nominant, & aliquam rem contendunt pleno iure ad aliquem pertinere, quod paritati non congruit. Postremò bono iure, meliori, & optimo fieri nonnumquam aliquid asserunt, quod in paritate locum non habet. Licet enim paritas secundum naturam paritate secundum contrahentium opinionem sit præstabilior; non eam tamen potioris, aut optimi iuris nomine intelligi volunt. Itaque eadem iuris voce patet, aliud quidpiam præter paritatem significari. Quid autem illud sit, nunç explicare tentandum est, hinc in-
tio

tio sumpto. Si eorum bonorum, quæ hominibus voluptatem afferunt, & quorum illi ope bene, beateque degunt, ea esset copia à rerum natura producta, ut sine vlllo labore omnium cupiditatibus abunde sufficerent; aut hominum tam exiguus numerus, ut non ita multis indigerent; aut tam moderatæ eorum cupiditates, ut paucis contenti essent; non admodum oporteret de iure differere. Nam veluti in tanta aeris abundantia, quæ vbiq; est, & pluribus in locis aquarum, quæ omnibus omnium necessitatibus satisfacit, ablatam quoad eas res quæstionem de meo, ac tuo, & omnino de iure videmus; ita in summa bonorum copia, quoad omnia fieret; & cuncti, ut ab eadem natura liberi producuntur, libere fruerentur omnibus bonis, quæ sunt illis natura communia. Verùm cum res longe aliter se habeat, & bona quantitate quadam sint terminata, homines autem innumeri, cupiditas verò tanta, ut vix vni omnia satis sint; necesse est, ad omnium vitam tuendam, societatemque conseruandam, ut illa hominum naturalis libertas, & soluta circa bona omnia versandi facultas, non quidem penitus adimatur, sed coerceatur, & modum assumat; ut bonorum, quæ adsunt, singuli quadam sint proportionem participes, quò illis frui valeant, ac quantò fieri commodius. ¹⁰ Assit, absque alieno impedimento vitam traducere.

Alioqui si omnia temere omnium libidini paterent, nulla rerum conseruandarum ratio esset, & singulos oporteret necessarijs carere quamplurimis; itaque societate dirempta, perpetuis inter se dissidijs, ac pugnis ferino ritu conflictarentur. Hinc omnium fere gentium communi consensu bonorum diuisio orta est, ac iam inde à cuiusque societatis initio sua cuique portio est attributa, ut in regionis occupatione, & coloniz deductione fieri solet. Nec commodior inueniri diuisio nis ratio potest, quam quæ priori iuris significatione comprehensa, & naturæ lege statuta est; ut scilicet pro suis meritis quisque accipiat, & bonis suo, suorumue labore partis potiatur. Et ad ea priuatim possidenda publica auctoritate aptus fiat. Cæteri verò reddantur inepti, atque ita possidentem nulli socio impedire liceat, quò minus libere, suoque arbitratu fruatur; quandoquidem ius in illis adeptus dicitur, quod impediri, nisi per iniuriam, non potest. Ex bonorum igitur diuisione, quasi quodam fonte, ius illud manat, de quo ³⁰ in præsentia sermo est. Eadem enim societas, quæ tradit bona, in bonis etiam ius tradit; quod ex ijs, quæ dicta sunt, apparet, potestatem quamdam esse. Nam nihil est aliud vendendi, aut locandi rem ius habere, aut omnino in re, quam habere potestatem. Quod etiam hinc perspicuum fit: cum enim à republica, vel à Principe facultatem, licentiam, ac potestatem aliquid agendi consequimur, dicimur illud agendi ius consecuti. Idem igitur est ius, ac potestas in bonis; vel circa bona versandi, ut omnia comprehendantur, quæ ab ijs exerceri possunt, qui ius habent; ut venditio, locatio, commodatio, & id genus alia.

Hæc autem cum huiusmodi sint, ut diuisionem admittant, & ad rempublicam, ciuilemque societatem pertineant, quæ sola omnium bonorum, quæ inter socios diuiduntur, domina est, ciuilia possunt appellari. In his verò eadem societas, potestatem singulis socijs moderate concedit, atque etiam sibi ipsi, quasi vni ex socijs, ad publica onera ferenda, nonnullam reseruat, quò vniuersa conseruetur. Itaque dicendum censemus, ius, secundum præsentem significationem, potestatem esse versandi circa bona ciuilia, à societate moderate concessam, pro ipsius conseruatione. Si quis autem diceret, ius aptitudinem esse ad bona possidenda, idem exprimeret. Nam cum aptus quis dicitur, ita intelligitur aptitudinem habere, ut solus publica auctoritate bona retineat, & illum alij socij impedire, præterquam iniuria, nequeant. Quod si quis ea bona impediat, aut eripiat, aut ei quocumque modo eorum possessionem adimat; non tamen in ijs ius amittit, & ea repetendi facultatem, quam iurisconsulti actionem in rem appellant. Eos autem, qui diuersæ sunt societatis, nihil prohibet

in

in publicis, priuatisque bonis potestatem habere, tamquam ad suam societatem pertinentibus, & possidentes iure impedire posse. Quapropter non dicimur habere absolute ius in bonis, nisi soli legitime possideamus: sic enim propria cuiusque dicuntur. Nam in bonis communibus ius habemus vnà cum alijs; illud verò bonum, in quo ego ius, ac potestatem, vel aptitudinem huiusmodi habeo, meum dicitur; in quo tu, tuum; in quo plures, aut omnes, commune: atque eius, quod meum, & proprium est, ego dominus dicor; tu tui; communis verò plures simul socij, vel tota societas; quæ cum salus publica poscit, omnium quoque (vt diximus) quæ ad singulos socios pertinent, domina est: dominium enim ius vocatur, quo bona ipsa nostra sunt. Par igitur ius, quod à M. Tullio vocari initio dicebamus, par aptitudo est, & potestas in bonis, siue paritas aptitudinis, & potestatis, siue eiusdem permissus par; vbi scilicet mihi meum æque possidere permittitur, eoque frui, ac tibi tuo; quamquam etiam pro æqua iuris redditione, & iudicis dictione sumi potest. Plenum autem ius dicitur, plena, & integra in bonis potestas, vel aptitudo: non solum enim diuiduntur bona, sed etiam in ijs potestates, ita vt alius completam, & liberam habeat agendi circa ea, quod sibi commodum videatur, omni alienæ potestatis in ijs obligatione reiecta, alius certis limitibus, & legibus circumscriptam, vt is, qui vel proprietatem rei tantum, vel vsum habet. Melius verò ius, aut optimum, ea in bonis potestas dicitur, quæ meliori, aut optima causa, & (vt iuris peritorum voce vtamur) titulo nititur, quæ ferè controuersiarum de iure origo est. Nam sæpe quis hæreditario iure bona possidet, quæ alius contendit emptionis, aut donationis nomine, aut alio quopiam ad se spectare.

*IUS NON ESSE FACULTATEM ACTIVAM, SED
perfectionem, quoad externa impedimenta. Cap. II.*

X ijs, quæ dicta sunt, patet, ius secundum præsentem significationem, videlicet potestatem, & aptitudinem circa bona, manente communi commodo, esse, siue commodorum paritatem seruata; ita vt cum bona ex æquo distributa, aut commutata fuerint, accipientes dicantur ius, hoc est, potestatem habere circa ea, quæ ipsis iure, hoc est, commodorum, paritate obueniunt. Ius igitur pro paritate sumptum dandi, & accipiendi finis est; at pro potestate, aptitudo ad fruendum ijs, quæ quisque accepit, & sua sunt. Ad hoc igitur illud subordinatum videtur, nam nisi sit ius, quæ potestas est, frustra erit ius, quæ est paritas: nihil enim proderit paria consequi, si postea illa possidere, illisque frui non liceat. Itaque quæ est paritas proprie, non in nobis est, sed in bonis; quæ verò est potestas, videtur aliquo modo principium quoddam, & facultas in nobis possidendi, ac fruendi, atque ita agendi, non autem non paritatis. Nam cum res publica facultatem nobis aliquid agendi concesserit (vt supra etiam dictum est) dicimur ea in re ius habere; cum autem veniam, aut immunitatem, aliaque huiusmodi, non ius habere in ijs dicimur, sed ea ipsa, quæ sunt concessa. Ita vt ius videri alicui possit facultas quædam actiua, non quasi præsidium, aut propugnaculum, ne lædamur, aut impediatur: tunc enim alij potius iure nos lædendi carere dicuntur: Quapropter si lædamur, nos iniuria affici dicimus; si uerò quid agimus, nostro iure vti nos, nec quemquam iniuria afficere. Verumtamen, qui ita affirmaret, ius cum virtute confunderet: nam si sit facultas actiua recte possidendi bona, ijsque fruendi, hominem ad felicitatem perducet; at principium, ac facultas versandi circa bona apposite ad felicitatis adeptionem virtus est. Quamobrem asserere oportet, ius interiorem

rem animi, corporisue potestatem non esse, nec ratione motiui principij; sed eam, qua societatis consensu bona quisque possidere, & ijs frui valet; ita ut, si socius impediatur, sit iniurius. Nam cum societas commodorum inter socios paritatem velit, vult etiam quemlibet sua portione frui, quam qui impedit, non minus societatem ipsam, quam socium, aut ius lædit. Cum enim circa bona ius habere quispiam cernitur; ei ex paritate commodorum deberi existimandum est, siue illa sit secundum rem, & naturam, siue secundum hominum opinionem. Nam ius, ut potestas est, utramque consequitur, præceptaque ad ipsum spectantia à iure, ut est paritas, pendent. Qui igitur bona suo labore parta in solitudine possidet, ijsque fruitur, non dicitur circa ea ius habere, cum ille dumtaxat ius habeat, qui cæteris permittentibus, ac non eripientibus, possidere, & frui potest. Is autem permittit, qui neque ipse frui vult, neque possidentem, quò minus fruatur, impedire. Itaque dicendum videtur, ius, quò potestas, & aptitudo est, a motionem impedimentorum, & quamdam, quoad externa, perfectionem esse. Ut enim, quò est commodorum paritas, societatis perfectio est, vel sociorum simul sumptorum (nam cum illius finis ut commune bonum sit, ubi adest, affecuta est suum finem, quæ eiusdem perfectio est) & quanto magis fieri potest, indigentia satisfacit, non unius tantum, sed omnium; ita quò est potestas, & aptitudo, sociorum perfectio est singillatim sumptorum. Cumque ad bona possidenda aptitudo sit, est etiam ad fruendum; quo fit, ut ad voluptatem quòque sit, a felicitatem, quæ fruitionem ipsam consequitur. Frui enim bonis, & voluptate perfundi, ac beari, ratione, non re, differunt; cum frui ad obiecta referatur, beari verò ad voluptatem, quæ ex ijs capitur. Quod si uniuersim ius sumatur, ut potestas circa omnia obiecta versandi, & diuitia; aptitudo est ad felicitatem eius, qui potestatem illam habet. At ut est commodorum, & potestatis paritas in societate perfecta omnia obiecta, commodaque præbente; communis aptitudo omnium est, eademque cum communi commodo ad felicitatem. Nam cum societas circa quædam est bona, non circa omnia, & recipit impedimenta; tum non simpliciter iure, sed quodam iure potitur. Hanc igitur iuris communem, & uniuersalem naturam dicimus esse; aptitudinem verò hanc ad communem sociorum omnium felicitatem omnes amplecti, ac tueri oportet, cæterisque bonis omnibus antecerre. Quod qui negligit, iniustus est, & ex omni humana societate pellendus.

IVS NON ESSE IDEM CVM LIBERTATE,

Quid inter utrumque intersit. Cap. III.



M autem dicamus ius potestatem esse circa bona versandi, à societate concessam, atque ita in ijs agendi, ut licet; libertas verò (ut etiam iurisperiti definiunt) sit potestas agendi, ut libet, modo lege non impediatur; existimare quis poterit, libertatem idem esse, quod ius: nam id, quod libet, non prohibitum, idem est re cum eo, quod licet. Ex ijs quoque, quæ dicta sunt, patet, ius, cum pro sociorum commo-
modo detur, potestatem agendi esse, non solum ut licet, verum etiam ut libet. Accedit quod pro eodem sumitur, sui iuris, & liberum esse; quodque idem videtur, ius quidpiam agendi, ac libertatem concedere. Verum diligentius intuenti differentia fit manifesta: nam cum quispiam prohibetur, quod veller, aut cogitur, quod noller, efficere, sibi libertatem ademptam clamat. At cum bona eidem eripiuntur, suum sibi ius auferri, seque affici iniuria queritur. Et qui libertate priuatus est, seruus; qui iure, pauper dicitur. Vnde apparet, alterum
rum

rum ab altero valde differre; ac libertatem quidem respicere hominis voluntatem, & naturalia instrumenta agendi, ius verò bona. Sed ex ijs alia difficultas oritur: nam si libertas nihil cum iure commune habet, qui eam adimit, ius non adimit, nec iniuria afficit, neque ille iniuria afficitur, qui ea priuatur. Quod tamen falsum esse apparet, cum eum, qui in seruitutem iniuste redigitur, maxima affici iniuria certum sit. Dicendum est igitur, libertatem esse potestatem agendi, vt dicat voluntas, vel appetitus; siue potestatem vtendi suis membris, vt non impediatur agere quod libet. Quod quamuis à iure diuersum sit; bonum tamen vel maximum est, quippe cuius amissione, actu etiam ius amittatur, quod ad felicitatem (vt diximus) aptitudo est. Itaque libertas, vt bonum quoddam, potest iure, & iniuria eripi. Neque verò hæc agendi potestas libero ipsi tantummodo bonum est, sed & ei, qui in alterius membra, aut voluntatem ius obtinet, & vti in suum commodum potest. Nam qui voluntatem modò alterius possidet, & in eam ius habet, seruum habet, & dominus illius est. Non enim is solum libertatem aufert, qui membra ligat, & vel prohibet, vel cogit agere; sed & is, qui voluntatem, vt nequeat velle, quæ placent, aut nolle, quæ displicent. Quapropter amantes non secus, ac serui, libertatem amissam plorant, quòd amore cogantur non ad suam, sed ad alienam libidinem viuere. Cum igitur libertas, aut voluntas nostra capitur pro agendi principio, qui eam adimit, non dicitur iniuria afficere, sed seruum facere. Cum verò consideratur vt bonum, nihil prohibet, vt in ipsam ius habere dicamur; atque ita qui eam iniuste aufert, cum maximum bonum auferat, maximam etiam iniuriam infert. Nunc vt ad priorem dubitationem reuertamur; cum (vt supra dictum est) tria extrinsecus ad voluptatem percipiendam sint necessaria; primum quidem, ne nos ipsi impediamur; alterum, ne impediatur obiecta; tertium verò, vt hæc sint ad voluptatem afferendam accommodata; ne nos impediamur, libertatis beneficio sit; ne verò obiecta iuris opera, & vt illa vel à natura, vel à domino habetur, ita hoc à societate: nam reliquum à prudentia prouenit. Est igitur tam ius, quàm libertas, quædam impedimentorum amotio, verum hæc à nobis, illud à bonis: nam liberi vi, vel metu iure à nemine retineri possunt, qui verò ius habent, à suorum bonorum fruitione; non modò arceri non debent, sed tutos degere conuenit, ne cæteri eripientes illi fruuantur. Atq. hæc de iure, vt est potestas circa bona versandi, deque proprijs iuris significationibus dicta sufficiant.

AN IUS SIT LEX. CAP. IV.



VID igitur sit ius, & quæduplex, ex superioribus patet: num autem ius sit lex, vel lex sit ius, nunc considerandum videtur. Iurisconsultos enim diximus non leges modò, sed & senatusconsulta, & plebiscita, aliaque huiusmodi iura appellare. Et Poeta dicit *Remo cum fratre Quirinus iura dabat*; nimirum leges. Aristotelis autem sententia legitimum est iustum, & æquum, & ius est æquitas, ergo & lex. Societatem porrò voluntatum vnionem esse iam dictum est. Voluntates verò vnitæ sunt vna voluntas. Voluntas autem societatis, vt ad alios homines extra ipsam, vel alias societates refertur, ab vnus hominis voluntate non differt. At quæ respicit singulos socios, ex quibus societas ipsa componitur, iussum, & mandatum est. Vt enim voluntas hominis ad totum hominem relata nihil aliud est, quàm appetitus quidam, & cognitio, à qua pendet, dicitur sententia; ad singula verò membra, sententia eadem, & voluntas, iussum est, & imperium: nam lingua loquitur, manus apprehendunt, pedes mouentur, quia sic imperatur ab anima: omnino enim partes corporis sua natura voluntati parent. Ita voluntas societatis, vel sociorum omnium simul sumptorum, non quæ voluntas, sed quæ est mandatum,

P

& iussum

& iussum singulis socijs, veluti membrjs, lex est. Cum igitur lex sit voluntas societatis, societas autem non velit nisi commune commodum; qui legi parer, assequitur commune commodum; & cum commune commodum assequi, & ius, idem sit; erit idem agere secundum legem, & apposite ad ius consequendum. Est igitur lex aliquo modo ius, vel præceptum ad ius, & commune commodum conducens: nam sine lege nescirent socij quid sibi pro communi commodo, seu pro iuris assécutione agendum esset. Nihil autem interest, an à tota societate lex feratur, an ab eius parte, vt à Senatu; an etiam ab vno, nempe à Principe; modò ab initio omnium sociorum, populique consensu, communis auctoritas vel in Senatum, vel in Principem translata fuerit; vel postea ab ipso Principe in magistratum, aut delegatos. Semper enim perinde est, quasi in ferenda lege singulorum sociorum consensus conuenerit, & à tota societate promulgata fuerit. Quæ cum se obligat, cunctos obligat, vt vnus homo omnes sui corporis partes. Vnde apparet, magistratum suprema potestate præditum (vt ait M. Tullius) legem viuam esse. Et quod Principi placuit (modò ei legem condere sit in animo) legis habere vigorem. Et omnino legis ratio facilius in Principis voluntate, quàm societatis cernitur; licet re ipsa sint idem. Quinimmo contractus omnes, pacta, conuentiones, atque ipsæ leges, secundum analogiam quamdam sunt eadem, cum in ijs singulis sit voluntas, & promissio, & commune commodum sociorum. A societate igitur, vel ab ijs, qui eius auctoritatem habent, promulgari lex debet; à socijs verò, vt mandatum, & iussum obseruari. Quo fit, vt sanctio sancta dicatur, nam sancientium respectu imperium habet, multam irrogans non seruanti; sociorum autem respectu firmam, & stabilem esse oportet. Qui enim eam non seruat, pœnas in eius rogatione appositæ merito pendit. At societas eam abrogare non solum potest, verum etiam debet, cum utilis esse, vel iusta non videtur. A socijs autem firmiter, sancteque seruandam esse, qualiscumque sit, facile inde patere potest. Nam vt humanum corpus nequaquam bene se haberet, si singula eius membra animæ imperium non sequerentur; ita non bene se haberet ciuitas, si ciues legi non obedirent, quæ ipsius ciuitatis anima est, & voluntas. Cuncti igitur ciues legi obligantur, eique parere coguntur; nec cuiquam alij rei obligari vlla ratione possunt, quæ legi aduersetur; ac si obligentur, irrita, atque inanis est obligatio: non enim promissis stare tenentur. Nam lex singulis socijs mandatum est, vt non quod ipsis placet, vt socij sunt, & partes, ac membra societatis; sed id, quod toti societati videtur, agere velint. Quamobrem parere legi volunt, quæ societatis voluntatem declarat; vel est eius voluntas, & appetitio; ideoque animorum vnio videtur. Nam conueniunt omnes in vna appetitione, vel electione; ita vt cum vetant, abhorre ab eo cuncti debeant, quod vetatur; cum iubent, relictis rebus omnibus, id prosequi, quod imperatur. Itaque societas, videlicet vnio, vel compositum ex cunctis animabus, cunctis imperat sociorum animatis corporibus, vel quibusdam, vt simul, vel seorsum aliquid agant. Non enim semper eadem societatis voluntas, lex omnibus socijs, mandatumque est: nam interdum militibus tantum, interdum artificibus, alijsue partibus imperat, quid communis utilitatis gratia sit agendum; prout vnus anima modò vni imperat digito, modò omnibus, modò alteri brachio, vel ambobus, modò cruribus, totique corpori, vt aliquid agat. Vnde lucidius apparet, quo pacto societas sit vnio: nam ita coniunguntur animi, vt non eligant, nisi simul. Quod cum in omnibus fit, tum societas, quoad vnionem, perfecta est; vt etiam accidit in perfecta amicitia. Quod autem in societate lex præstat, id præstat contractus in commutatione, & pactum in conuentione. Vbi verò non sunt pacta explicita, ad naturæ leges recurrendum est, quæ ad æquitatem perducunt. Quæ igitur ius est paritas voluntatum, & ex voluntatibus vnitis fit vna voluntas, quæ est idem cum

cum lege; non est inconueniens, vt sit etiam idem cum iure. Vt enim temperamentum dicitur de mistione, & de qualitate insurgente ex mistione recta; & sanitas est proportio humorum, & constitutio ex humorum mistione insurgens; & multi motus æquiuoce cum fine dicuntur; vt definitionem superius diximus actum esse definiendi, remque definiendo inuentam; ita ius est paritas voluntatum mistarum, siue se inuicem diligentium, & est voluntas ex ea mistione insurgens, quæ proprie lex appellatur.

QVĪD SIT LEX. CAP. V.

10



VO igitur modo ius sit lex, aut lex sit ius, ex dictis manifestum est; ex quibus patere etiam potest legis definitio: est enim societatis voluntas, commune commodum sociorum determinans; vel officij singulorum, & iuris, seu communis commodi declaratiua. Nam à quocumque rite lex fertur, siue Principe, siue Magistratu ab ipsa societate (vt paulò ante dictum est) auctoritatem habet, & communi illius consensu ferri videtur; alioqui vere lex non esset. Aristoteles autem legem diuersis in locis diuerse definit: nam in Ethicis *Orationem esse dicit, ab aliqua prudentia, menteq. profectam, cogendi vim habentem.* Alibi autem ab eo (vt Athenæus refert) *lex dicitur Determinata oratio esse, communi ciuitatis consensu indicans quomodo agere vnumquodque oporteat.* Ab hac autem definitione non differt, quæ in proemio rhetoricorum ad Alexandrum habetur, vnde fortasse Athenæus accepit. In eodem verò opere paulò post, cum de genere deliberatiuo agit, eam non nihil immutat, cum ait: *Lex est communis ciuitatis consensus, scriptis præcipiens quomodo sit vnumquodque agendum.* Quam repetit, cum de ijs agit, quæ sunt consultanda; ita vt Aristotelis sententia, *Lex sit oratio communi ciuitatis consensu determinata, imperans quid sit agendum; aut Communis ciuitatis consensus, scriptis, quid sit agendum, præcipiens.* Quæ quidem inter se valde differunt: oratio enim ad legis substantiam nihil pertinet, nisi qua pronuncietur, aut scribitur. Sic autem etiam

30 homo orationis esse pars potest; neque in scriptam, aut non scriptam diuidi debet, nisi quatenus apparet, vel non apparet ius. Nam dicitur lex naturæ, licet non pronuncietur, aut scribatur, nisi in cordibus. Est autem voluntas, ac consensus societatis, iuris, & commodorum paritatis, determinatiuus aut socij ad socium, aut sociorum ad rempublicam. Leges igitur omnes aut hanc paritatem spectant, aut corporis publici conseruationem; cum nihil sint aliud, quàm mores quidam, habitusque, & consuetudines ciuitatis, à societate præscriptæ ad eiusdem societatis, sociorumque salutem, & beneficium. Nam cum prohibent cum telo ambulare, priuatæ utilitati consulunt; cum verò iubent vectigalia pendi, bellumue geri, communem reipublicæ utilitatem respiciunt, quæ postea redundat in singulos: Itaque aliquando mediate, aliquando immediate leges profunt: quæ enim immediate priuatis, mediate profunt reipublicæ; quæ mediate priuatis, immediate reipublicæ conferunt. Cum autem sint mores, & habitus ciuitatis, non videntur nisi magna ex causa mutandæ: difficile est enim, ac periculosum, etiam in singulis habitus immutare, præsertim cum sint tolerabiles. Nam præter cætera, eorum mutatione veteres abolentur, noui verò non tam citò contrahuntur, quàm necessitas publica postulat. Quæritur autem de legibus, an sint vtilis reipublicæ, vt voluntates; an iustæ, vt commoda pro meritis, & laboribus, aut pœnæ pro delictis distribuantur; & possunt omnino esse malæ, aut iniustæ, & inutiles, & etiam ex parte, cum non sunt communes, aut sunt,

50 cum esse non debent. Omnes autem leges, contractus, pactiones, aliaque huiusmodi, quæ ad ius referuntur, paritatem quamdam commodorum declarare volunt; & quoniam commoda, & labores aliquando mutantur, hinc fit, vt præ-

Ethic. li. 10
c. vltimo.
Dipnos. li.
11. circa fin.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or introductory paragraph.

Section 1. General Provisions

Article 1. This Act shall be known as the [illegible] Act. It shall come into force on the [illegible] day of [illegible] 19[illegible].

Section 1. [illegible] shall have effect as if it contained the following provisions, namely:—

[illegible] shall be deemed to have been done on the [illegible] day of [illegible] 19[illegible].

telligens, vetat extrahi, pretium statuit in singulos modios, aliaque huiusmodi, vt communi totius societatis, ac populi commodo consulat. Has autem societatis, aut legislatoris voluntates quilibet socius, vt societatis membrum, exequitur. Et hæc quidem leges dicuntur, non minus vetantes noxia, quàm iubentes vtilia. Non enim (vt Aristoteles censet) quæ lex non iubet, vetat. Nam quæcumque vel societati, vel socijs commoda sunt, ea si sponte, & libenter fiunt, cū iussu minime indigeant, non iubentur; nō tamen idcirco censentur vetita, sed permissa; siquidem quæ noxia sunt, expresse vetantur. Ex ijs apparet, vt in quolibet homine, ita etiam in societate vniuersa cognitionem, & appetitionem, itemque reiectionem esse, & in ipsis membris, nempè in singulis socijs actionem, ac prosecutionem, aut fugam, quæ mandatum, legemque sequuntur. Quamobrem in ipsarum legum initio à legumlatoribus hæc fere omnia apponi videmus. Nam se dicunt animaduertere id fieri, quod in graue populi detrimentum cedit; & publicæ commoditati consulere cupientes, omnibus, singulisque mandare, vt in posterum ab eo abstineant, & illud efficiant, quod vtilius cognoscens proponunt. Quæ cum explicantur, condendæ legis apparet causa, qua facilius interpretatio redditur. Cum verò non explicantur, iurisconsulti diligenter inquirunt, quid legislatorem ad eam legem ferendam impulerit. Ex his etiam manifestum fit, legem singulis socijs appetitionem non esse, sed mandatum, & iussum; vt nec humani corporis membris, quod iubetur ab anima, voluntas est, sed imperium.

Eth. lib 5.
cap. 11.

LEGEM VTILEM, ET INVTILEM, IUSTAM,
& iniustam esse posse. Cap. VII.

LEX igitur, vt societatis voluntas, ad cunctos relata, quemadmodum etiam singulorum hominum appetitio, velut vtilis, & inutilis consideratur; ad singulos autem, vt iusta, siue iniusta. Vtilis quidem, aut inutilis, ratione societatis, & boni publici, quod aliquando à lege prouenit, aliquando verò non prouenit. Iusta autem, aut iniusta, quatenus eorum ius, vel iniuriam continet, qui ei parere coguntur. Iusta etiam, vel iniusta dicitur, quatenus sancita est ab ijs, qui secundum ritum, & consuetudinem ciuitatis, condendæ legis auctoritatem habent; aut ea carent. Cum autem ius sociorum, vel auctoritatem habentium arbitrio mutetur; minime mirum est, si leges, quibus rempublicam gerentium voluntas continetur, iura immutent, vel noua pariant; cum lex (vt diximus) sit iuris determinatio, aut socij ad socium, aut sociorum ad remp. Est igitur iustum idem, quod legitimum; legitimum autem à lege definitum est, à qua ius oritur, vel eademmet ipsum est ius. Dubitandum autem videtur, quonam modo lex, cum aut ius contineat, aut ius ipsum sit, iniusta appellari possit: etenim modò rite fiat, semper illi ius inest, & societatis ratione necessariò est iusta, cum ad ius, vt ad finem, tendat. Verumtamen vt ius paritas est commodorum, & secundum rem, & secundum voluntatem; paritas autem secundum voluntatem aliquando non est secundum rem, quo fit, vt ius secundum voluntatem à iure secundum rem sit diuersum; mirum videri non debet, quod aliqua lex dicatur iniusta. Nam vt summum ius dicitur summa iniuria; ita lex aliquando est iniusta, quamuis sit ius. Dicuntur enim ratione diuersorum: nam quæ est voluntatum paritas secundum rem, est vere ius, & ad paritatem commodorum tendit; quæ est ad placitum, & secundum hominum opinionem, aliquando non bene se habet. Socij autem in eadem voluntate non conuenirent, nisi ibi aut esset commune commodum, aut videretur. Quamobrè quælibet lex aut est iusta, aut videtur.

Verum non dicitur iusta, quæ est ius; sed vt quid ad ipsum ius conducens, aut deseruiens, quod vere est commodorum paritas; quamquam aliquando veræ paritatis ratione ipsum quoque ius iustum dicitur, vt etiam T. Liuius inquit, *Hædrubalem iusto iure repetere ab Hannibale, quod dederat patri.*

DE IUSTITIA. CAP. VIII.



Eth. l. 5. c. 1

VM autem in superioribus de iure dictum sit, commodum videtur esse, vt nunc de iustitia, cuius habitus finis est ius, de qua iniustitia dicamus, nonnulla ex ijs examinantes, quæ ab Aristotele de ipsa dicuntur: iustitiam igitur, quæ ab eo communiter sumitur, proprie sumi debere iam dictum est; cum omne legitimum sit iustum proprie nuncupatum, nec pertineat nisi ad iustitiam, quam ipse vocat particularem; quæ quidem non tota virtus est, sed habitus quidam, & perfectio hominis in societate degentis, quoad iuris attingit conseruationem. Id autem primum considerandum est, quod ex varijs iuris definitionibus diuersæ iustitiæ definitiones emergunt. Nam quatenus ius est paritas, iustitia est habitus eam assequendi, & apposite ad huiusmodi paritatem agendi. Quæ verò ius est aptitudo ad bona possidenda, vel potestas, vel permissio, est habitus agendi secundum huiusmodi aptitudinem, ac permissionem. Quæ autem ius humanarum operationum rectitudo dicitur, iustitia est habitus bene degendi, & rectè secundum iuris semitam ad felicitatem tendendi. Cumque sit paritas, atque etiam aptitudo; erit quoque habitus agendi secundum aptitudinem traditam, pro assecutione paritatis. Vt autem societatem desideramus, & commune commodum (vt dictum est) nostri commodi causa; ita & iustitiam. Iusti enim esse volumus, & nemini nocere, ne alij vicissim nobis noceant; sed tradendo illis quod suum est, id, quod nostrum est, ab ijs assequamur. Vnde apparet, iustitiam ad genus honestorum redigi non posse: hoc enim modo sumpta annumerari virtutibus illis nequit, quibus præditi non solum suum cuique tribuunt, sed aliquid proprij. Qui verò ius reddit, & præcauet, ne cui inferatur iniuria; & malos poena afficit, vt boni commodius degere possint, atque id gratis facit; is est beneficus. Huiusmodi autem iustitia non est habitus eiusdem substantiæ, & naturæ cum superiore; verum est beneficentiæ pars, & celebrem inter ipsas virtutes locum habet. Nam qui eam exercet, ius inter alios constituit, atque conseruat, nulla omnino accepta mercede, sed honestatis causa: & ipsius societas cum ijs, inter quos iudicat, non iuridica est, sed benefica. Iustitia autem particularis est habitus aspirandi ad beatitudinem, proprijs viribus, & industria, sine vlllo aliorum incommodo. Quo quidem habitu non tam ratio, & humanitas, quam reliquæ hominis potestates perficiuntur. Quamobrem, qui humanitatem non respiciunt, eam miris laudibus in cælum ferunt: si enim iusti conferantur iniustis, facile iustitiæ præstantia cognoscetur. At si comparentur fortibus, aut liberalibus; omnium iudicio cedere debent. Quidam tamen iustitiæ fauentes benignitatem, & liberalitatem ei subijciunt; at nos cum pluribus grauissimis auctoribus, & communi vsu loquendi eas separare cogimur. Cum enim & nomine, & re ipsa seiunctæ sint; nulla est causa, cur inter se penitus non distinguantur. Ipsam autem Aristoteles inter duos habitus vitiosos, veluti cæteras virtutes, locare non potest, cum illius naturæ repugnet. Qui enim plura accipit, iniustus est, si electione id agit. At qui plura alijs tradit; aut benignus est (vt M. Tullius inquit) aut liberalis. Non igitur mediocritas inter duo vitia extrema, sed inter morales virtutes, & vitia (vt superius diximus) media esse apparet. Nam quocumque modo alteri bona eripias, eique obsis, vitiosus es; si verò neque sua eripis, neque tua tradis, iustus diceris. Cum igitur omnes

omnes virtutes ad illorum commodum sint, qui merentur; vitia verò aut ad damnum eorumdem, aut ad eorum bonum, qui non merentur; fit, vt iustitia neque bonum, neque malum censei possit, sed inter vtrumque media: bonum tamen videtur, & proculdubio maximum est, quoniam societas ea conseruatur. Cumque omnes diuersis cupiditatibus rapiantur ad plura proprii commodi gratia capienda; magnum omnino existimatur, nolle sibi plura bona arrogare, quàm alteri; sed paritatem desiderare, æquumque, ac bonum. Quibus nominibus ipsa etiam virtutis appellatione dignissima fit; licet non honestatis gratia operetur, sed iuris; & fit à reliquis virtutibus genere diuersa. Qui igitur iura naturæ, & societatis seruant, absolute, & non secundum quid, hoc est, non iura huius, vel illius societatis, sed simpliciter omnium; iustitia absolute sunt præditi. At qui suæ tantum ciuitatis iura obseruant, iusti sunt secundum quid; & in ea tantum societate, vt qui iussi pro patria pugnant. Nam qui in acie locum deserunt, eos non timidos (vt Aristoteles) dicendos, sed iniustos censemus, cum iura non seruent, neque dent patriæ, quod suum est. Ciuium enim arma, & vires aliquo modo patriæ sunt, qua imperante, ijs vti debent. Neque verò qui desunt, puniuntur vt timidi, sed vt iniusti: nam poenæ non proponuntur ijs, qui metu in priuatis certaminibus arma proijciunt, licet sint timidi. Miles quoque mercenarius, quamuis nauiter pugnet, non tam fortis, quàm iustus dicendus est: suam enim operam locauit cum vitæ periculo, idcirco pugnat sponte. Longe minus fortis est, qui iussus à lege pugnat: non enim sponte, sed inuitus conserit manum. Neuter autem eorum honestatis gratia pugnat; sed alter stipendio conductus, alter verò imperio coactus. Apparet igitur eos mulctari, quòd patriæ, vel duci suum non tribuerint; & quod proprie iniustus non in vniuerso est iure, sed in commutatio: nam etiam iurisconsulti, suum cuique tribuere, iuris præceptis annumerant. Iustitia igitur non communis est, sed particularis: cumque Aristoteli videatur perfecta virtus, tantum abest, vt virtutum præclarissima sit, vt neque etiam sit virtus, ex earum scilicet numero, quæ honestatis causa agunt. Nam iustitia bonum publicum, ac priuatum sine spontanea iusti læsione, & incommodo quæritur. At virtute alienum quæritur commodum, cum aliqua læsione, & incommodo virtute præditi sponte accepto. Quod vt longe difficilius, atque vtilius; ita nobilius est, & præclarium. Non igitur continet in se iustitia virtutes omnes, nisi quatenus ex eius obseruatione cunctæ exerceri possunt, cum sit veluti fundamentum, & basis, sine qua subsistere virtutes nequeunt, quas qui habet, necessariò iustitiam habet; ita ut reuera contineatur potius, quàm contineat. Solam verò iustitiam ex omnibus virtutibus alienum bonum dicere, cum sit ad alium, admiratione dignum videtur: qui enim hoc dicit, ipsarum moralium virtutum parum inspexisse naturam videtur, quarum nulla non est ad alium, nullaque non pro alieno commodo; in quo perquirendo ipsam iustitiam cunctæ exsuperant, præcipue autem liberalitas, quæ maxime omnium conspicua est; quam asserere perfectionem esse habentis in se, non ad alium, est eius essentiam, & naturam peruertere. Et tolerabilius ij, qui eam sub iustitia locant: cum enim quatuor virtutibus tantum cunctas comprehendant, eam subdere iustitiæ coguntur. Iustitia igitur cum suum tantummodo cuique tradat, in moralium virtutum consortium, quæ honestatis gratia, & alieni commodi causa exercentur, nequaquam admittenda videtur; cum illæ præter suum ius, aliquid proprii iuris, & boni socijs tribuant. Sed quoniam sæpe affectibus impedimur, ne bona sua tribuere cæteris velimus, iustaque agere; idcirco fit, vt iustitia videatur habitus cohibendi affectus, ita vt cuique sua tradantur. Principia enim irrationalia iustum non agnoscentia omnia sibi sumerent bona, donec explerentur; ijs autem ita moderatis, vt iustis acquiescant, facilius est partem rationalem impellere, vt non sua modò, sed propria

pria etiam ijs tradat, quos dignos esse, & quibus se commodè tradere posse cognouerit. Itaque iustitia habitus coercendi appetitiones videtur, ita vt nemini noceamus, & societatem, quoad nos attinet, seruemus incolumem; & in distribuendo, commutandoque bona, paritate gaudeamus; & æquo animo feramus, nobis alios æquari, vel præferri. Quamobrem per cunctas societates, & per cuncta bona vagatur, prout iniustitia in omnibus vitijs misceri potest. Iracundia enim, qua compulsi reliquos lædimus, vno modo partis irascibilis vitium est, quod plus, quàm oporteat, irascamur, aut quibus non oporteat; alio autem est iniustitia, quod socijs noceamus, & quibus nocere nullo modo licet. Aristoteles autem iniustum pluris esse auidum dicit, non tamen quoad omnia 10 (si iustitia proprie capiatur) sed quoad ea, in quibus prospera fortuna, & aduersa consistit. Quibus verbis ea nequaquam assignat, circa quæ iniustitia versatur, cum proprie circa bona omnia, obiectaque versetur, non tamen quæ sunt huiusmodi. Nam circa mulieres fortasse erit intemperantia, circa pecunias auaritia, & ita in cæteris. Iniustitia autem tunc erit, cum bona illa non in se, & quæ talia considerantur, sed quæ ad societatem, aut ad alios pertinent. Qui enim pecuniæ nimis est auidus, & assidue plures cupit, non tamen alienas, aut per iniuriam; iniustus dici minime potest, sed auari nomen non effugit. Pluris igitur auidus, vt sit iniustus, intelligi absolute non debet; nempe quòd plura appetat, quàm par sit, aliarum potestatum, aut obiectorum ratione; sed quòd 20 plura appetat, quàm ei societatis ratione conueniant; vel, vt propiora dicamus, plura appetat, quàm suo labore, & industria sit affecutus; aut etiam plura accipere velit in commutatione, quàm tradere. Subijciendæ igitur appetitiones rationi, & iuri, & retundendæ sunt, ita vt sua commoda nimis non diligant, nec obiecta aliena sequantur; dandaque enixe opera, oprandumque est, vt ea tantum diligamus, quæ nostra sunt; quod quidem si naturæ beneficio consecuti essemus, nihil præterea agere oporteret, quàm quid iustum, quid iniustum esset, perpendere. Nam vt amara, & malevolentia fugimus, doloremque afferentia, & tætra detestamur; ita fugeremus, ac detestaremur iniusta. At nunc non ita se res habet: eodè enim modo erga aliena affecti, quo erga nostra, sumus. 30 Quin etiam, quoniam in vitata natura nitimur, aliena bona, quippe quæ nobis prohibeantur, magis nos mouent. Quo fit, vt huiusmodi appetitionum moderatio, ac iustitia sit necessaria, vt homo in societate iuridica suum officium continenter sequatur. Qui autem suas appetitiones retundere potest, easque iuri æquare, ita vt nihil agat, aut agere cupiat, quod iustum, æquumque non sit; is est ad felicitatem aptissimus. Hoc igitur præstat iustitia, cuius nobilitas ex eo apparet, quod deducit ad ius; vt medicinæ, quod ad bonam valetudinem. Et vt sanitas in medici mente est medicina; ita ius in sociorum mente iustitia, quæ inter socios bona, & labores æque distribuit. Quid autem sit, & quale iusti officium, & quid demum cuique sit agendum, facile à nobis intelligi poterit, si 40 ea sciuerimus, ad quæ natura obligamur, aut quæ polliciti sumus; quid boni socij à nobis expectent; quam fidem habeant; & quomodo erga nostra commoda sint affecti. Et omnino bonus vir, ac prudens vno intuitu, & ex vnus cognitione cognoscit omnia; nempe ex iure obligationem, leges, pacta, quæ sit expectatio socij, quale officium, quidque ipse expectare debeat, quomodo satisfacere possit, & curare, vt sibi satisfiat. Et hæc de iustitia dicta sufficient, nunc de iuridica naturali societate dicamus.

Faint, illegible text covering the majority of the page, appearing to be a list or series of entries.

natura non solum obligatos esse, ea omnibus tradere, quæ tradita non absumuntur, nec nobis defunt; ut si lumen de lumine accendas, viam commonstres, aquam ex fonte haurire permittas, atque his similia, quæ leuissima sunt; verum etiam si cui tuo non magno labore plurimum prodesse possis, non videtur denegandum auxilium. Nam rectè statuunt iurisconsulti, re, quod tibi non nocet, & alteri prodest, tradere teneri. Omnino autem seruanda in his proportio est, ut secundum iuridicam societatem nos magis, quàm alios diligamus, vel potius alios diligere nostra causa debemus, existimantes omnes homines calamitatibus, & infortunijs expositos esse, rerumque omnium esse vicissitudinem. Qui igitur alijs valde prodesse sine multo incommodo possunt, non videntur abstinere debere; præterea si quis commoda acciperet, & non retribueret, videretur suas facultates frustra obtinere, suamque perfectionem non per se ipsum, sed per alios adipisci velle. At omnes felicitatem cupimus potius nostris, quàm alienis viribus, & industria consequi. Nam ut arma gerentes ridiculi sint, si alieno auxilio, & non suis viribus defendi velint, modò commode possint; ita nos facultates, atque instrumenta habentes, quibus bona comparare, aut permutare, aut simul agere nobis licet, inepti, ignauique haberemur, si cuncta ab alijs expectare vellemus, & ad aliorum commodum nihil agere.

Ad hæc si quis se ex commodo accepto obligatum non sentit, nisi promissa præcesserint, percunctandus videtur, cur post promissa obligatum se sentiat, & velit paria reddere? Nam quis promissa suadet esse seruanda? nisi enim naturalis propensio adsit, promissa numquam obligabunt, ut sua tradere sponte velit; itaque promissa de seruandis promissis in infinitum sunt abitura. Possunt igitur pacta, & conuentiones quantitatē definire, tempus, ac modum dandi, & accipiendi; sed statuere ius in vniuersum non possunt. Opus est enim, ut principium dandi paria acceptis, vel accipiendis, aut accipiendi paria traditis, vel tradendis sit ingenitum. Huiusmodi autem paritas quia plerumque ignota est, contractibus, & conuentionibus declaratur, pactisque, ac legibus; ita tamen, ut nisi principia naturalis societatis seruentur, omnia corruant; tum præsertim, cum homines cogi nequeunt. Naturalis igitur societatis causa tantumdem alijs prodesse volumus, quantum nobis ipsi profuerunt. Sic enim neminem lædimus, & nostris facultatibus assequi felicitatem videmur. Nam licet immediate bonis à nobis partis non potiamur; tamen cum paria tradiderimus, non alieno labore, sed nostro videmur commoditatem, ac voluptatem adepti. Quin licet nobis cuncta commoda comparare possemus, alij verò non possent; alieni commodi gratia permutanda nobis opera essent, nè illi desererentur. Iam igitur apparet, cum, qui paria reddit, aliquo modo prodesse alijs, sibi que felicitatem suis facultatibus parere, ita ut eas frustra obtinuisse argui non possit. Natura igitur socij sumus, & ad tradenda, capiendaque paria comparati: quo fit, ut qui alterius indigentiam cognoscit, sæpe non rogatus ad illius commodum agat, sperans, licet promissa nulla præcesserint, paria tamen se percepturum. Quique hæc sperat, aut poscit, iusta sperare, & poscere dicitur. Et quamuis nonnulli, ne paria reddere cogantur, id se promississe negent; nemo tamen fateri audeat, sibi commodo fuisse, & paria reddere noluisse. Verum potius cauillantur afferentes, se vel non indiguisse, vel reiecisse; & omnino, ut ab obligatione liberentur, se commoda accepisse negant. Qui verò se accepisse fatentur, necessariò etiam coguntur naturæ lege, seu naturalis societatis conseruandæ causa fateri, se debere, & cupere gratiam referre. Quod autem non referant, ideo fit, quòd nimium in proprijs commodis occupantur, perinde atque ij, qui cum ex contractu debeant, non tamen soluunt. Qui quidem, si nolunt, iniusti sunt; si verò nequeunt, ad societatem sunt inepti.

NATVRALEM

NATURALEM SOCIETATEM VOLUNTARIARVM
veluti fundamentum esse. Cap. X.



VOMODO naturalis societas, & ius secundum naturam reperiatur, ex dictis patet, atque etiam quod qui naturalis iustitiæ pro naturalis societatis conseruatione sensum non habent, inepti sunt per se, nisi legibus, & magistratibus cogantur ad voluntarias conseruandas societates, iuraque, & leges, & contractus, cæteraque huiusmodi. Prædicta enim omnia nihil aliud sunt, quàm iuris declaratiua, & mediantibus pactis contractibus, in cognitionem deuenimus communis indigentiae, & paritatis, & quasi mensura quadam verum humanorum bonorum, atque operationum pretium cognoscitur, & simul indigentia, & abundantia singulorum, & dandi, atque accipiendi tempus; ita vt omnia super naturali societate, quasi solido fundamento nitantur. Mirum autem videri non debet, homines, licet natura socij sint, sæpissime tamen sua cæteris negare bona. Nam cum tradere velint, vt accipiant, plura concurrere necesse est, vt actiones sequantur. Cum enim aut aliena opera non indigemus, aut alios non posse, vel nolle tradere existimamus, aut non quot, vel qualia cupimus, non sequuntur operationes. Nam vt multis de causis ab vltionibus abstinemus, quamuis naturaliter ad eas inuitemur; ita licet natura socij simus, & dandi, & accipiendi cupidi; nos tamen multa impediunt, non solum ne demus nostrà, verum etiam ne accipiamus aliena. Rudis igitur dici societas, & informis potest, quæ secundum naturam tantum, & nullo alio vinculo astricta est. Huiusmodi est tamen, vt eam omnes agnoscant, & super ipsam voluntarias extruant societates. Nam cognoscere ex ea possumus, quid alijs debeamus, quidque alijs nobis, si præstentur officia; quando tamen, quæ, & à quibus tradenda, & accipienda bona sint, ignoramus. Quamobrem aliæ societates sunt necessariae, quæ rudem, & incultam naturalem societatem arte perficiant, vt in alijs accidit, quæ sua natura imperfecta, ratione, atque artificio promouentur in melius. Nam manuum, pedumque naturaliter motum habemus; at iucunde saltare, & psallere non sine labore, & exercitatione addiscimus. Cum igitur naturalis societas confusa cernatur, ita vt nonnumquam prodesse, nonnumquam etiam obesse possit; pactis, conuentionibus, & omnino rationis opera ita perficitur, vt cunctis socijs sempervtilis, commodaque reddatur. In rudi enim illa societate fieri interdum posset, vt vtriusque socij opera neutri prodesse, aut etiam nocerent vtrique, vel alteri, & alteri solum essent vtilia. At in societate opus est, vt non vnus tantum, sed omnium, & omnino commune commodum comparetur. Natura igitur ita affecti esse debemus, vt acceptis paria tradere, & traditis accipere velimus, at ob inordinatum proprij commodi appetitum, & obiectorum allicientium vires, quàm sæpissime, & ferè in cunctis accidit, vt plura accipere, quàm tradiderint, velint; aut pauciora tradere, quàm acceperint. Quapropter affectuum cohibitione opus est; & ad seditiones, quæ oriri plurimæ solent, declinandas, congressus, pacta, contractus, aliaque huiusmodi fiunt, quibus prædicta incommoda, litesque vitantur, & quilibet cognoscit, quid sibi tradendum, quidque expectandum sit. Qui verò probe sunt affecti, sine legibus, pactis, aut contractibus ius, ac iustitiam natura diligunt; tum quia ipsis expedit, vt boni habeantur, tum quia nocere alijs nolunt, quod certe fieret, si eorum bonis fruerentur, nec paria redderent. Præterea suis vti facultatibus, non alienis volunt. Atque his naturæ legibus cohibentur, ne sibi aliorum bona nisi retribuentes assumant.

BONOS

BONOS IN VOLUNTARIIS SOCIETATIBVS
contrahendis naturæ ius inspicere. Cap. XI.



Itaque in societatum constitutione, in pactis, & conuentionibus, boni omnes semper naturæ ius, seu simpliciter, & pure sumptum, præ oculis habent, videlicet paritatem commodorum, & incommodorum inter socios, seu pro communi commodo agentes, secundum rem. Quique suum commodum tantum respiciunt, & reliquos eludere, ac fallere tentant; callidi, & vafri habentur, bonorumque virorum nomine redduntur indigni. Hi verò neque fratres, neque naturalium bonorum cohæredes habendi, sed ab omnibus fugiendi sunt, bonisque omnibus indigni existimandi. Iam igitur apparet, quid sit ius, non naturæ, vt aiunt iurisperiti, sed natura. Solet enim dubitari, num omne ius sit ad placitum, & secundum hominum voluntatem. Nos ergo dicimus, ius secundum naturam reperiri, non secus ac paritatem, & æqualitatem numerorum, ac magnitudinum. Vt enim datur æquale secundum naturam, & secundum artificum vsum (vt etiam superius dictum est) ita & iustum secundum naturam, & in se, & secundum hominum voluntates, & ad placitum. Quod quidem in civili vita sufficit, modò omnes assentiantur sponte, & non coacti, aut aliqua indigentia compulsi valde vrgenti; sic enim multa sunt iusta aliquando, & inter aliquos, quæ reuera non sunt. Ex his patet, homines, qui cunctas suas actiones iure moderantur, ita esse affectos oportere, vt non aliter, quàm suo labore viuere velint. Quamobrem iuste viuere velle idem omnino est, ac suarum facultatum, & instrumentorum beneficio, suoque labore velle viuere. Quæ igitur optamus, ijs penitus paria erunt, quæ pro alijs agimus. Itaque animaduertendum est supponentibus ius naturæ, seu ius absolute prolatum, paritatem esse commodorum secundum rem, quod aduersus huiusmodi ius agunt, sociumque iniuria afficiunt, qui fingunt, mentiantur, & quocumque modo illum decipiunt, atque eludunt. Nam qui huiusmodi ius præ oculis habet, sua extollere minime debet, aut aliena deprimere, vt vulgò sit in congressibus; & in contractibus; & qui contra ipsam agere potest, velle non debet: qui enim hoc non diligit, iniquus est. Ad hoc autem ius, & simul ad honestatem omnis ferè refertur humanitas; qua non solum ad sua cuique tradenda impellimur, verùm etiam ad tradenda nostra; & non solum ab alienis bonis, verùm etiam ab eorum cupiditate abstinere debemus. Nam omnino voluntas, & cogitatio iniuria quemquam lacessendi abesse debet. Quæque ab alijs nobis inferuntur iniuriæ, humanitatis gratia sunt condonandæ, vt suo loco dicturi sumus. Super hoc autem principio leges scriptæ, & omnes hominum argumentationes nituntur: semper enim ab omnibus labores expenduntur, ac præmia. Quæ quamuis diuerso modo diuersis in locis æstimentur; tamen vbique gentium ad hæc respicitur. Patet igitur, paritatem commodorum secundum rem, & non secundum hominum voluntatem, esse simpliciter ius; & qui hoc non diligunt, suas affectiones, & appetitiones moderatas non habent. Cuiusmodi sunt, qui præsentis conditione affliguntur, quique incommoda ægre ferunt, multaque appetunt, & parum laborare cupiunt. Iusti enim secundum naturam paria suis laboribus bona desiderant, & ijs bonis, quæ assequuntur, suis satisfaciunt appetitionibus. At qui inexplebiles sunt, & nimium se ab obiectis trahi permittunt; neque an liceat, sed an delectet considerant, ius diligere minime possunt. Danda igitur opera est, vt nihil nobis iucundum, nihil omnino gratum sit, quod non sit iustum.

Sic

Sic enim ad honestatis opera facilius, ac libentius ascendemus. Qui verò secundum ius naturæ viuere nequeunt, saltem secundum suæ ciuitatis leges viuunt; & in re dubia aliquid potius de suo iure remittant, quàm iniuria quemquam lacestant: sic enim faciliè secundum naturam viuendi principia sequentur, & non actiones modò, sed appetitiones etiam cohibebunt. Omnis autem calidorum hominum ratio in eo consistit, vt ius diligere videantur; non tamen ipsum, sed propria commoda diligunt. Cumque aliquid iniuste clam agendi offertur occasio, non sociorum incommodo, non iure, aut legibus, non fide, aut promissis, non denique humanitate, aut religione retineri possunt, quin aliena inuadant bona, vt suam conditionem reddant meliorem, aut alieno damno, & dolore, vetitis voluptatibus perfruantur. Verumtamen ij alijs quidem nocent, sibi autem neutiquam profunt: nam licet facinus ita occultum sit, vt à Magistratu non sit timendum; raro tamen ita esse occultum potest, quin aliquis sciat, aut suspicetur. Vnde ignominie metu, conscientie morsu, & diuini numinis, cui omnia patent, indignationis terrore perpetuò cruciantur. Hæc enim sunt mala mentis gaudia, quæ semper sequuntur vltices illæ curæ, quas Poëta in faucibus orci sua posuisse cubilia dicit, vt delictorum exprimat grauitatem. Apti autem in societate naturali sunt, quo ad se, qui egent, quo ad alios verò, qui abundant, & cupiunt alijs prodesse, vt sibi alij prosint; eosque putant bonos viros esse, & scire, posse, ac velle sua bona tradere, & omnino paria referre, & de ipsis vicissim bene sentire, ac putare eos similiter scire, posse, & velle alijs prodesse, ac paria reddere. Societas autem voluntaria quæritur, vt cognoscantur requisita pro communi, & proprio cuiusque commodo, cum nihil aliud sit (vt diximus) quàm naturalis societatis elaboratio. Qui enim non diligit ius secundum naturam, in societate inuenda plura finget, sua extollet, aliena deprimet; & omnino operam dabit, vt meliori contrahat conditione. At qui ius diligit secundum rem, nihil huiusmodi meditabitur, aut molietur; sed ei semper ante oculos obuertabitur æquitas. Boni igitur socij in naturali societate apti sunt aliquo modo ad societates omnes voluntarias. Nam affectus moderatos habent, nec se sinunt ad illicitas voluptates compelli, sed suis instrumentis, & facultatibus ad commoda comparanda vti cupiunt. Ab ijs autem, quæ cum aliorum capiuntur iniuria, se abstinuisse gaudent, & dolent, ac conscientia anguntur, si quando alicui iniuriam rei alicuius cupiditate intulerint, & ad bona restituenda sunt parati. Denique ij neque verbis, neque cogitatione, aut signis obesse cuiquam volunt: neque enim solliciti sunt, vt ditiores, aut doctiores habeantur, neque vt vllâ alia ratione reliquis imponant; non pollicentur plura, quàm præstare possint; sua officia haud extollunt, neque carpunt, aut extenuant aliena, sed in suis negotijs faciles, apertique sunt; & si quis in agendo cum ipsis decipitur, monent, etiam si error ille ipsis utilis foret. Promissa autem, ac ius, & honorem, ac fidem constantissime seruant, ita vt nemo vquam de ipsis querendi iustam causam sit habiturus.

DE IVRE, VT EST NOMEN AD

vnum. Cap. XII.



IVS igitur prima, ac præcipua significatione bonorum est, & commodorum inter socios paritas; qua quidem voce ea proprie, ac vere bonorum paritas intelligitur, quæ est secundum rem. Quoniam verò ea diuersis de causis non ita faciliè inueniri, ac percipi potest; idcirco eius loco paritas secundum voluntatem inter se commutantium, & contrahentium capitur. Vt enim verè salubria sunt, quæ

Q sanos

sanos homines reddunt; quæ autem à medicis huiusmodi existimantur, aliquando quidem sunt, aliquando verò nequaquam; ita etiam iusta sunt vere paria, quæ autem contrahentibus videntur, aliquando sunt, aliquando non sunt huiusmodi. Hæc autem quamquam exacta paritas non est, uti quæ à civili Philosopho consideratur; tamen dum ea contrahentes sine dolo, ac fallacia utuntur, nullum in societate incommodum sequitur. Itaque inter ipsas iuris significationes hæc prima, præcipuaque habetur; secundo autem loco ius eorum omnium æqualitas est, quæ ad eam quomodolibet conferunt, aut referuntur. Nam quemadmodum ens primò de substantiâ prædicatur, deinde ipsius respectu de accidentibus; ita ius primò de bonorum, commodorumque paritate dicitur, deinde ipsius respectu de paritate amoris, fidei, honoris, cæterorumque omnium, quæ aliquo modo ad bonorum conferunt æqualitatem. Hinc enim videmus socios se inuicem incusare, quòd non æque redant, atque amantur, Vel quòd parem fidem non habeant, atque illis habetur; & queri, quod non æquum faciant. De verborum quoque, ac signorum inæqualitate queruntur, seque affici iniuria putant, si verba, vel signa exteriora, aliaue huiusmodi suis verbis, & signis non æque respondent. Ut si quis salutantem non pariter resalutet, aut caput aperiienti non vicissim certa ratione, modoque aperiat. Sunt enim hæc voluntatum indicia, ex quibus facillè conijci potest, se non tanti ab altero fieri, quanti illum facit, quod prorsus haud æquum ducit. Nam neque paria commoda se ab eo expectare posse intelligit ijs, quæ in eum contulit, aut oblata occasione contulisset. Omnino autem ut in medicina salubria omnia referuntur ad sanitatem, & æqualitatem humorum, & partium; ita in iure omnia iusta ad æqualitatem utilitatis, & commoditatis. Nam paritas amoris, signorum, & operationum, nullam aliam ob causam, quàm bonorum, & commodorum expetitur. Alia autem significatione ius est facultas, seu aptitudo ad possidenda bona, siue ad fruendum ipsis, & hoc immediate, mediate verò est aptitudo ad omnia circa ipsa agenda, quæ pertinent ad fruitionem. Et ut paritates omnes tamquam ad caput, ad paritatem bonorum, seu commodorum; ita aptitudines omnes ad fruendi aptitudinem rediguntur. Nihil autem refert, seu ius paritas sit commodorum, seu aptitudinis ad fruendum ipsis: nam habere bona nihil aliud est, quàm hanc aptitudinem habere. Ut igitur est paritas fidei, honoris, amoris, signorumque exteriorum; ita est etiam par aptitudo ad utendum aliena voluntate, & opinione; nunc de iniuria dicamus.

DE INIURIA. CAP. XIII.



Iniuria autem ab Aristotele dicitur læsio esse contra voluntatem læsi: nam nemo sua sponte iniuriam patitur: cum enim volens aliquis læditur, lædens contra ius non agit. Verumtamen principium retinere præstaret, nempe quod iniuria læsio sit contra ius, seu non permessa: hæc enim in idem recidunt. Itaque nos existimamus iniuriam actionem esse ablativam iuris contra ius. Quo loco intelligimus auferri facultatem circa bona verlandi, sine potestate eam auferendi. Omnino enim apparet, iniuriam, prout est actio iniusta lædens, esse læsionem contra ius, commoda, vel ius auferentem. Et cum quilibet sua bona, & commoda expetat; erit proculdubio præter patientis voluntatem. Nam quælibet iniuria in læso est privatio iuris, in eo autem, qui lædit, vel iniuria afficit, est facultas immoderata; vel non permessa, vel auctoritate propria usurpata. Etenim cum ius facultas ab alijs permessa dicatur; oppositum videtur facultas non permessa, vel suo arbitratu assumpta. Hinc iure, aut iniuria quis agere dicitur, cum facultate utitur concessa, aut vetita. Præterea (viti superius dictum est) ius

ius dicitur etiam restitudo, iniuria verò obliquitas. Unde apparet, addere præter læsi voluntatem opus non esse. Et ut in definitione iustæ operationis non ponitur voluntas commoda accipientis; ita in opposita læsi voluntas poni non debet. Aduertendum est autem, quod cuiuslibet agentis actiones ad finem directæ, aut ipsum assequuntur per se, vel ex accidenti; aut aberrant à fine; & hoc multipliciter: nam & ab agentis ignoratione, & à quolibet impedimento provenire potest. Aliquando etiam à mala voluntate. Itaque in facultate civili, cum habitus non à potentia, sed à voluntate denominentur, non dicuntur iusti, qui sciunt, & nolunt; sed periti, vel prudentes iuris, verum iniusti.

10 Quamobrem actio iusta est, quæ tendit ad ius, & eò directæ est ab ipso agente. At cum ad ius non tendit, non ob malam agentis voluntatem, sed ob alias causas, puta ob ignorationem, & reliquas; dicitur actio non iusta, non tamen adhuc iniuria est. Cum verò fit animo lædendi, tum demum dicitur iniuria. At cum iniuste quis agit scienter, & alter libenter patitur, quæritur, an sit iniuria. Ac sane scienter contra ius lædens iniuria afficit; cum verò læsus libenter patitur, distinguendum est: nam aut lædens, siue iniuste agens, scit eum velle pati, aut non; si scit, iam non est iniuria. Nam si, te volente, malam tuam percutio, iniuria nequaquam afficio; at si tua patientia fretus percutio, sum iniurius. Tu verò, qui id iniuriæ non ascribis, aut eam condonas, aut deciperis.

20 Ut si centum denariorum creditor, putans sibi tantummodo deberi decem, illis acquiescat; iniuria est, si à sciente se plurà debere totius summæ nomine persolvuntur; sed à creditore non agnoscitur. Et ut sæpe qui paria acceperunt, ob ignorationem litigant, existimantes iniuria se affectos, & pauciora accepisse; ita fieri potest, ut qui pauciora accepit, aut se putet paria accepisse, aut ab agente non dolo se circumventum, sed ignoracione læsum esse. Idcirco qui aliorum actiones in bonam partem interpretatur, rarò irascitur. Nam aduersus iuris ignaros irasci non licet, cum iniuria non afficiant. Quique scit se contra ius à sciente læsum, sæpe multis de causis iniuriam condonat; amantibus enim, ac perturbatis facilè homines indulgent, & ijs, qui urgente necessitate parum lædunt, siue minimo alieno incommodo maximum commodum assequuntur; ut

30 si inops esuriens panem opulento auferat. Quælibet igitur iniuria est subtractio iuris, ex cuius quantitate iniuriæ quantitas est metienda. Diuus autem Thomas, & complures alij circumstantias addunt, à quibus augeri, vel minui iniuriam dicunt, & recte quidem; verum tamen videri fortasse alicui posset, societates, & officia spectanda esse. Nam qui pauperibus, vel Sacerdotibus, vel in loco sacro aliquid subtrahit, contra nobiliorē societatem peccat, aut contra plures, & à suo officio longius discedit. Primum enim pauperibus subtrahens contra ius agit in societate iuridica. Deinde contra humanitatem in benefica, si non tradit cum abundat; & longè magis, si aufert, quoniam pauperibus tradere, non auferre oportet; alioqui agit contra honestatem, & bonum commune.

40 At Sacerdotibus auferens, non solum contra ius, & humanitatem agit, verum etiam contra gratitudinem, cum sint benefici, & bene merentes; propterea remunerari eos consentaneum esset. Agit etiam contra pietatem, cum sint Dei ministri. Qui verò aufert in loco sacro, vbi bona, non malà opera sunt perpetranda, primum eo abutitur, & ostendit se promptiorem ad furandum in loco profano; præterea diuinum numen, cui est dicatus, iniuria afficit. Sic igitur apparere videretur, praua officia expendenda esse ex distantia à iure, vel ab honestate, & communi commodo, vel à gratitudine, & pietate, sicut dictum est. Hinc enim qui suum officium magis deserit, dicitur omnia iura diuina, humana quoque

50 peruertere. Modus igitur agendi, & actiones exteriores facilè animam declarant, & errata à mala voluntate sumunt denominationem. Quamuis autem ius sit paritas, iniuria tamen non est imparitas; quod ex eo patet, quod

Q 2 ius

ius, ut paritas, non est in socijs, sed in bonis; at iniuria est in socijs: nam in læso (ut paulò ante diximus) est privatio iuris; in lædente verò potentia non permessa, vel potius impotentia operandi. Iniuria igitur non opponitur iuri, prout est paritas, sed prout est aptitudo; & ut qui habet ius, est aptus; ita qui iniuria est affectus, ineptus. Nam ut ius est aptitudo ad beatam vitam, ita iniuria est in se ineptitudo; & impedimentum. Qui enim iniuria afficit, alium impedit, ne felicitatem assequi possit; & respectu ipsius est impedimentum; at respectu læsi est ineptitudo ad beatitudinem. Nam quæ ei bona auferuntur, auferuntur commoditas ad bene degendum. Qui igitur iniuria afficit aliquem, contrarium agit ei, qui ius tradit: ius enim tradens facultatem tribuit possidendi bona, vel circa illa versandi; iniuria autem afficiens facultatem concessam à societate, vel à natura invito auferit. Iniuria autem iure fieri non potest, sed potest quis lædi iure, & sic iniuria non afficitur. Ut enim fieri nequit, ut quis simul utatur facultate concessa, & verita; sed solum ut altera, quæcumque illa sit; ita non potest quis iure simul, & iniuria aliquid agere. An autem aliquis sit affectus iniuria, ex legibus societatum naturalium, & voluntariarum cognoscitur. Hinc oratores, cum factum conceditur, de iure disceptant, cumque leges habent contrarias, ad leges naturæ, & ad legumlatorum voluntatem confugiunt.

DE IVRIS LAVDE. CAP. XIV.



VALE igitur, quantumque homini sit bonum ius, ex superioribus sit manifestum. Nam quemadmodum ex vnione, ac proportionem vocum harmonicarum fit vna vox, quæ aures delectat; animumque permulcet; ita ex proba officiorum, actionumque inter socios mixtione, communis commoditas, & voluptas redundat. Quamquam enim proportio acuti, & grauis re ipsa quidquam non efficit; tamen sine ea nihil fit, quemadmodum neque inter homines sine iure utilis societas fieri potest. Ut autem in sonis non vnio vocum, sed voces vnitæ delectant; ita non ius ipsum proprie prodest, ac inuat; sed actio iusta secundum prædictam æqualitatem commoda afferens: nam ut ex hac vocum concentus, ita ex hoc hominum pax, & concordia refilit. Et ut in cantu vnicus discrepans harmoniam omnem corrumpit; ita in societate vnicus iniustus, ac prauus, omnem concentum, & proportionem humanarum actionum perturbat; & quantum in ipso est vniuersum orbem terrarum euertit: nam opere, & exemplo nocet, quod si cuncti sequantur, necessarium erit ad solitudinem, mores efferatos, ciuitatum ruinam, gentiumque omnium subuersionem deuenire. Idcirco huiusmodi homines ex aliorum hominum cætu explodendi, ac vituperandi, & supplicio afficiendi sunt, ut ab huiusmodi flagitijs, & sceleribus cæteri abhorreant. Iuris autem cognitio, & amor in causa est, ut immoderatæ libidines cohibeantur; & quamquam aliena obiecta alliciunt, & nos ad se voluptatum gratia rapiunt; tamen ne iniuste agamus, ea repellimus. Nam ut à consuetudine, quamlibet formosæ mulieris, grauiori aliquo morbo laborantis homines non stultissimi abstinere; & licet fame, sitique confecti suauissimas epulas, & pocula horrent, quæ veneno infecta suspicantur, ne valetudinem, vitamque ipsam in discrimen adducant; ita etiam, longeque magis ab alienis obiectis, quæcumque illa sint, licet magnam offerant voluptatem, aut lucrum, & ab omni iniusta actione sibi temperandum est, ne ius deseratur, & animi, corporisq. salus periculum subeat. Existimandum est, n. iniuriæ omni esse ius admittum: nam dum alios lædimus, eos primùm contra

nos

nos irritamus, deinde ceteros; ipsamque remp. quoniam communis res agitur. Quin ipsum Deum ad iram prouocamus, iuris, & communis commodi vindicem: deserimus enim simul probitatem, atque humanitatem; propterea honorem, dignitatem, animique tranquillitatem amittimus, & conscientiae morfu cruciamur; & interim ratio ipsa iniustis actionibus, & alienorum bonorum dulcedini assuescit; quod perinde est, ac si quis sibi ipsi data opera gustum corrumpat, ut venenis delectetur ipsum mox necaturis. Qui enim iniurijs gaudet, partem rationalem extinguit, aut iam illam extinctam habet; nec sibi praeterea consulere potest, nec quanto in periculo versetur, cognoscere. Neque verò
 10 longa discéptione res eget: nemo est enim, qui non intelligat, saluberrimum fore, si sibi omnes persuadeant, impura lue aliena polluta esse bona, qua omnes corripiantur, quicumque ea vel clam, vel palam dominis inuitis attingunt: nam serius, aut ocius sentiunt profus esse letifera. Etenim aut iidem domini suas iniurias persequuntur, aut respublica, aut certe diuina ira eas nequaquam permittit inuitas, sed (ut ille ait) tarditatem supplicij grauitate compensat. A tot verò, tantisque periculis nihil omnino magis liberat homines, quam iuris cognitio, & amor: nullam enim compendiosior viam reperitur ad commune commodum assequendum; & ad vitam cum securitate transigendam, quam iuste agere, & ab omni penitus iniuria abstinere. Quandoquidem ius primam
 20 ratione societatis amabile est, ut ea inecatur, & conseruetur communis commodi causa: nam ab ea acquiruntur bona, & commoda, quae à singulis hominibus acquiri nequeunt. Deinde non impediuntur ab alijs: ius enim, quae est aptitudo, videtur esse facultas, ut soli ea possideant, quae suis laboribus sibi comparauerunt, ad quae sunt apti. Praeterea sufficit ad bene viuendum, modò recte ab ijs sua negotia sint constituta, & cupiditates reuulsae. Accedit quòd suis facultatibus sibi ipsis bona comparantes, neque alienis bonis egent, neque auxilio, nisi mutuo. Ad haec cum nemini noceant, neminem etiam timere debent; & honorem, ac dignitatem sibi cum iustitiae habitu comparant. Quam qui ad caelum laudibus tollunt, ius ipsum magis effere debent, cum ea non nisi iuris causa sit utilis:
 30 est enim iustitia ius nobilius, ut sanitas medicina. Postremò qui iuri est assuetus, facile ad humanitatem, & beneficentiam exercendam adducitur; & cum aliena non appetat, non magno negotio sua largitur. Et ut in summam redigamus, patet, ius valde amabile esse, cum sit in iudice rectitudo, in societate vinculum; in bonis paritas; in singulis socijs aptitudo ad fruendum, & ex consequenti ad felicitatem. Et haec de iure, deque societate iuridica dicta sufficiant.

FINIS LIBRI NONI.





AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS
DE CIVILI FACULTATE

Liber Decimus.



DE BENEFICA SOCIETATE. CAP. I.



SEQVITVR iuridicam societatem benefica, quae quidem illi tantum praestat, quantum humanis prope diuina. Quodque praestantior, eò difficilius est explicatu, praesertim cum nemo haec de ijs, quae ad eam explicandam sunt necessaria, sermonem facere sit aggressus. Nam Aristoteles de humanitate nihil omnino, de honestate verò pauca disseruit, neque earum naturam, essentiamque cognouisse videtur. Longeque minus Stoici, qui licet honestatem finis loco statuunt, eamque admirentur, & ceteris omnibus anteponant, numquam tamen definire tentarunt; nec, quid ea voce intelligendum esset, vel leuiter aperuerunt. Ne Epicureos dimittamus, qui de honestate, ac virtute, non modò sermonem nullum habent, sed ea speciosa tantum nomina esse contendunt. Conemur igitur nos eisdem vestigijs insistentes, hanc viam, qua ad humanam felicitatem perueniri credimus, non minus obscuram, ac salebrosam, quam vtilem, ac necessariam, clariorem, & planiorem reddere. Itaque in iuridicae societatis definitione nonnulla à nobis dicta sunt, quae societati etiam beneficae constat esse communia. Voluntatum enim vnio, siue animorum consensus, atque concordia, in vtraque societate est eadem. Et vt in ea vnionis, & compositionis gratia mutua sit obligatio; ita & in hac, licet non ob eandem causam. Siquidem haec necessariò non differunt, nisi in fine: nam in ijs, qui vniuntur, differre quidem possunt, sed non necessariò. Diximus enim ad societatem iuridicam liberis hominibus opus esse, ad beneficam autem tam serui, quam liberi admittuntur, cum serui ad libertatem accipiendam, & omnia commoda apti sint. In fine verò differunt, quia illa commodi vtriusque socij gratia, haec imbecillioris tantum inicitur. Etenim cum beneficus sua
bona

bona gratis largiatur, nulla alia de causa societatem inire potest, quam ob indigentium commoda. Nam si qua alia moueretur, neque gratuita largitio illa esset, neque ille benefici appellatione dignus videretur. Sed exactius considerandum nunc est, an in societate benefica reperiatur commune commodum, & quonam modo. Si enim dicatur esse vnio ad commune commodum, iam non benefica, sed iuridica erit, nec vlla inter eas futura differentia est. Verumtamen rationi consonum non videtur, bonum virum, dum gratis sua bona communicat, communi commodo non moueri. Videmus enim cum alter opibus affluens in alterum inopia pressum gratis commoda confert, vtrique eadem largitione bene esse. Ac beneficus quidem ob id vnum ad largiendum impellitur, vt bonorum omnes participes fiant, iisque fruantur. Nihil autem est aliud bonum commune, quam aptum possideri ab omnibus. Si igitur, qui diuitijs affluunt, cuncti benefici essent, proculdubio bona omnia essent communia. Quod sane videtur summi opificis fuisse, & naturæ propositum. Itaque voluntas ad commune commodum agendi benefico adimenda non est, neque etiam à benefica societate, quin sit vnio animorum, communis commodi gratia. Quod verò ad eam dubitationem attinet, si ita scilicet statuatur, differentiam inter iuridicam, ac beneficam nullam fore; diligenter est aduertendum, in vtraque quidem societate queri commune bonum: sed cum in iuridica (vt suo loco dictum est) ambo socij egeant, & abundant, ac præterea, vt commune bonum sequatur, actionem duplicem esse oporteat; videlicet vt alter tradat id, quo abundat, alter id accipiat, quo eget; & rursus, vt qui accepit, tradat, & qui tradidit vicissim accipiat. Sic enim vtriusque abundantia vtriusque indigentia satisfiet, & commune commodum aderit. In benefica omnino secus habet: nam alter abundat, sed non eget; alter eget, sed non abundat; quamobrem vt commune commodum sequatur, duplici actione opus non est, sed vnica sufficit. Vnde apparet, vnionem benefice ad commune commodum ab vnione iuridice diuersam esse. Sed vt hæc diuersitas apertius dignoscatur, & altera societas facilius ab altera discerni possit, dicendum videtur, beneficam societatem vnionem esse voluntatum ad commune imbecillioris, vt inde sequatur commune commodum. Sic enim apparebit, vnicum motum fieri oportere, & cuius rei gratia. Nec obstat, quod beneficus agit per se, & gratis, & honestatis, non commodi vtriusque causa, sed vt ei tantum bene sit, cui tradit. Hæc enim minime repugnant, sed connexa sunt, & se consequuntur: nam is, qui bonis abundat, sua communicans, vt profit alteri, id assequitur, vt bene sit vtrique. Quamobrem siue absolute commune bonum, siue tantummodo egentis spectet, semper idem sequi necesse est. Patet igitur, beneficam quoque societatem communis commodi causa agere. Quod ex finis explanatione lucidius fiet.

49

DE BENEFICÆ SOCIETATIS FINE,

sive de honestate. Cap. II.


50

Vemadmodum in iuridica societate finis est commune commodum, & ius æque finis loco habetur; quoniam commune commodum assequentibus necessario ius offertur; ita in presenti societate finis est commune commodum, & honestas: nam honestatis causa agenti, eamque pro fine statuendi semper commune commodum adest. De ea igitur, veluti de fine operationes dirigente, sermo nobis in presentia est faciendus. Danda enim est opera, ne ignota, & obscura, pro notis, & exploratis accipiamus. Quod cum in omnibus obseruandum sit, in principijs

tipijs tamen, quibus reliqua probanda sunt, & à quibus vniuersa tractatio pendet, summa diligentia cauere oportet. Quod igitur honestas (vt proposuimus) presentis societatis sit finis, eius definitione fit manifestum. Dictum est enim in superioribus, humanitatem aut ipsam esse rationalem partem in nobis, aut appetitum illi ingenitum iuuandi homines. Nam reliquos appetitus in homine sensituios esse, & sui tantum subiecti spectare commoda, hunc verò rationalem cuiusdam diuinitatis participem. Quamobrem non proprii subiecti commoda, sed quadam diuinæ naturæ æmulatione (cum ipsa nihilo egeat) reliquorum hominum commoditati consulere. Verùm cum (veluti cæteri appetitus, qui nobis insunt) sui sit finis in infinitum, ne fortè dum alijs nimium prodest, iuuanti noceat, quadam egerè moderatione, regulaque videtur; quæ quidem ipsa est honestas. Oportet enim considerare, bona omnia, quæ omnium hominum vñibus, & commoditatibus à rerum natura tradita sunt, vt pariter illis fruantur, tamquam in aceruum quemdam esse congesta, vnde cuncti quasi fratres, & coheredes æquam sumere portionem deberent. Verùm siue eorundem hominum industria, aut ignauia, siue fortunæ opera fit, vt alij exiguam portionem, aut nullam, alij autem magnam, aut etiam maximam consequantur; ita vt illis necessaria commoda defint, his verò innumera supersint, atque redudent. Vt igitur humanitati quadam cum moderatione satisfiat, & fortunæ temeritas corrigatur; ab ijs, qui plura sunt assecuti, quædam pro dignitate, ac meritis conferuntur inopibus, vt ad paritatem quamdam inter homines commoda omnia redigantur. Hanc autem commodorum paritatem inter beneficium, & egenum pro dignitate honestatem diximus esse; quæ ipsius humanitatis est moderamen, & humanarum actionum mensura; eademque beneficæ societatis est finis, in quo repositam humanam beatitudinem esse, in superioribus demonstrauimus. Cum autem in societate iuridica dictum sit, oportere socios commune commodum quærere (nam si quis in suo tantum quærendo occupetur, & sibi soli consulat, adducere alterum non poterit, vt sua tradat: propterea prodesse omnes alijs cupiunt, vt sibi vicissim alij profint) in hac quidem societate perspicuum est, quod humanitas beneficium ad largiendum inopi honestatis causa, eademque ratione ad commune commodum quærendum inuitat; quod constat boni viri, ac studiosi officium esse. Quod etiam ex ijs, quæ de aptis ad beneficam societatem dicentur, planius fiet.

DE APTIS AD BENEFICAM

societatem. Cap. III.



Quoniam autem ad societatem beneficam apti non vnius generis sunt, vt ijs, quos ad iuridicam aptos diximus; ita vt quæ de altero dicuntur, sint etiam de altero intelligenda, seorsum de benefico & inope agendum est. Primum igitur dicere oportet, quisnam sit beneficus, & num natura, an electione sit huiusmodi: Qui igitur assentiuntur, humanitatem esse appetitum iuuandi homines, & illis beneficia gratis conferendi, eumque natura nobis inditum esse; negare nullo modo possunt, beneficam societatem, quoad ipsum beneficium attinet, esse naturalem. Vt enim nobis edendi, bibendique appetitus natura insunt, & ab interno principio naturali proueniunt; ita & de benefico conferendi appetitu statuendum est. Nam omnino vt datur societas iuridica naturalis, ita & benefica. Verùm vt in ea de voluntaria prius egimus, vt nobis notiore; ita hoc loco agendum censemus: Quemadmodum autem ad iuridicam societatem propria inuitamur im-

per-

perfectiōne, eiusque quasi sensu, & sicut quodam; ita ad beneficia conferenda impellimur (vt supra dictum est) humanam imbecillitatem in alijs cognoscen- res, in nobis verò sentientes diuinum principium. Et vt reliquæ animæ no- stræ potestates ad actum deuenire cupiunt, in obiectorum præsentia, & suapte natura; ita humanitas ad beneficij collationem sponte procliuis est, & obiectis præsentibus longe magis. Quod si quis reliquis potestatibus destitueretur, ni- hil aliud desideraret, quam beneficia conferre. Cum verò plures in nobis sint potestates, quarum vnâquâque ad diuersa obiecta ferri videmus; necessa- rium est, vt quilibet non aliena tantum commoda; sed & sua cupiat; ita vt pru-

30 dentis viri officium videatur, eunctis suis facultatibus, præsertim nobilioribus satisfacere. Itaque cum humanitas principium in homine nobilissimum sit, cæ- tera aut ignobiliora; ei primùm commodorum collatione satisfaciendum erit. Verùm vt commoda tradi, & vicissim accipi non possunt, quin ad sit ius, vel ini- iuria; & societas iuridica naturalis, aut voluntaria; ita etiam beneficium con- ferri nequit, quin ibi sit societas benefica, naturalis, aut voluntaria, atque etiam honestum, vel inhonestum, aut turpe. His igitur rebus fundamentis, videamus quanam ad societatem hanc componendam inter alterum, qui beneficia con- ferre, & alterum, qui accipere cupiat, sint necessaria; & totam eorum latitudi- nem consideremus, vt in iuridica iam factum est.

30	Abundans volens tradere, &	Non egens nolens accipere
		Non egens volens accipere
		Egens nolens accipere
		Egens volens accipere
	Abundans nolens tradere, &	Non egens nolens accipere
		Non egens volens accipere
		Egens nolens accipere
		Egens volens accipere
40	Non abundans volens tradere &	Non egens nolens accipere
		Non egens volens accipere
		Egens nolens accipere
		Egens volens accipere
	Non abundans nolens tradere, &	Non egens nolens accipere
		Non egens volens accipere
		Egens nolens accipere
		Egens volens accipere

50 - Vt igitur cognoscatur latitudo societatis beneficæ componendæ, necesse est vt combinemus, siue ducamus sexdecim prædicta membra, siue dispositiones; quibus alter socius affectus esse potest; in totidem alias, quibus æque alter po- test affectus esse; vnde 256. congressuum species reddentur; verùm nisi alter, aut etiam vterque decipiatur, vno, vel pluribus modis; numquam benefica so- cietas contrahetur, nisi inter abundantem, & volentem tradere, & non egen- tem, neque accipere cupientem, & alterum, qui non abundet, & nolit tradere; & eget, & velit accipere. Qui enim minime abundat, gratis tradere nolet; & qui abundat; & eget, nolet tradere gratis, sed commutare. Et qui abundat, & non eget, nolet tradere, præterquam non abundantem, & egenti, & volenti accipere, & non tradere. Nam qui promittit se velle tradere, & quid tradat non habet, non videtur velle gratis accipere; propterea reddit se beneficio in- dignum, & ad iuridicam quoque societatem ineptum. Itaque nisi decipiantur socij, res ita se habebit, vt abundans, & non egens, tradere velit, & non acci- pere

perere, & qui eget, & non abundat, nec vult tradere sed accipere gratis. Quoties igitur verbis, aut fictionibus, aut hominum imprudentia alia species conuenit; id alia de causa non fit, quam aut amborum deceptione, aut alterius impostura, & fraude. Et omnino vel alteri, vel utrique videntur sociorum ita se habere constitutiones, ut dictum est. Quidam igitur coniungi non debent, quales sunt ij, qui non abundant, cum sint ad tradendum inepti, ut qui non egent, aut abundant sunt inepti ad gratis accipiendum, idemque in ceteris. At qui abundant, & non egent, & nolunt tradere, verbis rogandi sunt, ut tradant, vel tradere velint; & similiter qui nolunt accipere, ut accipere non recuseat. Aduertendum est autem, abundantiam, & indigentiam hoc loco simpliciter intelligendam non esse, sed secundum collationem ad congreuentium dignitatem, ut in iuridica consideratur secundum collationem ad ea, quae sumenda sunt. Qui enim pane valde eget, ceteris sibi bonis abundare videtur, propterea equos, vestes, cunctaque alia, quaecumque possidet, tradit. Itaque inter nuntium, qui est societates compositurus tam iuridicas, quam beneficis, communem spectare utilitatem oportet. Etenim in iuridica, qui ea tradit, quibus valde eget, ut ea, quibus minus eget, capiat, videtur ex ea societate amittere commodum, non acquirere. Commune ergo commodum ibi non adest, licet ius adsit; quod quidem imprudentia coniugio, vel deceptione. At qui non abundantem adducit, ut abundantem gratis tradat, commune commodum non consequetur. Opus est igitur in societatis incundis, ut diligenter aduertamus, vtilis ne sint, an inutiles; praeterea, ut ius assequamur, ceteraque, quae in ipsius iuridicae societatis explicatione dicta sunt. Apti igitur ad societatem beneficam, quoad conferenda beneficia attinet, ij sunt, qui abundant, & non egent, & cupiunt sua gratis tradere. Verum ut abundant, seque vere abundare intelligant; opus est, ut ea habeant, quae in iuridica societate sunt explicata. Nihil enim refert, seu tradere velimus animo accipiendi paria, seu gratis; ea autem sunt, prudentia, libertas, ius, & reliqua, de quibus eo loco dictum est. Quod autem non egeant, ex praedictis cognoscemus, eodemque modo procedemus in percipienda aliorum indigentia sine abundantia. Illae igitur quatuor constitutiones reperiri in benefico debent, videlicet absoluta abundantia, ita ut non egeat, & voluntas dandi, sine appetitu accipiendi. Sed ex ijs non apparet, velle eum tradere huic, vel illi, & fieri potest, ut decipiatur, putans se non abundare, cum abundet, & abundare, cum non abundet. Et omnino quae de deceptione dici possunt, hic omnia accommodanda. Non solum autem recte iudicare debet de suis viribus, & alienis, & de voluntate seorsum, sed etiam de collatione, & dignitate; verum de his dicemus, postquam de inope verba fecerimus, nunc dixisse sufficiat, illa re ipsa desiderari. At opiniones particulares dandi huic oriri debent ex cognitione, non solum eorum, quae ad ipsum, sed etiam quae ad alios pertinent. Hic autem quoad opiniones sufficit, ut arbitretur bonum esse sua gratis tradere, & sequatur naturam duceam, & ad huiusmodi agenda stimulantem, non minus quam famem ad comedendum, & iudicet bonos, & egentes viros reperiri, qui paria reddere non possunt; ac si possent, ipse non curat, quippe qui eos suis numeribus dignos iudicat. Videtur autem, qui tradit, eum semper, cui tradit, inopem iudicare, aut simpliciter, aut pro dignitate. Nam bonum Principem, aut etiam amicum dignum censet, non quod egeant, sed quod tanto praestantiores ceteris ducit, ut pro eorum, quamlibet exiguo commodo, vel vitam profundendam putet. Verum si ab honestate deducere beneficium volumus, ut ab ea apertudo cognoscatur, dicendum est, quod cum ipsa sit paritas commodorum pro dignitate, qui bonis abundat, & non eget, semper esse paratus debet, ad tradendam gratis hominibus

nibus dignis, & egentibus, ita vt huiusmodi paritas consequatur. Sic igitur ad beneficentiam aptus videtur, qui humanitate præditus est, & præ cæteris honestatem colit.

DE INOPE, SIVE DIGNO.

C A P. IIII.



- Ntequam de aptis ad beneficia accipienda dicamus, examinandum videtur, an vt socij, ac benefici natura sunt, ita & inopes reperiantur. Sed quoniam videmur supponere, omnia beneficia inopibus conferri; considerare priori loco oportet, an verum sit, cum refragari consuetudini videatur. Pleurumque enim inopes diuitibus, ac potentibus munera mittunt. Sciendum igitur est, munera aliquando tradi quæstus cuiusdam, & aucupij causa, vt maiora bona, fauores, ac dignitates adipiscamur, aut saltem quæ nobis aptiora sint, vel gratiora. Quæ quidem tradendi ratio nequaquam benefica largitio, verum potius commodorum permutatio est appellanda. Non enim huiusmodi largitores honestatis gratia agunt, sed lucri. Aliquando verò traduntur munera, non spe maiora consequendi, sed gratitudinis causa, & vt accepti beneficij conseruari memoria videatur. Qui igitur munera diuitibus, ac potentibus mittunt, vt illis pro viribus gratiam referant, beneficij proprie, vel munifici dicendi non essent, sed grati. Verum cum his actionibus, ac donis diuersum nomen non sit impositum, munera quidem misisse dicuntur, sed à beneficiis longe distant. His igitur seiunctis, quæ vel ad conciliandam gratiam, vel ad gratitudinem spectare, & ad iuridicam potius societatem, quàm ad beneficam videntur; reliqua illa sunt, quæ inopibus à beneficiis donantur. Hoc autem loco animaduertendum est, quod etiam superius attigimus, copiam, & inopiam non simpliciter dici, sed occasionis, dignitatisque respectu, & inopis nomine non mendicum, vel omnino pauperem accipi, sed eum, qui quacumque de causa, & ob quamlibet indigentiam aliena ope eget, neque pecunia tantum, sed auxilio, favore, consilio, cæterisque omnibus, quæ singulis virtutibus ad hominum commoda subministrantur; ita vt secundum quid potius, quàm absolute sit inops. Nam si cui Regi in itinere, aut venatione desit forte cibus, aut potus; si illius dignitatem respexeris, honestum erit, te priuatum hominem (licet eius non subis imperio) ei tribuere, quæ in tuam coenam paraueras; non tamen ille simpliciter, sed tunc inops dicendus esset: si enim detur emendi facultas, tuo munere non indigebit. Quod etiam in cæteris quacumque indigentia laborantibus locum habet. Nam honestatis gratia collatum munus, aut officium est, quod opportune exhibetur, communis boni, & paritatis commodorum causa, non secundum rem, sed secundum dignitatem adipiscendæ. Nunc, an natura inopes reperiantur, explicemus. Cum igitur beneficus sua tradat, vt bona pro dignitate æquentur, & nemo libenter, & sponte egeat, vel bonis careat ad suam dignitatem accommodatis, ac si eget (modò sit paulò generosior) non gratis accipere cupiat, sed paria reddere; non videtur dicendum, natura inopem reperiri, hoc est, vllum esse, qui suapte natura sit huiusmodi, vt sine retributione velit accipere. Neque enim naturaliter incitatur ad capiendum gratis, sed ad tradendum, aut saltem ad sumentum ab ijs, qui paria sibi reddi cupiunt, quibus nos retribuere parati sumus.
- Neque existimandum videtur, naturam quemquam gignere inopem voluisse, cum tot bona ex terra, marique illius opera proueniant hominum vsibus accommodata; cumque tot singulis hominibus animæ, corporisque facultates tribuerit,

tribuerit, quibus comparari commoda possint. Ex altera tamen parte, si inopes nulli reperirentur, ne vlla quidem videretur causa futura fuisse, cur principium beneficia conferendi animis nostris ingeneraret. Id igitur (quod etiam supra dictum est) oportet asserere, multas accidere hominibus calamitates, & infortunia, multas naturæ imbecillitates, quibus homines interdum a lie-
 • nam opem implorare cogantur. Ita ut si minus diuino consilio, & prouidentia, saltem aliquo pacto Deo permittente fiat, ut quamquam ipse omnibus bene esse vult, nonnulli tamen indigeant, & bonis ad vitam commode degendam necessarijs destituantur. Ut enim monstra partim natura gignantur, partim etiam præter naturam, ita etiam inopes; qui quidem conditionem illam 10
 optare nequeunt, ut egeant, & non abundant, neque etiam ut gratis accipiant. Attamen coacti, & tunc, licet non simpliciter, gratis sumunt. Præterea, cum gratis accipere, & gratis tradere contrarie opponantur, gratis autem tradere (ut omnibus compertum est) secundum naturam insit, erit proculdubio gratis accipere præter naturam, & præter ipsius accipientis voluntatem. Quemadmodum Philosophi arguunt, ignem naturaliter moueri sursum, ergo præter naturam deorsum. Simpliciter igitur nemo vult gratis sumere, sed hic, & nunc quempiam sumere velle, nihil prohibet; eo tamen animo, ut oblata occasione; retribuatur; aut etiam ut præsentis difficultate superata, sumere præterea nolit. Nam ut amara, licet insuauia, tamen valetudinis causa deglutire non dubita- 20
 mus; ita commoda insuauiter, & propè inuiti, & quadam quasi cum molestia accipimus. Quando tamen ita expedit, non modò oblata repudianda non sunt, sed petenda; ut etiam ægotantes petunt medicamenta, quamuis amara. Enimuerò sordidi homines, & auari, libentissime dona accipiunt, licet non egeant; quod quidem ab eis ideo fit, quod principium beneficia conferendi in eorum animis obrutum est: ut enim nonnulli claudi, surdique nascuntur; ita etiam tamquam diminuta, mutilataque humanitate, qua adempta, non modò libenter dona accipiunt, sed bona vi, uel clam, vel precario vndecumque corradunt, eorumque cupiditate in plurima, variaque flagitia, & scelera dilabuntur. Nam pecunia, & obiectis abundare expetibile est; ea verò suo labore non comparare, 30
 dum licet, sed gratis, aut etiam ingratias ab alijs accipere velle, ingenui, & probi viri non videtur officium. Ut igitur dictum est, ægre accipimus, & fere coacti, quamuis interdum vtile sit, vel etiam necessarium. Non tamen idcirco amicorum, neque Principum munera excluduntur: nam amici sua tradunt, & vicissim accipiunt, qua beneuolentia, & caritate testantur, omnia inter ipsos esse communia. Principes verò indigentibus largiuntur, & bonis viris, ut eos re, & liberalitatis exemplo iuuent. Seruis quoque, & ijs, qui suæ ditioni subiecti sunt, ut sibi obstrictos, fidosque reddant. Quæ quidem non ad simplicem beneficam pertinent, sed ad mistam ex iuridica, & benefica, de qua suo loco dicturi sumus. Nunc cum ad hanc societatem apti sint beneficis, & inops 40
 hoc à nobis modo propositi, ex hac autem aptitudine facilè ad actum deuenire possint, alter beneficiorum collatione in dignum, quæ morali-
 um fit virtutum exercitatione; alter verò ea potissimum qualitate, quæ illum ad ea accipienda reddit idoneum, quæ est dignitas cognita; de vtraque agere necessarium est, primùm scilicet de virtute, deinde verò de dignitate, deque ijs, quæ vtramque necessariò comitantur.

VIRTUTIS MORALIS NATVRA,
& Definitio. Cap. V.



10 **V**M igitur humanitas, antequam honestatis cancellis circum-
 scribatur, principium vagum, & indefinitum sit (omnia enim
 optat commoda omnibus, & omnia vitat incommoda om-
 nium) simul atque illam spectare coepit, pro diuersitate com-
 modorum, quæ confert, vel incommodorum, à quibus abstinet,
 diducitur in partes quasdam, vt caudex in ramos, aut fons
 in riuulos, quæ quidem virtutis nomen assumunt, pro cuiusque natura diuer-
 sum. Nam quæ corporis viribus, & armis iuuat, fortitudo dicitur. Quæ con-
 cupiscibilem facultatem coercet, ne lædat, temperantia; & cæteræ simili modo.
 Virtutis verò nomen latissime patet, cum non solum habitus, & principia acti-
 ua, sed etiam cognoscitiua, atque effectiua comprehendat. Est enim perfectio
 causæ, præsertim agentis, vt recte suum munus obeat, finemque sibi propositum
 sine vilo errore adipiscatur. Cum autem actiones, quæ inter homines exercen-
 tur, maxime necessariæ, & omnium præstantissimæ videantur; idcirco factum
 20 est, vt illi præcipue habitus, qui ad eas spectant, virtutum nomine appellen-
 tur. Absolute igitur de virtute agere, non ad ciuilem, sed ad alium pertinet ar-
 tificem. Ciuili verò omnia, quæ ad hoc propositum attinent, supponenda sunt;
 ne suæ facultatis limites transgrediatur. Verùm ne obscurior tractatio redde-
 retur, Aristotelis exemplum secuti, de ea agere opportunum duximus, quate-
 nus subiectæ materiæ videbitur conuenire. De genere igitur moralis virtutis
 magna inter veteres Philosophos dissensio est. Nam Socrates, & post eum
 Plato, quem Stoici sequuti sunt, virtutem scientiam esse affirmant. Aristote-
 les autem, cæterique Peripatetici habitum, quem præterea dicunt cum recta
 30 ratione electiuum. Quæ sententiæ inter se longe magis distant, quàm primo
 aspectu videatur. Nam qui eam scientiam esse asserunt, moralem virtutem (vt
 idem Aristoteles dicit) in parte animæ rationali locant, quod à Peripatetico-
 rum doctrina valde abhorret, qui nullam virtutem præter cognoscitiuam in
 ea locauere: moralem enim omnem in parte irrationali ponunt. Quæ verò illi
 à nobis sedes in anima tribuatur, paulò post apparebit; nunc autem quæ ad ge-
 nus spectantia ab eisdem Philosophis sunt allata, paucis percurramus. Qui igi-
 tur moralem virtutem scientiam dicunt, habitum quidem, & exactam cogni-
 tionem intelligunt eorum, quæ ad finis adeptionem sunt necessaria. Bonum e-
 nim, nisi cognoscatur, appeti non potest. At si cognoscitur, sed imperfecte (vt fit
 in opinione) poterit in boni acceptione errari, cum maioris boni loco minus ca-
 40 pietur, & animus opinantis constans non erit. Propterea virtutem non opi-
 nionem, sed scientiam dicunt, in qua neque errori accipientis locus est, neque
 mutationi scientis, siue agentis; vt sit perfecta, & constans cognitio boni agi-
 bilis. Qui autem hoc dicunt, boni appetitionem non ita exprimunt, vt virtus
 desiderat; sed de ea, quasi de arte quapiam, agunt. Cum enim cuilibet arti finis
 loco bonum aliquod propositum sit, ad quod ab artifice perueniendum est;
 cumque ars duabus præcipuis partibus, videlicet cognitione, siue speculatione,
 & effectiua constet, quarum altera ad suum finem alterius ope dirigatur; & id-
 circo nonnullæ ex præstantioribus, vt iuris prudentia, & medicina, à nobilio-
 ri parte scientiæ interdum appellentur, tamen appetitus finis in arte non ita ap-
 50 paret, vt apparere in virtute necessarium est, sed supponitur. Nihil enim a-
 liud appetit iurisconsultus, vt talis, quàm ius; neque medicus, quàm bonam va-
 letudinem. Hinc M. Tullius ab ijs mutuatus, cum de finibus agit, virtutes om-

Ethi. lib. 2.
& 2.

Ethic. li. 6.
cap. ult.
Ethic. lib. 2.
cap. 5.
Mag. mor.
lib. 1. cap. 1

R nes

nes affirmat similes artium reliquarum, materia tantum ad meliorem partem, & tractatione differre. Verum licet virtuti similitudo artium haud levis insit, ars tamen non est, cum hæc in intellectu, illa verò in appetitu præcipuam sedem sibi vendicat. Quamobrem Peripatetici virtutem habitum esse dixere, ad-
 dentes cum recta ratione electiuum, vt ab habitu constantia intelligatur, à re-
 • **ctæ ratione cognitio, ab electione autem appetitio boni agibilis.** Neque tamen hæc dubitationibus, & obiectionibus carent. Siquidem incontinens, quam-
 uis recte cognoscat, & eligat, aliter tamen ager. Opus autem est, vt sit habi-
 tus cum recta ratione agendi, non eligendi tantum. Non enim ex pluribus re-
 ctis electionibus, eiusdem Aristotelis sententia, sed ex frequentatis actionibus 17
 fit virtus. Qui verò habet agendi habitum cum recta ratione, habet etiam eli-
 gendi; at inter electionem rectam, & actionem, cadere impedimentum potest,
 ira, aut libidine interueniente. Quod si felicitas est actio secundum virtutem,
 oportet, vt virtus habitus sit agendi appositè ad felicitatem, ita vt omnino ex-
 cludantur affectus, qui quidem (vt patet) ex habitu electiuo non excluduntur.
 Præter eam verò, quæ dicta est, aliam Aristoteles virtutis definitioni differen-
 tiam addit, scilicet circa affectus, actusque mediocritatem, quam cunctis artifi-
 cibus dicit esse communem. Omnes enim exsuperationem, & defectum fuge-
 re, medium autem quærere, non rei, sed quod ad nos medium dicitur, ipsam-
 que virtutem substantia, & ratione quid est dicente, mediocritatem asserit ef- 20
 se. Mirum autem videtur, cum virtutis substantiam in differentia constituere
 cunctis artificibus communi, ita vt illius definitio non minus cuiuslibet arti, quam
 virtuti conueniat. Cum tamen virtus neutiquam circa affectus, actusque medio-
 critas sit, neque omnino mediocritas, nisi ex accidenti, aut (vt ita dixerim)
 materialiter; veluti si medicina circa alimenta, vel medicamenta mediocri-
 tas diceretur, aut circa nutriendum, vel euacuandum; verumtamen non circa
 illa, sed circa bonæ valetudinis restitutionem versari dicitur. Eodemque mo-
 do de virtute statuendum est. Qui enim irascitur, tuendi sui causa irascitur,
 ita vt mansuetudo non sit mediocritas inter nimium, parumque irasci, sed habi-
 tus moderate tuendi se ab externis iniurijs. Nam ex accidenti sequitur, vt ne- 30
 que plus, neque minus irascatur: atque etiam, vt quomodo, & quando oportet.
 Et idem de reliquis dicendum est. Quamobrem ad virtutem apte definiend-
 dam illud potius considerandum videtur, si omnis virtus id ipsum, cuius est vir-
 tus, & opus eius bonum reddit, vel eum aptum ad finem adipiscendum, quem
 illi natura constituit, vt equi virtus bonum efficit equum, & ad suum finem
 assequendum idoneum, & ita in cæteris; virtus etiam hominis is erit habitus,
 à quo bonus reddetur homo, & quo bene, & exacte finem illum, ad quem natu-
 ra genitus est, consequetur. Cum autem huiusmodi habitus sit principium 2-
 ctiuum, assequi suum finem non potest, nisi illum agnoscat, atque illius adipi-
 scendi causa operetur, vt artifex ab vniuoco. Hominis verò finis est, homi- 40
 nem iuuare, eique opem asserre, quod honestum diximus. Honestas igitur ita
 menti agentis affixa, & inhærens, vt operari possit, & gignere sibi simile, dici-
 tur virtus, vt bona valetudo in medici mente est virtus medici. Non est igi-
 tur virtus honesti species, aut pars (vt censet M. Tullius) qui ex Platonis, Stoi-
 corumq. opinione in quatuor virtutes honestum diuidit; sed est habitus appe-
 tendi, & agendi honesta; vel humanitas moderata, & constans voluntas, siue
 habitus iuuandi homines honestatis gratiæ. Nam iustitia priuati hominis,
 quamquam virtus maxime necessaria, & societati vtilissima est, non tamen est
 habitus per se iuuandi, sed non lædendi: neque enim honestatis causa opera-
 tur, sed iuris; & reliquis morum virtutibus veluti basis est supponenda. 50

Ethi. lib. 2.
cap. 6.

VIRTVTVM MORALIVM DIVISIO,

& numerus. Cap. VI.



VM autem virtus omnis fit (vt diximus) perfectio causæ: nam id cuius est virtus, & illius opus bonum reddit; virtus moralis cum sit humanitas moderata, vel habitus, & constans voluntas iuuandi homines honestatis gratia, ciuilem agentem, & beneficum perficit, ita vt ijs suæ animæ potestatibus, quibus proprii commodi causa homini homo interdum nocet, nullo modo lædat, videlicet intellectu, vel appetitu irascibili, & concupiscibili, vel etiam ratione illis seruiente, & suum officium non recte exercente. Eademque ratione suum munus recte obeunte, non modò non obsit, sed plurimum etiam prodesse contendat. Quòd vt manifestius fiat, cunctas diuisione aliqua comprehendere naturæ ordine tentandum est, vnde etiam earum numerus certus appareat. Virtus igitur, aut priuata, aut regia est, scilicet priuati hominis, aut Principis. At priuata quidem hominem disponit, vel ne cæteros lædat, vel vt iuuet; & vt prioribus innocentia laus, ita posterioribus beneficentiæ comparatur. Lædere enim
 20 proprii commodi causa (cum virtus abest) frequenter singulis suæ animæ facultatibus solet. Nam intellectu falsa suarum virium opinione decepto, societatem contrahere aspernatur, contractam dirimit, quod magnum hominibus incommodum affert. Etenim ea opinio superbia est, qua neminem sibi superiorem iudicat, neque etiam parem. Cui malo duabus virtutibus medetur, humilitate videlicet, & obedientia; hac superioribus parere assuescit, illa etiam paribus se subijcere. Irascibili facultate ne in furorem præceps agatur, vetat mansuetudo. Ne concupiscibili parte ventri, & veneri mancipetur, prohibet temperantia. Magnopere autem lædit alicuius facultatis pertinacia in peccando; aut alicuius sine frustratæ, vel malis uictæ desperatione. Illud autem
 30 periculum penitentia, hoc patientia repellit. Atque hæc quidem sunt damna, quæ homini homo proprii commodi causa suæ animæ facultatibus affert, & vnâ virtutes, quibus repelluntur. Quarum essentia licet à nobis in coercendo à læsionibus videatur esse reposita, præsertim earum respectu, quæ apertissime iuuant; tamen ijs præditi in earum exercitatione de suo largiuntur, & non parum honestatis causa cæteris profuunt. Non pauciora autem sunt emolumenta, quæ à ratione recta, hoc est, ciuili facultate, & humanitatis moderatione imbuta, & ab alia serie virtutum adueniunt, quibus homo honestatis causa hominem iuuat, quod bonorum communicatione efficit. Sunt autem bona (vt superius demonstratum est) vel separatim animi, corporis, & externa; vel coniunctim animi, &
 40 corporis, animi, & externa, corporis, & externa, vel simul omnium. Iuuat igitur communicatione bonorum animi, cum gratuito doctrina, consilio, monitu, horratu, consolatione prodest. Quæ omnia à nobis in quadam liberalitatis parte comprehenduntur. Nullam enim aliam virtutem reperias, cui hæc commode tribui possint; eamque Aristoteles (vt nobis videtur) nimium angustis terminis circumsepsit. Corporis verò bonis iuuare, est bona valetudine, viribus, & agilitate opem ferre; quæ bona in fortitudinis parte locantur: si enim sola sumas, mercenariam operam constitues libero homine indignam. Pulchritudo autem ab ijs seiungenda est, cum ea bonorum emolumenta quæramus, quæ honestatis tantummodo causa afferuntur. Sequuntur bona externa, hæc autem
 50 aut priuatæ fortunæ sunt, aut publicæ. Priuatæ igitur fortunæ pecuniam ad priuatorum beneficium insumere, alia liberalitatis pars est. Ad publicum verò decus, & ornamentum magnificentia. Fortunæ autem publicæ bona, qui-

Lib. 3. c. 2

Ethic. li. 4.
cap. 1.

R a bus

bus iuuare priuatus potest, sunt magistratus, & publicæ auctoritates, quas tunc optare, & petere priuatis licet, cum se illis gerendis idoneos esse cognoscentes eo petunt, vt publicè profint, quæ virtus eam nominæ careat, re ipsa est honorum, & magistratuum moderata petitio, vel appetitio, cuius excessus ambitio dicitur. Nunc cum de animi, corporis, & externis bonis separatim dixerimus, de eisdem coniunctim dicendum est. Animi igitur, corporisque simul bona sunt, verba, & actus, quibus cum socijs in communi vsu vitæ, & consuetudine vti solemus. Verba autem, aut seria sunt, aut iocosa; verbis serijs socium iuuamus, cum non ficta, fucataue sunt, nec vllatenus ipsam rei faciem immutant, sed eam ita intellectui offerunt, vt falli non possit, neque in iudicando, quid socius sciat, velit, & possit ad eius commodum, neque in cæteris; quoniam à mentiendi studio longe absumus, & mendacium omne detestamur. Quæ virtus veritas, seu veracitas dicitur, cumque suapte natura ampla sit, & illustris, eam Aristoteles angustam, obicuramque reddidisse videtur, quippe qui exiguam illi suæ essentia portionem reliquerit. Verbis autem iocosis socium iuuamus, cum illum curis, aut mœore confectum, ad hilaritatem adducimus; & suavis sermonis dulcedine molestia liberamus, & iucunditate, lætitiæque perfundimus. Quæ virtus urbanitas appellatur. Actus verò, si difficiles non sint, asperi, morosi, sed faciles, mites, ac blandi, socium non mediocriter iuuant, & mire delectant. Ea virtus est comitas. Animi verò, & externis bonis iuuamus, cum ad bona animi, scilicet doctrinam, consilium, monitum, hortatum, & consolationem, de quibus supra seorsum diximus, bona quoque externa adiungimus, rem videlicet, & pecuniam, quibus omnibus tota liberalitas continetur. Corporis autem, & externis, cum cultu, & ornatu venusto, ac decenti tam nostri corporis, quam vxoris, filiorum, & familiarium, reliquorumque bonorum nostrorum munditia, & nitore delectamus; quæ dicitur elegantia. Postremò animi, corporis, & externis simul bonis iuuamus, quæ in tota, & vera fortitudine sunt necessaria. Et hæc de priuati hominis virtutibus dicta sufficiant. Quibus etiam Principes, Regesque ornari nihil impedit, non tamen vt tales. Regia enim, siue Principis virtus vel cohibet homines poena ab aliorum læsione, vel inuitat præmio ad iuuandum; & hæc est iustitia Regia, vere Hespero, & Lucifero admirabilior. Sed longe omnium mirabilissima est Heroica virtus, qua Rex populos ingentibus commodis afficit, & pro viribus beat. Quæ omnia in subiecta tabella clarius apparent.



PRIVATA IVSTITIA NON HONESTATIS, SED

ius gratia est, & reliquis morum virtutibus supponitur.

					{ Iustitia.
					{ Humilitas.
					{ Obedientia.
					{ Mansuetudo.
					{ Temperantia.
					{ Penitentia.
					{ Patientia.
					{ Liberalitatis
					pars prima.
					{ Fortitudinis
					pars prima.
					{ Liberalitatis
					pars secunda.
					{ Magnificentia
					{ Honoru mode
					rata appetitio.
					{ Veritas.
					{ Urbanitas.
					{ Comitas.
					{ Liberalitas
					tota.
					{ Elegantia.
					{ Fortitudo
					tota.
					{ Iustitia Regia.
					{ Heroica virtus
					bus beat.

Ne la-
dat vlla
anima
faculta-
te pro-
prij com-
modi
causa.

Privata ho-
minis dispo-
nit vel

30 Virtus
moralis
aut pri-
uata,
aut Re-
gia est;
videli-
cet aut
privati
homi-
nis, aut
Princi-
pis.

40

Regia, siue Prin-
cipis vel

Intellectu falsa virium suaru opi-
nionem decepto, quae est superbia.

Irascibili facultate.

Concupiscibili facultate.

Pertinacia alicuius facultatis in
peccando.

Desperatione alicuius facultatis
sine frustrate, vel malis victis.

Doctrina, consilio,
Animi
Monitu, hortatu.

Corporis viribus, agilitate.

Exter-
norum

Publicae for-
tuna.

Verbis.
Actibus miti-
bus, blandis.

Re, consilio,
doctrina.

Cultu corpo-
ris, & ornatu.

Animi, corporis, & exter-
norum simul.

Cohibet homines poena ab
aliorum laesione.
Inuitat praemio ad iuvan-
dum caeteros.

{ Iustitia.

{ Humilitas.

{ Obedientia.

{ Mansuetudo.

{ Temperantia.

{ Penitentia.

{ Patientia.

{ Liberalitatis
pars prima.

{ Fortitudinis
pars prima.

{ Liberalitatis
pars secunda.

{ Magnificentia

{ Honoru mode
rata appetitio.

{ Veritas.

{ Urbanitas.

{ Comitas.

{ Liberalitas
tota.

{ Elegantia.

{ Fortitudo
tota.

{ Iustitia Regia.

{ Heroica virtus
bus beat.

R 3 ALIAS

ALIAS MORALES VIRTUTES PRÆTER

dictas non esse. Cap. VII.

QVAE igitur sint morum virtutes, ex his manifestum est: nam licet nonnullæ aliæ nominentur, quæ à quibusdam virtutum numero ascriptæ sint; tamen vel ad eas referuntur, quæ supra sunt explicatæ; vel quamquam similes esse videntur, nihilominus ab earum natura sunt alienæ. Clementia enim, lenitas, & facilitas, nomine, & respectu tantum à mansuetudine, non se differunt. Sobrietas aut ipsa temperantia est, aut eius pars, cum solius potus abinentiam respicere videatur. Continentia verò est eadem temperantia in choaræ. Frugalitas, & parsimonia, eorum sunt hominum habitus, quorum tenues opes (cum eos liberalitate uti non permittant) diligenter ab ijs custodiuntur, ne alienis indigere cogantur. Quamquam ab ipso M. Tullio frugalitas, moderatio, & temperantia appellatur. Verecundia virtus non est, sed affectus quidam, ob iustæ reprehensionis metum, cum læsit, aut non iuuit quis, quasi deseruerit humanitatem. Indignatio item non virtus est, sed humanitatis tamquam impetus quidam, bonorum auersantis mala, & malorum bona. Misericordia similiter in homine rationis, vel humanitatis affectus, & motus est laude dignissimus, quæ cum in aduersis socio ferre opem non potest, eius miseræ, & calamitatis fit quasi particeps. Perseuerantia, & constantia non virtutes, sed habituum in cunctis virtutibus sunt firmitudines. Eodemque modo neque gratitudo, neque pietas virtutes sunt, sed tam rationalis, quam irascibilis facultatis principia quædam beneficia vel à voluntate, vel à natura profecta recipere cupientis. De quibus erit alius dicendi locus. Magnanimitas autem particularis virtus non est, sed perinde, ac in cæteris rebus, quæ intentionem, & remissionem quamdam habent; vt gladius magnus est, & paruus, & mediocris, ita & animus. Et vt generosi artifices exigua, & facilia opera aspernantur, egregia, & difficilia aggrediuntur; sic magnanimus magna tantum beneficia conferre cupit. Cumque ea accipere nihil magnum sit; ideo raro, & difficulter petit, lubentius autem largitur, & opitulatur. Fortis est autem, ac liberalis: non enim pecuniam modo, sed & vitam ipsam non magni facit. Magnum igitur animum habere, seque magnum existimare, est non decipi, quoad se ipsum, quæ talis est; at ex huiusmodi cognitione fiet, vt non cupiat nisi magna, vt honorem, gloriam, imperium, aliaque huiusmodi. Quæ si cupiet, vt ipse excellat, longe quidem à virtute seiungitur; si verò commodi publici, & honestatis gratia, non magnanimus solum erit, sed vir etiam in magnis virtutibus admirandus. Maximarum tamen rerum cupidum esse, illum facilem reddet ad inimicitias suscipiendas, & aduersum eos pugnandum, qui non modò illum superare, verum etiam æquare contendant, vt in Cæsare, Pompeioque patuit. Non est igitur inter virtutes magnanimitas locanda, cum non minus lædere possit, quàm iuuare; sed in præstantioribus virtutibus excessus quidam tam in malam, quàm in bonam partem censenda est. Nam vt excellendi appetitus non est nisi in beneficijs conferendis laudabilis; ita magnus animus, & excelsus, nisi publici beneficij causa magna facinora aggrediatur, laudari non debet. Cum verò duæ virtutum series sint, altera earum, quibus homo præcipue à lædendo arcetur, altera earum, quibus ad iuuandum stimulat; nulla autem homini alia facultas, aut

vis

vis in sit, qua laedere socium possit, præter eas, quæ in superiori diuisione sunt explicatæ; nulla quoque alia virtute ad eam compescendam opus erit, præter eas, quas priori serie enumerauimus. Cumque alia nulla bona reperiantur, quibus homo opitulari homini possit, quàm ea, quæ in eadem diuisione comprehensa sunt; eaque ijs virtutibus cõmode subministrentur, quas secunda earum serie complexi sumus; consequens est, earundem virtutum numerum sufficere, neque vllam præterea necessariam esse. Quod etiam ex eo patet, quod cum humanitatis quasi fontem in virtutum veluti riuulos scindi dixerimus; nullam demum eiusdem humanitatis, vel in prohibendis malis, vel in comunicandis bonis, assignare vim liceat, quam non eisdem virtutibus constet contineri; ita vt fons ille ab his riuulis totus penitus exhauriatur. Reliquum igitur est, vt dicamus, morum virtutes ijs, quæ supra à nobis expositæ sunt, neque plures, neque pauciores esse. Quod non de priuaris tantum, sed de Regijs quoque intelligi volumus, cum eisdem rationibus appareat, in ipsorum Regum animis nullas præterea desiderari. Nam Plato, & Stoici cum quatuor tantum esse affirmant, nimirum Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, ac Temperantiam; videntur singulis agendi principijs, quæ à nobis superius sunt explicata, videlicet scientiæ, voluntati, ac potentiæ, virtutes singulas tribuisse; scientiæ scilicet prudentiam, voluntati iustitiam, potentiæ verò fortitudinem, quibus homines in aliorum hominum costibus vtentur. Temperantiam autem in victu, vestituque priuato, cæterisque huiusmodi, in quibus non cum socijs, sed seorsum domi nostræ cum obiectis nostris versamur. Verumtamen quodcumque illorum propositum fuerit, licet videantur virtutum numerum contrahere voluisse; earum tamen (vt idem Plato ait) examina excitauere. Nam qui illos sequuti sunt, sub earum qualibet innumeras alias locauerunt; quæ cum ad eas, quas exposuimus, redigi facile possint, ijs in præsentia dimissis, ad cætera, quæ de eisdem virtutibus dicenda sunt, accedemus.

DE MORALIUM VIRTUTUM SVBIECTO.

CAPITVLVM VIII.



VERVM cum morales virtutes, quasi riuulos, fluere ab humanitatis fonte dicamus, vt humanitas est in ratione, vel voluntate, ita & virtutes esse necesse est. Cum enim sint habitus ex frequentatis actionibus geniti, in ea facultate sunt, in qua actiones, vnde gignuntur. Hæ autem in alia esse, quàm in illa non possunt, quæ mouet, & agit; ea verò voluntas est, quæ humanitate informata honestatis causa operatur. Nam cum quælibet potestas habeat determinata obiecta, ad quæ, & à quibus sua natura in infinitum mouetur, ad ea quidem magis, aut minus aliqua ex causa moueri potest, sed ea immutare, & alia eorum loco sua sponte, vel etiam coacta sequi non potest. Nihil enim eorum, quæ sunt natura (vt recte asserit Aristoteles) aliter assuescit. Cum igitur propria obiecta propriæ facultatum diuersitate natura distincta sint, & concupiscibilis libidine feratur, irascibilis ira, ratio, siue voluntas, humanitate, vel appetitu iuuandi homines; cumque vniuscuiusque facultatis virtus tum sit validior, suæque nature magis congruens, cum proprium obiectum vehementius appetit; fieri nullo modo potest, vt proprii obiecti appetitu dimisso, alienum sequatur. Vt si concupiscibilis

Ethic. lib. 2
cap. 1

p̄scibilis, relicta libidine, aut irascibilis, ira, alienum commodum, quod obiectum rationis est, appetat. Esset enim contra naturam propriam assuescere, & alienam assumere; vt ignem descendere, lapidem autem ascendere. Nam si irrationales facultates sua obiecta deserere possent, & eorum loco rationis obiectum sequi, iam non rationis solum participes fierent, sed propria abiecta natura, rationis naturam induerent, & in eam penitus verterentur. Quod quam sit absurdum, nemo non videt. Non igitur existimandum est, irrationalem partem reddi rationalem posse, nihilo magis, quam rationalem irrationali participem. Seruat enim quælibet suam naturam, nec immutat; sed cum singulæ ad sua obiecta tendant, nulla aliarum ratione habita, vsuque, & exercitatione robustiores reddantur; fieri potest, vt ex ijs quæpiam consuetudine, & actionum frequentia, & (vt superius dictum est) voluptatis repetitione facta robustior, cæteris cohibitis, & subactis, crebrius operetur, quam societatis potestatum inter se ratio, & natura postulet. Nam secundum illam homo libentius, & facilius operatur, secundum quam sæpius operari consuevit, & ad eius obiecta, cæterarum facultatum obiectis posthabitis, audacius, & ardentius fertur. Itaque cum rationalis pars irrationali in immensum præstet; ea enim homo est homo; & dum eam exercet, agit, ac uiuit, vt decet hominem, dum versus irrationalem, quæ illi cum brutis communis est, operatur vt animal; congruum est, vt homo irrationalibus facultatibus cæteris utatur, quatenus humanæ naturæ necessitas, & commoditas exigit, nec sinat ab illis rationalem partem opprimi. Etenim dum ea operabitur, reliqua animalia anteibit, ac si præ cæteris hominibus ea utetur, in felicitatis adeptione ipsis quoque hominibus antecellet. Eius igitur partis morales virtutes sunt omnes, eique boni operis laus, mali vituperium impendit, cum æquæ bona actio, ac peccatum in ea sola consideretur. Pars igitur irrationalis tum demum rationalis reddi dici potest, cum aduersus rationem non insurgit; sed eam libere absque vllō impedimento agere permittit; & vt ignobilior est, ac subesse debet, ita subest. An verò parendi consuetudine habitus in ea gignatur, nec ne, nihil refert, cum non ab huiusmodi irascibilis, aut concupiscibilis habitu oriatur actio, à qua homini felicitas aduenit, sed à voluntatis dumtaxat habitu. Vt neque in equo habitus sit se ipsum circumagendi, vel opportune salendi, sed parendi equiti ea imperanti. Quòd si qua irrationali parti laus debetur, non quòd recte, honesteque egerit, sed quòd voluntatem imperantem audierit, quòdque agentem non impedierit, tribuenda est. Hæc autem ipsius etiam Aristotelis opinio fuisse interdum videtur, cum in magnis moralibus dicat, tunc esse secundum rectam rationem agere, cum pars irrationalis non prohibuerit rationalem suam actionem exercere. Et in Phisicis, ex eo, quia perturbationes sedantur, atque tranquilla fit anima, scientem hominem, & prudentem euadere.

Mag. mor.
li. 2. c. 10.

Phisic. lib.
7. cap. 3.

VIRTUTES MORALES QUOMODO acquirantur. Cap. IX.



VM autem voluntatem, rationalemue appetitum moralium virtutum subiectum esse dicamus; quærendum nunc videtur, quonam modo in hanc subiectam materiam huiusmodi forma introducatur, eique imprimatur. Hoc enim est indagare, quomodo virtutes morales à nobis acquiri possint, quod prorsus maxime omnium est necessarium, vt studiofi redditi rectas actiones sine impedimento edere valeamus. Nam quid, qualisque sit virtus, scire non sufficit, sed oportet agere. Quod quidem etiam

etiam Aristoteles animaduertit, qui ea non vt sciamus, sed vt agamus doceri Ethic. lib. 1. cap. 3. & li. 2. ca. 2.
 dicit, & in magnis moralibus Socratem carpit, quod tantummodo scire doce-
 ret. Ipse verò pollicitus se docturum, quonam modo agendum esset, neuti-
 quam præstitit. Neque enim apparet ex ijs, quæ ab eo scripta sunt, quid sua
 natura velit homo, antequam habitum contrahat; neque quid re ipsa appetere
 debeat, qui studiosus fieri cupit, neque quò actiones illæ dirigendæ sint, ex qui-
 bus est habitus contrahendus. Cùm nihil præterea præcipiat, quàm ad me- Ethic. lib. 2. cap. 6. & li. 3. c. 5.
 dium respiciendum, & bene assuescendum esse. Quæ licet vera sint, nullam ra-
 men addiscere cupienti utilitatem possunt afferre, cum sint vulgarja, cunctis-

- 30 que obuia. Ac si quis ea præciperet cuiuslibet artis candidato, non modo ar-
 tem non docere, sed illum irridere crederetur, si quid se dixisse existimaret,
 quod ad eam percipiendam pertineret. In facultate autem civili, hoc est, in ar-
 te omnium maxima, & præ cæteris maxime necessaria, his solis præceptis ip-
 sum Aristotelem contentum esse, magna est admiratione dignissimum. Ver-
 umtamen præcepta ille non curasse videri potest, propterea quod bonum vi- Ethic. lib. 10. cap. 9.
 rum fieri legibus sit arbitratus: nam ex earum obseruatione consuetudinem,
 ex hac autem gigni habitum oportere. Sed à nobis alibi demonstratum est,
 bonum virum legibus fieri non posse, neque leges omnia imperare, neque ius-
 titiam vniuersalem esse vniuersam virtutem. Non enim cogere ciues, nisi vt
 40 ea agant, sine quibus civilis societas conseruari non potest. Qua rerum agen-
 darum mensura contenti non sunt boni viri, qui humanitatis vi impulsæ, &
 honestatis pulchritudine attracti plurima ad aliorum commodum agunt, quæ
 civilium legum terminis, præceptisque non continentur; quippe quibus nihil
 omnino præter ipsum ius curæ sit. Non igitur ab ijs boni mores sunt expectan-
 di: nam licet earum iussu hoc, aut illo modo agere iuuentis assuesceret; non ta-
 men existimandum esset (vt idem Aristoteles affirmat) totum referre, cum
 non quia agimus tantum morales habitus fiant, sed quia appetimus etiam, at-
 que cognoscimus. Neque igitur morales actiones à legibus, neque ab huius-
 modi actionibus omnia pendent. Nos igitur ad virtutis adeptionem diuer-
 sam penitus ineundam rationem putamus. Siquidem cum tres in nobis sint po-
 50 testates, quæ ad eam rem sunt necessariae, nimirum voluntas, concupiscibilis,
 & irascibilis; cumque suum quilibet obiectum (vt dictum est) attributum sit,
 ad quod libere, nulla aliarum potestatum ratione habita, natura feratur; nulli
 dubium esse credimus, dum ætas infirma est, & nondum accessit rationis vsus,
 puerum, qui suarum actionum dominus sit, & moderatore destituatur, concu-
 piscibilis tantum, & irascibilis obiecta, cum se offerent, secuturum, eaque ma-
 gis, quæ iucundiora videbuntur; ea verò, quæ ad voluntatem tantum spectant,
 vel leuiter cognita, vel penitus incognita neglecturum. Quippe cui na-
 tura de eius salute primum sollicita, vehementiorem sui ipsius amo-
 40 rem indiderit, quàm in reliquum tempus sit necessarium; & id-
 circo ad sui corporis curam, & ad sensuum tantum volu-
 ptatem inquit. Ac si nullo adhibito monitore ado-
 lescat, facile fiet, vt suas appetitiones num-
 quam coercens, in vitia delabatur, & in-
 temperantiæ, iracundiæ, cæterosq.
 virtutibus aduersantes habi-
 tus contrahat, qui vel
 eum, quamdiu vixe-
 rit, comiten-
 50 tur, vel non sine magna difficultate (si profundiores
 in eius anima radices egerint) euelli,
 & in meliores conuerti queant.

DE



T verò si benigniore fortuna vsus bonum educatorem impubes nactus sit, probum scilicet virum, & eruditum, sperare poterit se morales virtutes breui, ac facillè affecuturum. Si autem etiam post habitus iam contractos aduenerit, non desperanda erit adolescentis sanitas, *Si modo* (vt ait Horatius) *cultura patientem praebeat autem*. Nam cum habitus ex frequentatis actibus fiant, ad singulos autem actus cognitio, appetitioque sit necessaria (non enim sponte aget, nisi quod appetet; neque appetet, nisi quod bonum esse cognoscet) primùm profectò boni agibilis cognitio ab educatore tradenda puero est; deinde ipsius cogniti boni appetitio excitanda: nam illam continuò sequetur actio, cuius crebra repetitione gigneretur habitus, hoc est, virtus moralis, quam nunc inquirimus. Agibilis igitur boni cognitio, ciuilis facultatis explicatione tradetur, qua docebitur puer, tum quomodo soli sibi, tum quomodo in cæterorum hominum societatibus, præsertim iuridica, & benefica, & in conuentionibus degendum sit; vt iure, honestateque ducibus, eam felicitatem, ad quam à natura, summoque opifice genitus est, adipiscatur. Huius autem facultatis principia, cum natura constant, & ea in se ipso quilibet optime sentiat, vel puero ipsi haud difficilia cogniti fore, & nequaquam durum ea admittere arbitramur. His autem admissis, cætera, quæ ex his pendent, satis explorata visum iri. Nulla verò causa est, cur non admittat (vt quæ tantum ad virtutem spectant, missis cæteris, repetamus) Humanitatem aut ipsam esse rationalem partem in nobis, aut appetitum illi ingenitum iuuandi homines. Et cum reliqui appetitus sensitiui, sint cum brutis communes, nobis traditi, vt viuamus; hunc solum supra sensus esse, ac vere diuinum, traditumque, vt bene, beateque viuamus, eoque nos (quantum humana conditio fert) Deo similes reddi. Huius autem appetitus, qui, vt cæteri, immodicus est; & nos ipsos nostri oblitos sæpe nimium ad opem hominibus ferendam inuitat, moderamen esse honestatem. Qui scopus est, in quem omnes humanæ operationes tendunt, in eoque omnium rerum agendarum situs est terminus, & humana felicitas. Hoc verò pluribus rationibus, atque etiam exemplis confirmari potest; sed inde maxime fidem sumet, si educator ostendat, ei voluptati, qua quis perfunditur, dum irrationalis appetitus expletur, dolorem ferre, ac dedecus cum pœnitentia admistum esse. Eam autem, quæ appetitu rationali percipitur, solam puram esse, ac simplicem, quam perpetuò omnium bonorum virorum laudes, cum honore, ac gloria comitentur. Puero igitur sic instructo, irrationali facultate quidpiam appetenti, quod minime necessarium sit, negare poterit educator congruum esse, adhibita, si opus sit, causa, qua persuadetur; vel monitu, & hortatu, vel etiam increpatione; quæ omnia ad solam rationalem pertinent: nam ab irrationali parte nihilo magis audiuntur, quàm syllogismi, cæteraque logica argumenta. Eorum autem obiectorum loco, ad quæ puer procliuior erat, proposito quopiam voluntate appetibili, & honesto, ad illud impellet. Atque ita pro irrationalis partis obiectis, cum necessaria non erunt, obiecta suggeret humanitati; qui quidem appetitus, cum eius animæ non minus reliquis insitus sit, verendum non est.

- est, ne quamuis propterea sopitus, ac dormiens, breui etiam temporis spatio expergeat. Cumque hæ facultates animæ nostræ, tamquam harmonici cuiusdam instrumenti nerui sint quidam; non dubium est, humanitatem, si opportune pulsetur, sonum longe suauiore cæteris edituram. Ita ut puer, præsertim liberali ingenio præditus, paulatim ad humanitatis, honestatisque studia inflammari possit; & aliorum appetituum usum, præterquam ubi naturalis necessitas suadebit, reiiciat, & aspernetur; eosque sensim domitos, & voluntati (ut par est) obediens reddat. Quod cum sponte, libenterque agat, iam virtutem erit consecutus, nempe habitum actionibus, quibus assueuerit, similem.
- 10 Nam si iram cohibere assuescat, & lædentibus parcere, mansuetudinem; si verò non cuncta sua commoda in proprios usus conuertere, sed æqualibus pro sua copia impartiri, liberalitatem; eodemque modo cæteras. Ad summam, nulla alia comparandæ virtutis ratio est, quam si irrationalem partem reprimas, & hebescere sinas; rationalem verò stimules, & exerceas: sic enim ex frequentibus illius actibus constantur habitus, & virtus gignitur. Hanc Aristoteles animi robur appellat, existimans ut in corpore, motu, & agitatione vires; ita in animo virtutem exercitatione comparari. Quod prorsus (nisi recte interpretemur) verum non est: nam neque in artibus, neque in cæteris habitibus huiusmodi robur ex puris, nudisque operationibus prouenit, quod earum crebra repetitio talem vim habeat, sed quod artifices, alijque operarij sæpius easdem actiones voluptate perfusas repetendo, peritiores, & propensiores reddantur. Ut igitur in corpore, eiusque partibus, ex motu, & labore augetur calor, vnde fit robur; veluti in dextera exercitata præ sinistra quiescente videmus; ita in anima, eiusque facultatibus, ex actionibus voluptas aduenit; cuius repetitione fit consuetudo, & facultati operanti robur accedit, nimirum cognitio, & appetitio; aliæ verò torpescunt, quia voluptatem non percepere. Fit enim ex repetita voluptate firma memoria, obiectaque illam afferentia assidue expetuntur, & in animo cognitio, vel opinio deliberata infigitur semper eo modo eligendi. Nam cognitio objecti appetibilis non statim, atque illud of-
- 30 fertur animo, firma, & stabilis est, sed indiget tempore, & diligenti animi applicatione, ut confirmetur: sic enim fit vniuersale in parte cognoscitiua, ex eoque habitus in appetitiua. Difficilius verò virtus, quam scientia, aut ars acquiritur, propterea quod scientiæ solus intellectus subiectum est, in quo veritatis cognitio ab erudito præceptore imprimitur. Neque ei, qui doctrina pollet, difficile est, in alterius animum illam transfundere, sibi que simile gignere, positus principijs, atque inde deductis ordine conclusionibus. Nihil enim aliud negotium facessere potest, quam si qua in addiscentis animum opinio falsa irrepserit, qua prius diligenter euulsa, cætera sine vlllo impedimento procedant. Id quod etiam ijs artibus commune est, quarum fines, ut in sua subiecta introducantur, manus opera, aut alterius corporeæ partis non egent; at ubi ea necessaria est, aliquanto difficilior opus expletur, cum non solius intellectus causa laborandum sit, ut cognoscat, sed etiam in manus ipsius exercitatione, ut intellectui facile, & sine errore obediat; ut in scribendi, pingendique arte, alijsque huiusmodi videmus. Is tamen exercitationis labor, ei, qui in cognitionem infumitur, haud est æquandus. At ad virtutis acquisitionem cum pariter cognitio, & exercitatio, seu consuetudo sit necessaria, quarum altera ad intellectum, altera ad appetitum spectat, quamquam ad cognitionem doctrina civilis facultatis exigitur, ea tamen pars, quæ ad consuetudinem pertinet, eam, quæ ad cognitionem, difficultate plurimum superat. Cum exercenda sit rationalis po-
- 50 testas, ut sibi irracionales subijciat. Quæ quidem exercitatio longe omnium est difficillima, cum ei reliquæ potestates nauiter repugnent. Nam ut lædenti parcas, cum potes vlcis, irascibilis non assentitur. Ut cibos, potusque, qui tibi
- suauis

Epist. 51.
in fin.

suaves videntur, vel etiam tuos amores largiaris, concupiscibilis refragatur. Ut pecuniam dono des, neutra probat. Atque ita assidue renituntur, donec parta sit virtus, & ratio sola dominetur. Interim tamen eò laudabilior actio est, quò maior vis irrationali parti honestatis gratia infertur. Cuius quidem laboris causa recte ait Hesiodus, *Virtutem posuisse Deos sudore parandam*. Itaque non cogitur mens virtutes recipere, quas inexperta formidat (vt censet Seneca) sed coguntur potestates minus dignæ parere digniori, eamque assuescunt in operationibus honestis non impedire. Cum autem alios ad alias virtutes, itemque vitia videamus natura proniores, siue quod iam inde ab initio, dum ætas tenera, & infirma est, ex primis illis, rudibusque actionibus, qualescumque sint, nonnullæ dispositiones gignantur; siue quod latentia quædam cum lacte, moribusque nutricum imbibantur virtutum, vitiorumque semina, quæ sensim augentur in infantium animis; siue potius (vt Galeno placet) quod naturales animi mores corporis temperiem sequantur; non dubium est, quin ij habitus, ad quos natura propensiores sumus, siue boni, siue mali sint; modò in illis exerceamur, à nobis facilius cæteris contrahantur. Quidam enim ad temperantiam, quidam ad fortitudinem nati videntur, quidam verò non pauciores ad harum virtutum contraria vitia sunt procliuēs; ita vt conijcere liceat, eos exigua opera has virtutes assecuturos; hos autem quamlibet magno studio, ac diligentia, nihil minus, quam temperantes, aut fortes fore. Qui tamen non omnino sunt negligendi, ne incuria ignauissimi, intemperantissimi que reddantur. Cum verò educatio ad virtutem comparandam summe necessaria sit, eius ratio pro alumni ætate, & qualitate instituenda est. Alia enim præcepta impubes, alia pubes exposcit; alia nobilis, alia ignobilis; alia qui est operam armis daturus, alia qui litteris; alia priuatus, alia Regius puer. Conandum tamen, vt cuncti primum veram religionem agnoscant, Deumque pie, & ex animo colant. Deinde vim humanitatis, & honestatis perceptam habeant, & vt de ingenito in se ipsos amore non nihil detrahentes, in socios, vel subditos transferant, eosque pro dignitate iuuare, & oblectare discant, non modò re, & verbis, sed & motu corporis, & aspectu, abhorrere autem ab ijs, quæ sunt contraria. Ita vt nihil in eorum consuetudine sit, quod non probes; nihil penitus, quod molestiam afferat; quod quidem facile fit, si assuescant maiores reuerentia, & debitis obsequijs prosequi; eosque, si prudentes sint, obseruare, atque imitari; pares caritate, & moderata humanitate complecti, ac si studiosi sint, æmulari, & virtute superare contendant; minores honestatis causa fouere, eosque docere, si quid plus norint, & eis communicare, si quid plus habeant. Interim tamen curandum, ne quando discant, velint, aut possint vetitis voluptatibus frui, neque congrua officia intermittere; ac si peccauerint, pænitere parati sint, & pœnas debitas non recusent.

40

DE VITIIS, ET QUOMODO CONTRAHANTVR.

C A P. X I.



ORRO cum virtutes manare ab humanitate dicamus, suspicari quispiam posset, vitia, cum illis contraria sint, à contrario principio, quod sit in nobis, nimirum ab immanitate procedere. Cumque virtus sit habitus iuuandi per se, vitium contra habitum esse per se lædendi; quod tamen aliter se habet. Nam virtus humanitatis, seu principij beneficia conferendi in homine perfectio est. At vitium non immanitatis perfectio (neque enim tale principium inest homini secundum naturam) sed perfectionis eiusdem humanitatis defectus est, & contrariæ cuiusdam

cuiusdam qualitatis positio. Immanitas autem, neque principium est nocendi per se, neque absoluta reperitur in homine; sed ille immanis appellatur, qui ab humanitate quàm longissimè abest; & pro minimo suo commodo, maxima aliorum quærit incommoda. Quo differt ab iniusto, qui primum quidem sua commoda appetit, secundò verò loco aliena incommoda, sine quibus id, quod appetit, consequi nolit. Itaq; intra iniustitiæ, immanitatisq; terminos tota latitudo læsionum, vitiorumq; continetur. Etenim qui paratus est pro suo magno compendio alios parùm lædere, iniustus est; qui verò pro suo exiguo commodo plurimum nocere, immanis. Magna enim damna, si magni emolumentis gratia inferantur, ab immanitatis appellatone nocentem liberant. Hæc autem non naturæ, sed peruersæ constitutionis affectio à prava potissimum educatione proficiscitur. At verò, ut omnium moralium virtutum fons est humanitas, idest appetitus iuuandi alios, ita omnium vitiorum fons, & origo cupiditas, nempe immoderatus appetitus proprii commodi, quam aptissimè Diuus Paulus omnium malorum radicem vocat; cuius Aristoteles infinitam dicit esse naturam, & ad eius expletionem plurimos viuere. Hanc autem Galenus *ἀνοπισία*, idest insatiabilitatem appellat; vnde asserit cuncta vitia provenire. Cum enim nostra sensitiva potestas in societate refracta, repressaq; non est, sed liberè vagari permittitur, aliena cogitur appetere; quod sanè vitium magnum est, cum cætera vitia inde fluant. Nam si plura quidè commoda cupiat, non tamen aliena, videbitur, veluti civilis vitæ artifex, ad sui finis ademptionem, plura ijs, quæ habet instrumenta, vel maiora optare. Qui prorsus (si finis sit rectus) nullus est error. Ut si Tibicen multas, magnasq; tibiass; aut miles plures, longosq; gladios, sine alieno tamen detrimento expetat. Hæc autem, quam cupiditatem nunc dicimus, ipsa est irrationalis potestas, & appetitus noster sensitivus. Duo ergo sunt in nobis omnium nostrorum habituum fontes; rationalis quidem appetitus, siue humanitas bonorum, nempe virtutum; irrationalis verò, siue cupiditas malorum, videlicet vitiorum.

¶ Nam cum nobis vterque appetitus natura insit; & ante contractos habitus utroque arbitrato nostro æque uti possimus; prout nos eorum obiectis trahendos, siue natura stimulante, siue educatore monente permittimus; si alterum sequamur, puta rationalem, irrationali represso; pro actionum diuersitate, diuersas virtutes adipiscemur, secundum quas studiosi, & boni viri dicendi erimus: si verò secundum omnes, absolute studiosi, & boni. Sic, si irrationali parte, non naturalis necessitatis causa, sed superflue voluptatis utamur, rationali deside, & ociosa manente, pro actionum similiter differentia, varia vitia consequemur, secundum quæ nos vitiosos, & malos appellare licebit. Si verò eatenus malitia crescat, ut solo irrationalis partis vsu delectari, ei assuescamus; cuncta vitia contrahemus, quæ in idem subiectum simul conuenire apta sunt; ac tum absolute vitiosi erimus, & mali: vitia enim simul omnia contrahi ab vno nequeunt; cum eorum pleraque, quæ inter se contraria sunt, ut prodigalitas, & avaritia, se inuicem pellant. Atque hæc ratio, & modus est, omnes prorsus virtutes, ac vitia omnia contrahendi, quæcumque homini inesse possunt, & humanæ comparandæ probitatis, atque malitiæ. Aristotelis autem sententia, quemadmodum qui putat aliquid hoc se modo, quoad cognitionem, habere, & reuera aliter se habet, ignarus est; ita qui aliquid appetit, putans esse bonum, & reuera non est, malus dicitur; ignarus quidem ex cognitione; malus autem ex appetitu, seu operatione. Hoc verò, si in anima nostra sola ratio esset, fortasse recte procederet; cum autem aliæ quoque potestates insint, malus profectò non nisi decepta, vel sprete ratione euadet. Nam neque sicarius vllus; aut veneficus tam barbarus

Polit. li. 2.
c. 5. in fi.

Ethic. lib
3. cap. 1.

barus est, & immanis, ut delere homines bonum putet; sed vel metu, vel amore impulsus; ut aliud malum vitet, vel assequatur bonum, quod non ad rationalem partem, sed ad irrationalem pertinet, facinora illa aggreditur: obiecta enim, & voluptates vnius facultatis sequitur; cum ea, quæ alterius sunt, sequi oporteret. Propterea, contracto iam habitu, dicere cogitur, quod apud Ovidium Medea -- *Vides meliora, proboque, Deteriora sequor*. Nam, qui ratione non diiudicat, dicitur ignarus: veruntamen, in quibus vitia consistat, nemo ignorat; sed ob irrationalis partis exercitatae robur, & ob rationalis in exercitatae imbecillitatem, prava expetit, recta dimittit. Non igitur verum erit, omnem malum ignorantem esse, vel contra; sed potius nullum: alioqui haud suo merito puniretur. Vitiosus enim ius, & honestatem cognoscat oportet; & probe advertat, quod hoc modo agens, iniuste agit, vel turpiter: nihilominus suæ voluptatis, & commodi causa, hanc iniquam, turpemque actionem iustæ, vel honestæ anteponit. Itaque non ignorat vitiosus finem; sed ad illum suas operationes non dirigit, & medico illi similis est, qui non ægrotantis valetudinem, sed lucrum quarit: ac propterea, cum idem necessario non sint, alterum contemnit. Nunc, quoniam virtutem more artis procedere diximus, vitia circa eam, non secus ac circa artem considerata esse censemus. Nam ut omnia præcepta, quæ ad omnes artes communiter spectant, virtutem comitantur, tam universè, quàm sigillatim; sic cuncta, quæ in artibus vitia contingunt, etiam in virtutum progressu reperiuntur, non minus in cognitione, quàm in operatione, & in cunctis terminis: ut si vitia sumantur à tempore, quod serius incipiat quis socio opem ferre, aut inceptum motum lentè prosequatur, aut non in congruo temporis spacio illum absoluat. Et omnino longe virtutibus plura esse vitia necesse est; nec bina tantum cuique virtuti opponi, neque tantum secundum magis, & minus: rectè enim Aristoteles bene agere simplex esse dicit; male verò agere multiplex. Nam nomina, & habitudines sæpe differunt; non enim avarus, aut prodigus, qui serius, aut citius donat, cui, & quantum oportet, sed alio nomine est appellandus.

Ethi. lib. 2.
cap. 6.

HABITVS TAM BONOS QUAM MALOS MUTARI INVICEM POSSE, & PRIMUM QUOMODO EX BONO FIT MALUS.

C A P. X I I.



VO nam modo à nobis, tam boni, quàm mali habitus, virtutes videlicet, & vitia contrahantur, ex ijs, quæ diximus patet; nimirum ex similibus actionibus, repetitaque in agendo voluptate, qua consuetudo fit, & facultatis operantis robur augetur. Ea verò facultas, quæ illam non percipit, ocio imbecillior reddita; minus ei negotium facessit. Quor autem similibus actionibus acquiratur habitus, incertum est; illud constat, quod cum ex repetita voluptate proveniat, quo ea crebrior, maiorque erit, eo citius contrahetur. Cum enim illa secundum facultatem, quæ operatur, agentis perfectio sit; quodlibet autem ad suam perfectionem quodam impetu naturæ feratur: quanto voluptas intensior, tanto agens ad eam comparandam proclivior, & ad actiones multiplicandas, unde ea aduenit, propensior erit; ita ut habitus ex frequenti vehementioris voluptatis repetitione celerius (ut diximus) coalescat. Cumque easdem actiones iterare quispiam expetet, & non modò sine dolore, aut labore peraget, verum etiam molestè ab ijs abstinebit; tum contractum iam esse habitum affirmare licebit. Nam ut manus ex assiduo mallei, aut ligonis usu cal-

lum

- lum contrahit, quo contracto, eosdem labores leuius perfert, & easdem facilius edit operationes; ita animus, quasi quemdam ex repetita voluptate calum contraxerit, ad easdem operationes, vnde illa procedit, facile, libenterq; reuertitur. Tunc igitur habitum contractum dicimus, hoc est impressam animæ qualitatem difficulter quidem mobilem, quam tamen in moralibus habitibus nos aliqua ratione ab ea remoueri posse censemus. Siquidem, cum ea qualitas, siue habitus, potestatis assuetudine, & actuum frequentia in animâ imprimatur, bonus quidem rationalis potestatis, malus autem irrationalis; vt immutetur habitus, necesse est immutare actus; vt verò actus mutantur, mutandus est appetitus, cognitioq. boni agibilis: vt scilicet id obiectum, quod antea videbatur bonum, malum postea videatur, & aliud contra, quod malum apparebat, incipiat bonum videri. Qua ratione in ab lactandis infantibus nutrices vtuntur. Vt enim clauus clauo pellitur; ita actus actu, & habitus habitu. Itaque si proponatur iuuenis quapiam virtute præditus, puta temperantiæ, non dubium est, quin concupiscibilem potestatem cohibendo, & eius obiecta, nempe libidinem, auersando, ab eo habitus ille contractus sit, quem conseruabit, donec idem vitæ institutum sequatur, eademq; obiecta detestetur. Quod si vitæ, vel educationis rationem paulum immutet; prauorum sermone, & consilia audiat; exempla non vitet; nobilia demum obiecta concupiscibilis potestatis admittat; fieri vix potest, vt in tam lubrico itinere incautus ambulans, occasionem peccandi nactus, præceps non labatur, hoc est, dimissa in præsens rationalis facultatis exercitatione, non se confestim libenti animo ad concupiscibilis vsum conuertat. In quo si diutius perseueret, facultatem pro facultate, & actus pro actibus exercēs, & quasi telam retexens, iam temperantiæ habitum cum intemperantia, virtutemq; cum vitio commutabit. Quod quidem longè facilius erit, quàm in virtutem vitium vertere; cum homo ab ineunte ætate assuefactus, ad libidinem valde sit procliuis: nam *facilis (vt ait Poeta) descensus Auerni, sed renocare gradum superasq; euadere ad auras, hoc opus, hic labor est.* Propterea voluptatem sensui afferentia obiecta,
- 3^o e iuuenis conspectu, quem temperantem fieri, aut seruari volumus, quàm longissimè sunt ableganda. Neque enim existimandum est, dum rationalis facultatis exercitationi incumbit, irrationalem partem, licet desidem, contabescere prorsus, aut interire; sed hebetiorem tantum (vt diximus) reddi, & segniozem; hoc est, à suis obiectis, dum absunt, minus acriter, vehementerq; attrahi, quàm consueuerat: si tamen illa offerantur, apparebit paulomagis illius vim sua cessatione extinctam esse, quàm ignis, si quis forte cinere illum obduxerit. Nam concupiscibilis facultas non magis assuefieri potest, ne appetat, quàm oculus, ne videat, præsertim si voluptatibus iam assueuerit: facilius enim virgines, quàm viduæ suas appetitiones coercent: ac rarò quidem dabitur iuuenis ita temperans, vt puellam forma præstantem, quam videt, minimè appetat. Etenim licet concedamus oculum tenebris assuetum lucem ferre vix posse, eodemq; modo potestatem concupiscibilem, hebetiorem ocio redditam, se ad voluptatem habere; vt tamen non facilè videmus illum ita desuescere, vt omnino non cernat; sic neque hanc, vt omnino non appetat, quod sua natura sit appetibile. Nam quæ tanta consuetudinis vis iuuenem ab appetitu puellæ formosissimæ auertet, quam ducere vxorem non licet; ab appetitu verò valde deformis, quam ducere liceat nõ auertet? Itemq; in gustu, quæ tanta fieri immutatio consuetudine potest, vt magis vappa, & ole ribus, quàm falerno, ac perdicibus delectetur? Non igitur solius consuetudinis
- 5^o opera hæc euenire censendum est; sed, cum ex vnus facultatis voluptate sæpe alterius dolor sequatur, ea assuescimus appetere, quæ solâ voluptatē adferunt sine dolore. Quod si cuncta illa obiecta noitra fiant, non dubium est, quin simus

sententiam mutaturi; cum sopitæ vel præpeditæ potestates redditæ sint, verius quàm penitus desuetæ. Nam testantur grauiâ sanctissimorum virorum religionis nostræ dicta, factaque, quàm facile sit naturaliter in peccata omnia, sed præcipuè in libidinem labi. Paulus enim queritur, se stimulo carnis vexari. Hieronymus in corpore suis appetitibus præmortuo, vigere libidinum incendia. Nazianzenus carnem incusat, quòd in sua canitie finem petulantia non imponat; cumq. nullum idoneum remedium se expertum ad eam edomandam dicat, mortem desiderat. Bernardus, cum fœmina semper esse, eamq. non cognoscere, maius miraculum iudicat, quàm mortuos suscitare. Benedictus in Vepribus se uolunt, vt, lacerato corpore, voluptatis sensum dolore 10 opprimat. Plurimi, vt ab obiectorum periculis se abiungant, latebras petunt, corpus ieiunio macerant, dant operam, vt cupiditas semper eos inueniat occupatos. Et, nisi assiduè luctentur, castitatem suam turam non ducunt. Innumera autem afferri eorum exempla possent, qui temperantiam diu professi, peccandi opportunitatem adepti, repente conciderunt. Et admirationi sunt nonnulli, qui libidinis stimulis resistere. Quo fit, vt continentem quidem Aristotelis dari facile putem, temperantem verò difficillimè. Illum enim à voluptate abstinere ait, sed cum dolore, hunc autem sine dolore, & à voluptate non allici. Quod sane non facile fiet, nisi corporea instrumenta, vel ætate, vel morbo inefficacia reddita sint. Quamquam ille apud Comicum *Ennuchos* 20 quoque amatores mulierum dicit esse maximos, sed nihil posse; vt appareat, facultatis vim, neque etiam instrumentis ademptis, extinguere. Neque solam ætatem quàmlibet grauem facultatis impetum retundere, nisi ab habitu accedat auxilium. Pars igitur irrationalis, in suorum obiectorum præsentia semper excitatur, & appetit, & si abstinat, ægre fert: verumtamen, cum rationalis suis interim operationibus delectetur, fit, vt ea molestia, aut non sentiat, aut longè minus, quàm sentiretur ab eo, qui voluptatem animo non perciperet, sed ab obiectis, vi, meruere cogere abstinere. Hæc à nobis eo pluribus aguntur, vt appareat, bonum habitum, nempe moralem virtutem, facillimè in malum, vitiumve mutari posse; & omnium maximè temperantiam; cum 30 ei acer aduersarius assiduè instet, & quælibet res non difficulter ad suam naturam reuertatur. Quocirca diligentissimè curandum est, vt boni mores non solum acquirantur, sed & summo studio conseruentur; nimirum eadem disciplina, iisdemq. artibus, quibus ab initio parti sunt. Nunc, quomodo ex malo habitu bonus fiat, dicamus.

QUOMODO EX MALO HABITU FIT BONVS

CAP. XIII.



I igitur mutandus est habitus, mutare actus necesse est; ad quorum mutationem, cognitionis mutatio, & appetitio- 40 nis exigitur, quæ non fit, nisi mutato obiecto. Mali autem habitus, siue vitij, & irrationalis facultatis obiectum, est voluptatis sensitiuæ, vel proprii commodi allatiuum. Boni verò contra, est voluptatis rationalis, vel alieni commodi allatiuum obiectum. Prauum ergo habitum mutare in bonum appetenti, hæc inter se obiecta commutanda sunt: nam, vt ex cognitione, & appetitione sensitiuæ voluptatis, sequebantur actiones prauæ, & ex his repetitis, repetita voluptas, vnde consuetudo mala, atque habitus, videlicet vitium; ita ex appetitione alieni commodi, bonæ operationes proueniunt, cæteraq. contraria, & demum virtus; cum contrariorum contraria sint conse- 50 quentia. Quæ quidem mutatio longè priori difficilior est, nec immeritò, vt difficilior est aduerso, quàm secundo flumine nauigare; cum alteri naturæ scilicet


scilicet irrationali iam à primo nostri ortus initio proprijs voluptatibus assuetæ contra naturam sit, proprijs relictis, alienis non dicam assueferi, sed acquiescere; verum tametsi difficile admodum esse, fieri tamen posse putamus. Atque in artibus quidem, tum mali euadunt artifices, cum temere colligunt vniuersalia, & ita incipiunt operari, vt se recte efficere credant; cumque errorem non agnoscant, assuefiunt. Sed in illis cum aliæ potestates non aduersentur, statim mutata opinione, aliter operantur; quod in ciuilibus actionibus similiter fieret, nisi præter rationalem potestatem aliæ quoque cognoscerent, & assuetudine robustiores redderent illam negligenter. Cognitio igitur in eo, qui perperam agit, primum immutanda; quod fit admonitione erroris, & boni agibilis indicatione, nempe ostendendo obiectum facultatis, quam sequitur, quod optimum videbatur, bonum non esse; cumque in electione valde deceptum, cum voluptas inde adueniens impura, apparentque sit, doloresque haud leues admittos habeat, periculaque famæ, fortunarum, valetudinis, vitæ, nec non bona certa amittendi, eosque lædendi, qui sint carissimi. Et è contrario facultatis, ad cuius exercitationem inuitamus, obiectum, siue voluptatem puram, simplicemque esse; vnde bona cuncta, mala nulla proueniant, videlicet honor, salus, necessariorum lætitia, verumque gaudium, ac beatitudo. Ex qua cognitione appetitus profectò obiecti pro obiecto sequetur. Nam si id vere cognoscatur malum esse, reijci omnino necesse est; si hoc vere bonum, fieri non potest, quin appetatur. Sed & ipsi appetitui, ne lentus sit, stimuli addi possunt, exempla, preces, pollicitationes, itemque increpationes, minæ, verbera; ita vt cogatur vitiosus, facta obiectorum inter se diligenti comparatione, & æstimatione; hoc pro illo eligere, vnde bonæ actiones loquentur, vitioque exterminato, succedet virtus. Hoc tamen non facile, vt dictum est, nec celeriter fiet. Neque enim ipsum vitium temporis momento, sed post aliquod spatium contractum est. Nec ex morbo lente contracto cito homines conualescunt; neque callus vnica manuum ablutione detergitur, sed prius à lagonis vsu abstinere oportet, deinde paulatim mollem reddere locum, & in naturalem statum reducere. Sic in anima, prius à peccatis, siue ab illius habitus actibus abstinendum; deinde contrariæ virtutis actionibus incumbendum est, vt vitio expulso, virtus succedat, quam, nonnulla adhibita diligentia, securam non dubitamus. *Nemo enim* (vt ait Horatius) *adeo ferus est, vt non mitescere possit.* Verum tamen Aristoteles vitia incurabiles esse ægritudines statuit, principiumque corrumpere, ac vitiosum neququam pænitere, quem autem non pænitet, incurabilem esse. Propterea vitij remedium vllum adhibere non docuit. Quam sane sententiam haud temere admittendam censemus; quandoquidem (si eam cæterorum more interpretemur) non solum rationi, & experientia, verum etiam eius doctrinæ aduersari videtur. Quod igitur rationi aduersetur, ex his manifestum fiet. Nam principium neque à vitio, neque ab alio quoquam corrumpi potest, cum sua natura incorruptibile sit, & perpetuum. Id enim, quod est intellectus circa cognoscibilia respectu scientiæ, est voluntas circa agibilia respectu electionis. Nam vt intellectus est principiorum, ita & voluntas finis; & vt ex principijs eliciuntur conclusiones, ita ex fine electiones, quæ ad ipsum tendunt. Hic autem finis re ipsa (vt iam dictum est) aut est ius, aut honestas, cum nullus præterea dari finis bonus in rebus agendis possit, qui virtute conseruetur (vt ipse ait) vitio verò sit corruptibilis, præter eos, qui rationalis facultatis fines sunt, & obiecta. Sunt enim id, cuius gratia, quod (ipsius sententia) principium in actibus est, perinde ac suppositiones in mathematicis. At ij, tantum abest, vt vitio corrumpantur, vt nisi à vitioso, dum operatur, probe cogniti, perceptique sint, prauus dici non queat, cum eos cognoscere quidem illum dixerimus, sed ad eos suas operationes minime dirigere. Quod si magis Theologis nostris assentiri placet, hæc principia non virtute vel naturali, vel

assuetudine parta (sicut ipse dicit) percipiuntur , sed vt intellectui speculatiuò inditus à natura est habitus principiorum , quo circa ea dirigimur , quæ in speculatione versantur , qui pariter intellectus dicitur ; ita actiuo intellectui alius est ingenitus habitus , quo circa agibilia dirigamur , quem Græci Theologi *σωτηρίων* , id est , conseruationem appellant , quod diuinum in animo nostro lumen , naturæque leges conseruet , & incitet continenter ad bonum , reuocetq; à malo ; quem quidem habitum perpetuò ipsi intellectui actiuo inesse contendunt , ab eoque numquam separari . Patet igitur ex his , rationi consonum non esse , vt principium vitio corrumpatur . Illud etiam non penitus verum est , vitiosum incurabilem esse , propterea quod eum non penitet . Si enim vitium sit incurabile , virtus immutabilis erit ; cum contrariorum (vt diximus) contraria sint consequentia . Credibile est autem , quosdam non penitere , quoniam non animaduertunt errare se , sed si monitores nacti fuerint , ad meliorem frugem reuersuros . Nam multa (vt idem affirmat) præter consuetudines , ac præter naturam agunt homines , propter rationem , si persuadentur melius esse aliter agere . Quod quidem a deo perspicuum est , vt verbis minime egeat . Plurimos nam affidue videmus perditos homines , vel per se ipsos , vel alieno monitu , ac consilio , ceu expergestos , de vitiorum cœno emergentes , suosque veteres mores detestantes , in virtutes vitia commutare , cunctisque deinceps probitate vitæ , ac sanctitate , exemplo , & admirationi esse . Neque verò hæc mutatio valde difficilis existimanda est , ea consideranti ; quæ ipse Aristoteles cum de amicitia sermonem facit , de improborum angore , ac miseria asserit , quos tum sibi ipsi amicos negat , tum etiam (contra quàm superius dixerat) penitentia refertos affirmat . Impenitentes profecto esse nullo modo possunt , cum vitiosi habitus consuetudine , non natura contracti sint ; facilius verò est consuetudinem , quàm naturam mutare . Propterea cum in magnis moralibus intemperantem dixisset malum esse natura , incontinentem autem consuetudine , in Ethicis immutauit . Natura verò malum ibi appellauit , quasi perpetuò malum , incontinentem autem ex consuetudine , quasi non perpetuò , sed aliquando malum , cum natura (eius sententia) sit ipsius semper , consuetudo verò ipsius sæpe . Nos igitur cum existimamus vitiosum esse , qui nec iusto , neque honesto delectetur ; vel qui ita comparatus est , vt beneficia conferre nolit , aut saltem à maleficijs abstinere , & paria socijs commoda reddere . Et ex bono fieri malum , vel ex malo bonum , nihil præterea esse , quàm dimisso vnus ex nostræ animæ potestatibus vsu , alia quapiam operari , prout dictum est . Itaque qui negaret hominem posse , bonum , aut malum vicissim fieri , videretur arbitrij libertati repugnare , quæ licet cuiilibet , vbi vult , quamlibet facultatem sequi . Quod etiam consilia , monitiones , hortationesque testantur , quæ inania essent omnia , nisi immutare cognitiones , appetitus , & actus , & facultatum exercitationes liceret ; ex quarum immutatione immutari habitus , & probitatem , aut prauitatem necesse est .

FINIS LIBRI DECIMI.



AD O-



AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

E P I S C O P I C A E S E N A T I S

D E C I V I L I F A C U L T A T E

Liber Undecimus.



D E P R U D E N T I A.

C A P: I.



VERVM cum sine prudentia morales virtutes esse non possint: ea enim cunctas format, & dirigit, de ea dicere necessarium est, praesertim cum Aristoteles in sola eius definitione civilem facultatem omnem locare videatur. Nam actione secundum virtutem perfectam felicitatis loco proposita, cum tradere exacte debuerit, tum quænam sint virtutes, quæque earum perfecta sit, tum verò quonam modo

- 40 singulæ actiones secundum virtutes exercendæ sint; de virtutibus quidem tradit, quæ ei sufficere visa sunt, de actionibus verò nihil, omnino aliud docet, quàm eo modo agendum esse, quo oportet, & ut recta ratio præscribit. Non secus ac si medicus, ut valetudo comparetur, curandum esse ægotantem dicat, ut oportet, & ut ars dicat; aut iurisperitus, ut restituatur ius, faciendum esse damnum iudicet, ut oportet, & ut leges iubent: Quibus præceptis ut nullus fieri medicus, aut iurisconsultus, nec recuperare quisquam valetudinem, aut ius potest; ita ex huiusmodi doctrina civilem artificem fieri neminem posse, neque felicitatis compotem censendum est. Quam quidem difficultatem, cum probe animadvertisset, initio eius libri, quo de intellectivis virtutibus agit, accurate proposuit, eique obuiam progressus est. Quo loco cum id vnum expectandum ab eo videretur, nempe ut doceret, quo tandem modo ratio recta agendum præscriberet, id sane nullatenus explicat, sed tantum re-

Ethic. lib. 6
cap. 1

ctam

Eth. lib. 6.
cap. 5.

Etiam rationem dicit esse prudentiam, quam definiens, habitum esse rerum agendarum asserit vera cum ratione. Nec toto præterea opere quidquam addit, quod ad eam difficultatem, vel ad morum disciplinam pertineat, ijs exceptis, quæ ad continentiam, & voluptatem, quæque ad amicitiam spectant: ratus nimirum ea definitione rationis rectæ, siue prudentiæ, se civilem ita absoluisse philosophiam, ut nihil desiderandum relictum sit, sed cognoscere inde

Mag. mor.
lib. 1. c. 1.

lectores possint, quid, & quomodo agere oporteat, ut prudentes fiant, & felicitatem adipiscantur. Quasi iudicaret (ut etiam alicubi asseuerat) definita probe scientia, aut arte, qui eam definitionem teneret, simul etiam futurum artificem. Ceu si quis artem curandi diceret medicinam esse, eiusque definitione existimaret se vniuersam tradidisse doctrinam, qua bona valetudo repararetur.

Ethic. lib. 6.
cap. 3.

Quod quam longè absit ab absolutâ facultatis alicuius traditione, nemo non videt. Sed ut vera sint omnia, quid tamen, aut quomodo agere oporteat, ut prudentia in buti propositum, optatumque finem adipiscamur, nusquam apparet. Si igitur prudentia pro vno ex quinque habitibus sumatur, quibus intellectus (Aristotelis sententia) verum dicit, neque appetitui applicetur, à civili facultate minime differt, quæ rerum agendarum, & bene viuendi est ars, quam veluti cæteras artes simul cum affectibus esse nihil prohibet. Si verò prudentia non intellectum tantum informare, sed appetitum quoque dirigere dicitur; iam non erit simplex intellectiua virtus, sed mixta: nam pro composito ex facultate civili, moralibusque virtutibus capietur; cum civilis facultas intel-

Ethic. lib. 6.
c. 12. & 13.
& lib. 7.
cap. 8.

lectum dumtaxat actiuum instruat, eique agendarum rerum cognitionem ministret, quæ vera ratio actiua est. Rectam autem rationem tunc esse Aristoteles autumat, cum ab affectibus suum munus obire non impeditur. Domita enim parte irrationali, ita ut rationali obediat, rationem continuò rectam esse, prudentiamque existere, & illius cum moralibus virtutibus nexum fieri. Namque ijs irrationalem partem instructam, atque cohibitam, rationalem, quin proprium munus exercent, non impedire. Etenim virtus (eius opinione) propositum facit rectum, & conseruat principium, qui est finis, & cuius gratia, atque is non nisi studioso, bonoque viro videtur, prauitas autem (ut dictum est) illum corrumpit, sine prudentia verò ad eum non peruenitur: hac enim recta fiunt ea, quæ ad ipsum perducunt. Ad singulas igitur actiones probas vtraque necessaria est, neque sine virtute prudentiæ esse potest, neque proprie virtus sine prudentia, & ex altera altera infertur. Vtraque igitur vtrique est causa, ut sit, videlicet moralis virtus prudentiæ, & vicissim hæc illi. Qui quidem circulus, præterquam quod alibi Aristoteli nequaquam probatur, & prorsus inanis est, illud secum incommodum asserit, quod nisi quis absolute sit bonus, nempe cunctis virtutibus præditus, prudens non erit. Præterea si quis vnam virtutem habet (cum prudentiam habeat) cunctas habet; si vna caret, omnibus destituitur. Quæ sane omnia ab ipsa experientia, & à communi hac de re hominum opinione abhorrere videntur. Nam non in singulis modò hominibus, verum etiam publice populis aliæ virtutes laudari, aliæ desiderari videntur. Plato enim Spartiatis fortes, ac temperantes vocat, iniustos tamen. Massilienses iusti, ac temperantes habiti sunt. Romani fortes, ac iusti. Alijque populi virtutibus alijs florere. Sed & ipse nonnullos homines meticulosos, liberales tamen esse dicit. Diogenes quoque Laertius dixisse illum asserit, virtutes se inuicem minime consequi: posse enim aliquem prudentem, iustumque esse, in-

Ethic. lib. 3.
cap. 6.
In Aristot.
lis vita.

temperantem tamen. Quod rationi consentaneum est: nam si virtutum habitus ex frequentatis actibus fiunt, & non confertim omnes quasi diuinitus infunduntur, pauper, qui in actibus temperantiæ exerceri potest, in ijs autem, qui ad liberalitatem spectant, non potest, temperans fortè, non tamen liberalis euadet; idemque in cæteris. Etenim tam multæ, diuersæque inter se sunt mo-

rales

rales virtutes, vt difficillimum sit in omnium, & singularum actibus quemquam exerceri; præsertim cum in plerisque occasio, vel materia desit; & natura non æquè ad cunctas propensi simus. Non igitur (vt ipse ait) ita hæc se habent; vt à se mutuò pendeant, prudentiæq. principia à virtutibus ipsis emergant, rectum verò morum virtutum à prudentia manet; sed cognitio ad singulos actus necessaria est, & semper est causa habitus. Nam si intellectus actiuus requiritur (ipsius sententia) vt eligamus, eoq. cognoscimus finem, absque dubio prudentiæ opera, quæ illius virtus est, non solum quæ ad finem verum etiam cognoscemus, & appetemus finem, prout idem affirmat, non modo in Ethicis, sed etiam cum de anima sermonem facit. Non igitur virtus propositum efficit rectum, cum semper pendeat à cognitione, ita vt, seu finem velit, seu ea, quæ ad finem, semper prudentiæ beneficio rectè velit. Morali ergo virtuti plura tribuit, quàm oportebat; nec circulus ille probandus est: cuiuslibet enim actioni cognitio, & appetitus inest, ex aliaq. eiusdem rei cognitione alius oritur appetitus; ita vt cognitio semper præcedat, neque ex virtute fiat prudentia, sed dumtaxat ex prudentia ipsa virtus. Neque verò omnes in eo sunt virtutes, qui vnam habet: nam licet concedamus, sine prudentia non esse virtutem, tamen pro virtutum speciebus dicimus prudentiæ species diuidendas. Nam potest quis esse prudens in bello, non in eroganda pecunia; eodemque modo in cæteris. Cæsar enim in re militari prudens fuit, vereq. fortis, donec pro patria pugnavit, at idem prodigus, & fortasse intemperans, prout etiam Alexander. Non igitur est inconueniens, vt vna tantum quis, aut altera præditus cæteris careat; neque vt cum vna tantum, aut altera prudentia insit; cum eius species euidentes sint, nec quisquam absolute sit prudens. Diuersi autem dantur prudentiæ gradus: siquidem ille in communi vsu vitæ prudens habetur, qui ea, quæ videntur esse homini bona, malaq. non ignorat, eaq. prosequitur, quæ sibi, suisq. bona esse cognoscit; cæteros verò, si minus iuuat, certè non lædit, sed *innocens vita, scelerisq. purus* (vt ait Horatius) existimatur; eo prudentior, qui plura cognoscere creditur, & sibi & alijs præsidio esse; prudentissimus ille, quem nihil latere, & priuatim, ac publicè omnibus, opera, & consilio prodesse homines arbitrantur. Hunc ergo si deficiat vrbinitas, aut elegantia, aliavè è tot virtutum numero quæpiam, quis iccirco minus prudentem dicendum censeret? Quin plurimi prudentissimi habiti sunt, vt Catones, à quibus hæc virtutes quàm longissimè abfuerunt, eosq. stoicorum more seueritas potius decere visa est. Ac Socrati quidem, septemq. illis sapientibus (quò tum nomine prudentes appellabantur) quot virtutes defuisse putandum est, cum diuitias ita aspernarentur, vt projicere eas mallent, quàm liberaliter dono tradere?

Haud igitur incongruum est, aliquas ex moralibus virtutibus prudenti deesse; verum etiam, neque morali virtute prædito, prudentiam propriam abesse. Propriam dico, cum puero liceat morales virtutes educatoris prudentia consequi: nihil enim refert, cognitionem propriam quis, an alienam in agendo sequatur.

Ethic. lib.
10. c. 8.Ethic. lib.
6. c. 2.De anima
lib. 3. c. 10.

QV ID SIT PRVDENTIA.

CAP. II.



OS igitur prudentem esse illum statuimus, qui civili facultate imbutus, nemini nocet non laceffit, iuvat quos potest. Neque enim sola affectuum moderatione rationis rectitudo aduenit, quæ cum prudentia est eadem, sed civilis quoque artis accessione. Inter civilem autem, prudentemque hoc interest, quod civilis in cognitione, prudentis in exercitatione est esse. Prudentia igitur civilis facultatis est usus, vel exercitatio; consuetudo, & habitus eligendi, aut agendi, quæ dicat civilis facultas: Est enim perfectio quædam in ordine ad operationes; ita ut prudens non solum cognoscat, sed eligat quæ agenda sunt: & non est sine virtutibus (licet civilis facultas etiam cum vitijs consistat) eas tamen solas virtutes habet, quarum actionibus assuevit; quarum verò actionibus non assueverit, nondum habet; sed, oblata occasione, fortem operam, & liberalem præstabit, licet nondum fortis, & liberalis sit, sed agendo fiet. Cum igitur huiusmodi sit prudens, hinc fit, ut homines totius actionis alicuius iudicium, non tam ex agentis consilio, quam ex euentu faciant: nam existimant vere prudentem omnia prospicere, & circumspicere; &, antequam ad agendum accederet, rationes omnes subducere debuisse. Quamobrem prudenti primum animæ nostræ potestatum inter se exactè est cognoscenda societas; ut ubi, quando, & quantum singulis uti oporteat non ignoret: nam sic harmoniæ ratio constabit, de qua nobis in superioribus dictum est, sine qua ad foelicitatem aspirare nullo modo licet. Deinde potestatum omnium obiecta pernoscentia sunt, ut aptiora, ac præstantiora opportunè eligere valeat. Præterea omnes hominum inter se societates, & conuentiones, earumque iura, & officia perspecta habeat necesse est: ad ipsarum enim præcipuos fines, ius scilicet, atque honestatem, nobiliores actiones sunt dirigendæ. Verùm, ut in scibilibus moueri illum opinione non decet, cui scientia est necessaria, ita in agibilibus, auctoritate, vel exemplo compelli, non est prudentiæ opus; cum illum prudentem dicamus, qui scit agibilia, & exercet. Nam, ut qui ex alieno testimonio opinatur, haud cognoscit; ita qui imitatur & exemplum, aut monitionem sequitur, non quæ ipse perspiciat operatur; sed quæ alius. Ut igitur, cum cognoscere per nos obiecta non possumus, credere alijs cognoscentibus conuenit, ita, cum nos agendi principia ignoramus, ijs, qui ea callent fides habenda, qui sunt prudentes, & magnæ auctoritates viri. Quapropter pueros, & civilis facultatis ignaros, prudentis educatoris institutionem sequi oportet, qui in singulis doceat, quid factum sit opus; unde bonis actibus assuescentes, sensim virtutum habitus adipiscuntur: non enim (ut sæpius dictum est) sine crebris actibus fiunt, neque hi sine appetitione, neque hæc sine cognitione. Cognitio autem eorum, quæ aguntur, à prudentia manat. Ab ea igitur virtutes prodeunt: neque fit circulus; sed ipsa prudentia, vel propria, vel aliena, agenda cognoscimus, earumque agentes reddimur studiosi, & boni; ita ut illa omnino virtutes præcedat, non naturales inquam, sed acquisitas, quas non necessarium est cum prudentia inesse omnes; sed eas dumtaxat, quarum actionibus assuefecimus: illæ enim acquiruntur, & circa illas prudentes

tes fumus, absolutè prudentes, si qui circa omnes se exercent; quod tamen aut fieri non posse, aut difficillimè credimus: veruntamen licet quis circa nonnullas non fuerit exercitatus, neq; ex consequenti sit in ijs prudens, nihil tamen impedit, si civilem facultatè caller (quamuis ea ipse non eligat, quæ ab illa distantur) quin alijs utilis esse consilio, monitu, hortatu, ad eas comparandas possit; qui verò exercitatus fuerit, etiam exèmplo.

Consultatione autem non valde opus est, nisi vbi arte caremus; nam prudenti ipsa civilis facultas ea dicitur, quæ agenda sunt, nisi fortè ex terminis quispian sit obscurissimus; quod quidem perarè contingere so-

let. Quamquam in rebus agendis difficultates sæpe oriuntur; quia plurimi fingunt, mentiuntur; & decipere socium conantur; vti plerumq; cauere

à fraude vix possit; sustinebit tamen se vir prudens, ita vt non in ma-

gnis, sed in exiguis quibus-

dam impingat, & ti-

tubet potius, quàm

labatur: ve-

rè enim

quæ-

dratus erit, & ad bene vinendum, atq;

ad foelicitatem aptissimus. Ac de

prudentià tot dicta sint.

Nunc de singulis vir-

tutibus: seor-

sum dica-

mus.



DE FORTITUDINE.

CAP. III.

Echi. lib. 3.
cap. 7.

DUMA autem de qua agatur ex moralibus virtutibus; Fortitudo occurrit, cum (vt dictum est) maius commodum adferre inopi, & maius incommodum, ac periculum benefico, quam ceteræ omnes apta sit, ac propterea dignior. Hanc igitur Aristoteles suis extremis impeditis, commodè definire non potuit: non enim solum circa metus, ac fiducias, mediocritas, sed aliud quidpiam est, si aliam definitionem quæramus. Nam ex hac, licet vera sit; neque ratio formalis haberi, neque motus percipi potest; sed cum natura ipsa comparati simus, vt cunctis in rebus parum, ac nimium auersemur venoxia; mediocritatem tamquam vtilem semper amplectimur. Plato igitur, & M. Tullius eam definientes, propius ad illius naturam videntur accedere: nam virtutem eam esse dicunt, pro iustitia, vel pro æquitate pugnantem. Qui enim aptus, paratusq; est pro iustitia dimicare, is merito fortis habendus videtur. Nos verò illum Fortem dicimus, qui est aptus, & vult bonos armis, honestatis causa, à malorum iniuria tueri: qui autem pro iustitia pugnat, bonos tuetur: & ex hac voluntate pro ea decertandi, vel tuendibonos, fit, vt ferè semper pugnare cogatur: idcirco ab ijs pugnantibus virtus est appellata. Itaq; nos parum ab eisdem discedentes, Fortitudinem virtutem esse dicimus, quæ bonos, honestatis causa, à malorum iniurijs armis tuetur. Cum enim virtus sit; cuiusque autem virtutis finis sit honestas; non dubium est, quin bonos, honestatis gratia, fortis sit tutaturus; nullam scilicet aliam ob causam, quam vt bonis bene fit, nec bene, beatèq; viuere prohibeantur. Qui verò legibus, & iure tuetur, non fortis, sed aduocatus, aut tutor dicendus est: & qui sponte id agit, iuris quidem, vel iustitiæ amatoris nomen, non autem Fortis meretur. Fortem enim oportet armis, non legibus; ab externis iniurijs bonos, & reipublicæ bona tueri. Primum igitur paratus erit pro religionis conseruatione sanguinem, vitamq; profunderè: deinde pro patriæ, vel boni Principis tranquillitate: postremò pro publica, bonorumq; omnium salute, ac quiete. Itaque magna facinora aggredietur, magnaq; discrimina; non tamen erit audax: nam si ad tuendum fit aptus, sciet, ac poterit vtilem operam nauare, cum volet, & tempus obseruare, ac locum, occasionemq; pugnandi. Quamobrem necessariò erit prudens, & probè cognoscet, quos tueri, & à quibus, & quando, & quomodo possit, ac debeat. At hæc cognoscere, est civilem facultatem, & vnà militarem callere; vel saltem illis parere, qui ijs artibus sunt instructi. Nam vt reddere cuique suum non potest, in magna præsertim rerum ambiguitate, nisi qui, aut iuris peritus est, aut iuris peritos consulit; ita fortem operam præstare nequit in magnis reipublicæ difficultatibus, qui, vel militaris artis non est peritus, vel peritos non audit. Qui enim eam non adhibet, minus vtiliter pro patria, cæterisq; pugnabit: nam licet intrepidus sit; & pro illa etiam mori non recuset; aut Fortis non dicitur, aut certè non æquè, atque is, qui voluntati artem adiungit: quo fit, vt aut semper vincat, aut quàm rarissimè vincatur. His igitur artibus fortes, Camillus, & Scipio habiti sunt, ijq; omnes, qui, aut pro patria bellum gerentes, semper victoriam sunt consecuti; aut appositè ad vincendum dimicauerunt

uerunt; aut etiã strenuè pugnando mortem obiere. Qui verò armis vtinesciunt, & temere in pugnam feruntur, tamen animo sint impauido, simpliciter tamen fortes non sunt. Non enim sola voluntas sufficit; sed & arte, & eorũ cognitione opus est, quæ ad actus productionẽ exiguntur. Non igitur volet tantum, verum etiam sciet, ac poterit præsidio esse. Nam qui olim patriæ, ac viris bonis opem tulisse memorantur; hostesque, ac latrones, & mōstra deleuisse, qualem Herculem, ac Theseum, & equites errantes narrant, non animi tantum vigore, sed & arte, & viribus præstitisse dicuntur. Itaq; ijs artibus imbutos esse oportet, vt vel omnino vincere valeant, vel saltem ita dimicare, vt eorum virtus merito laudari possit; pugnae verò euentus fortunæ sit ascribendus. Etenim, qui solo animo hosti par est; arte verò bellandi, & viribus impar, non fortis, sed audax dicendus est: cum illæ verè sit fortis, qui tuendi prouinciam ad finem perducit. Vt ille liberalis, qui digno sua bona largitur, non qui dumtaxat largiri vult. Prout ille reuera est medicus, non qui tantummodo ægrotantem curat, sed qui valetudini quoq; restituit. Verum, vt cunctis artibus vti; vel honestatis, vel quæstus gratia possumus, ita etiam arte militari. Qui igitur boni sunt, ea, honestatis gratia, ad bonorum salutem vtuntur: propterea maximis præmijs, & honoribus digni ab omnibus existimantur. Pulcherrimus enim eius artis est vsus, & maximè omnium laudandus; cum à bono viro exercetur: nam is

10 absolutè fortis appellationem meretur; cum honestatis causa pugnare nemo nisi probus possit. Idcirco summo studio, ac periculo miles ad boni viri nomen aspirat; idq; sibi conseruare mordicus nititur: nam sine eo non solum nequam habetur; sed quamuis miles optimus sit, fortis haberi minime potest. Quo fit vt irascantur, & pugnare parati sint, non minus si nequitia arguantur, quàm si ignauia: seq; pariter bonos viros, ac strenuos milites esse contendunt; ne ab omnium virtutum nobilissima fortitudine excludantur, ad cuius absolutionem non minus probitas, quàm armorum peritia, & vigor animi, viriumq; robur sunt necessaria. Sanè qui extremis reiectis, audaciae scilicet, ac timoris, eam in mediocritate locat, neutiquam ad fortiter agendum ditigit: semper enim agenti verendum est, ne timidus, aut audax dicatur; cum præcepta nulla tradantur, quæ respicientes qui agunt, fortes euadant. Nam licet ab Aristotele dictum sit, honestatis causa agendum esse; id tamen ab eo definitum non est, nisi per se, & suapte natura expetendum. Nemo autem per se tantum, & honestatis eo modo definitæ gratia agit; neque vt agat: vt etiam nemo pugnare, vt pugnet; sed vt vincat; ita nemo fortiter agit, vt fortiter agat; sed vt armis (vt dictum est) à malorum oppressione bonos tueatur: & omnino, ne à perditis hominibus bonorum commoda diripiantur. Vt autem perficere id possit, operam dabit (vt fortes solent) primum

20 vt famis, ac sitis, tum somni, & frigoris, atque æstus sit patientissimus. Deinde, vt corporis robore, & viribus præstet, assiduis laboribus, gymnastica, & gladiatoria arte se exerceat; vt, tum instrumentis à natura acceptis; tum bellicis omnibus artificiosè vti, non minus eques, quàm pedes norit; & acriter pugnae diartem, non in singulati modo certamine, sed etiam in acie discat, cunctaq; militaria munera obeundi; & non solum parendi, verum etiam in exercitu impetandi, rationem præ cæteris perceptam habeat. Non enim militis munera nosse forti viro satis est, sed imperatoris quoque artes adsumunt. pernefcenda; vt non solum singulos milites sui officij admonere possit, sed etiam exercitus partes, ipsumque exercitum (si fors ferat) prudenter, & cum

30 auctoritate ducere sit edoctus. Namque exercitus ex plurimis diuersarum specierum militibus, & bellicis instrumentis, tam animatis, quàm inanimatis

pimarum constat, tamquam vnicum animalis corpus ex innumeris membris,
 & ex ipso Imperatore tamquam anima; ut ad illius nutum, quando, quantum,
 quomodo, ac contra quos oporteat, membra aptè mouere, ac simul pugnare
 spe victoriae assequendae valeat. Hoc igitur corpus, eiusque partes vir fortis,
 ac (si contingat) futurus Imperator, sciat necesse est, primum deligere, armare,
 exercere, atque ordinare; deinde mouere, castraque eidem recipiendo metari:
 praeterea oppida munire, propugnare, oppugnare, aciemque ad pugnam instrue- 10
 re, & longè magis oratione milites ad eas impellere, interdum etiam exem-
 plo; ut comitatus curam, ac caetera dimittamus, quae bono Imperatori co-
 gnitu, factuque sunt necessaria. His autem artibus fortè tueri decet bonos à ma- 10
 lis, tam qui corporis viribus, armisque laedunt, quam qui eos dolosè opprime-
 re tentant: nam tyranni, & qui iustitiae specie bonos exterminant, armis non
 legibus sunt coercendi. Tum verò bonorum causa suscipienda est; cum ipsi au-
 xilio egent, & nos ad eos protegendos idonei sumus, aduersarij verò non peni-
 tus viribus superiores: ita enim hi sunt oppugnandi, ut expugnemus; cum for-
 tis (ut dictum est) non ex solo animo aestimetur. Siquidem Pompeius ex pugna
 Pharsalica haud fortis est habitus, quamuis patriam, ciuesque omnes aduer-
 sus Caesaris arma tueretur; cum solus conatus, ad tantam gloriam comparan-
 dam minimè sufficiat. Verum & ipse Caesar, optimus quidem Imperator, rei-
 militaris peritissimus dici potest; non tamen propriè fortis: non enim semper 20
 honestatis, sed sui commodi gratia bella gessit; cum patriam, quam tueri illum
 ab alienis iniurijs oportebat, ut oppresserit. Caesari igitur recta voluntas, Pom-
 peio in extremo certamine, imperatori a virtus ad fortitudinem defuit. Num
 verò Alexander fortis fuerit necne, magis dubitandum videtur; tum quòd
 Graciam ab Asia Regibus armis saepe lacessitam, vltimi iure debuit; tum ve-
 rò quòd se, non augendi imperij causa dimicare, sed gloriae comparandae profes-
 sus sit. Cuius generosum animum Pyrrhus, dissimili tamen fortuna, est æmu-
 latus. Gloriae autem causa pugnautes, amabiles ferè videntur, & licet inter
 se certare duces huiusmodi non deberent, cum utriusque utrosque viros bo-
 nos esse, fortesque credant; certant tamen, quia fortitudine, & armorum 30
 gloria praestare pulcherrimum ducunt. In cunctis enim eximijs excellere
 homines contendunt; ut non solum perfecti sint, sed etiam caeteris ante-
 ferantur: nam sic Deo similiores reddi se putant. Praeterea non fortitudi-
 nem tantum, sed vna liberalitatem exercent; ut Demetrius, & Ptolemæus:
 nam ut fortes vincunt, ut autem liberales, bona, quae victoriae parta sunt, lar-
 giuntur. Itaque nihil minus, quam sordidi, aut mercenarij haberi possunt,
 quo enim longius à quaestu, ac mercede discedunt, eo magis agere honestatis
 gratia videntur. Nam forti fortiter pugnandum est, aut habitus confirman-
 di, aut utiliter, honesteque exercendi causa. Interdum tamen pugnant inter 40
 se Reges; ut appareat uter sit fortior: nam si iustitia, virtutesque pares sint, ap-
 tiorum ad tuendos populos, & Imperij fines proferendos, pro eorumdem po-
 pulorum salute regnare expedire. Etenim deleta saepe regna accepimus; non
 tam ob gentium iniquitatem, aut inertiam, quam ob ipsorum Regum molli-
 tiam, & in bellis gerendis ignauiam. Noscendae igitur ipsi sunt, non solum in
 pace regnandi artes, verum etiam militaris facultatis exercendae leges, &
 seipos, ac suos milites fortes reddendi. Illi itaque miris in caelum laudibus fe-
 rendi sunt, qui bonorum aduersus malos iura tuentur; & pro ijs acriter, & for-
 titer dimicant, ut, pro Graecia libertate, contra Philippum Regem Flaminius. 50
 Qui autem barbaros homines, atque immanes in meliorem statum vi redige-
 re, pro ipsorum salute, commodoque conantur, egregia laude non carent: ut
 olim

olim Ofris, & nostra tempestate Hispaniæ Reges, per inde enim est atque ægrotantes cogere, vt suæ valetudinis causa medicamenta sumant. Sequuntur ij, qui, sui iuris conseruandi, & fontes puniendi gratia, bella gerunt. Præterea

qui suorum populorum diuitias, magis quàm suas curantes, operam dant, vt immerentium hominum opibus potiantur. Po-

stremò, qui fortitudinis ostentandæ causâ aduersus eos

certant, qui se fortiores arbitrantur; non quidem

vt eorum bona possideant, quæ victis ipsis

restituunt, cum bonos censent, sed vt

fateri compellant, se ab illis vir-

tutum maxima, nobilissimaq;

fortitudine superari.

His igitur de cau-

sis bellum

geren-

tes,

fortium virorum appellatione non sunt priuandi;

cùm rationem ducem, honestatemq; sequan-

tur. Qui verò aliena rapere per iniu-

riam tentant, non solum è for-

tium virorum, verùm e-

tiam è bonorum al-

bo sunt expua-

gendi.



CUR PAUCI VERE FORTES.

CAP. IIII.



INC autem manifestum fit, quantum cunctis virtutibus antecellat, & quanta inter cæteras admiratione digna sit fortitudo; quòd paucissimi cunctis sæculis reperti sint, qui verè fortes dici meruerint. Ac in pace quidem haud mirum est, cum nemo in huiusmodi studium incumbat, neq; tantę virtutis assequendę, vel exercendę locus, aut occasio detur; bellis autem vigentibus, paucos post hominum memoriam fortes, etiam apud veteres Græcos, aut Romanos, pro ingenti militantium numero fuisse accepimus; pauciores fortasse in tot bellorum incendijs, quę eas ætates sunt consecuta. Romani enim omnes (vt alios nunc omittam) ita inclitę illius reipublicę necessitate exigente, perpetuò armis, & militaribus studijs operã dedere. Neq; dubium est plures ex ea vrbe fortes extitisse viros, quàm ex alijs eorum temporum vniuersis. Nihilominus vastante Italiam Hannibale, post Scipionum in Hispania interitum, ex tam magno eorum ciuium numero, qui exercitibus præfuerant, nullus repertus est, qui in eandem prouinciã reipublicę tuendę causa exercitum ducere ausus fuerit, præter vnum adolescentem Scipionem, cui postea Africano cognomen fuit: vt verè fortis propemodum dici posse videatur, quod ille ait; *Rara avis in terris, nigroq; simillima Cygno*: huius autem raritatis causa, nobis in præsentia quærenda videtur. Cum igitur ad habitum contrahendum, actus necessarij sint (vt sæpius supra dictum est) ij autem actus, quibus fortitudo comparatur, non horroribus modo, sed grauibus etiam periculis sint referti; ita vt plerumq; in vitę discrimen agentem adducant; fit vt reliquę animę potestates, præter rationalem, sentientes omnium suarum voluptatum se iacturam, nauiter agendo, facturas, enixè tergiuersentur, nec nisi coactę assentiantur. Quin etiam ipsa rationalis, quamuis sibi optabilia præmia illis periculis proposita intelligat; tamen metuens se potius cæterarum virtutum exercendarum commoda, & voluptates amissuram, quàm tot imminentibus periculis optatum fortitudinis habitum conseruaturam, fortes actus lentius aggreditur. Itaque magno generosi animi stimulo, ad eos eligendos, iterandosq; opus est, magnaq; constantia; cum difficillimum sit, in tam terribilibus motibus, tantaq; animi trepidatione, contrahere habitum absolutè, & simpliciter fortis, contractumq; seruare. Multi autem ex ijs, qui fortes sunt, & vulgo fortes habentur, ab initio impigrè operantur, non solum sui fungendi muneris, & honoris, ac dignitatıs comparandę causa, sed etiam opum, ac fortunarum, quibus cunctis animę potestatibus satisfiat: quapropter illę facilius trahi se, & in discrimen adduci patiuntur. Conflato autem habitu huiusmodi, & aliquo modo fortis iam factus, aut diues, aut pauper euasit: si pauper, indignatur post tot, tantaq; pericula, siue fortunę, siue Imperatorum culpa non se opulentum redditum esse; & à nouis, grauibusq; periculis, velut sibi inutilibus abstinere. Si diues, vitam sibi conseruare studet, facultatesq; omnes pugnam detrectant; vt partis bonis perfrui possint: neque in habitu constanter perseuerat; nisi assiduè amplioribus diuitijs, atque honoribus alliciatur. Ad has difficultates accedit, quòd animi corporisq; virtutes, bona externa, quę omnia necessaria esse diximus, paucis adueniunt; & longè paucioribus eorum peritia,

peritia, sine quibus absoluta fortitudo non est, ciuilis videlicet facultatis, atq; oratoriae, praeter militarem; ut mirandum non sit, rarissimos esse, qui ad tantam prosperitatem perueniant, vt tam eximia virtutis gloria decorentur. Itaq; miraculo ferè est verè fortis, ad eumque visendum, non secus atq; ad pulcherrimum spectaculum, omnes concurrunt; vt ad Claudium Neronem, & P. Scipionem Africanum, nonnullosq; alios legimus. Omnes autem ad fortitudinem amplexandam, ingentibus, quae ab ea publice, priuatimq; proueniunt bonis impelli deberent. Primum enim fortis memoria numquam aboletur, sed meritum eius in rempublicam fama sempiterna est; vnde celebritas nominis, generis nobilitas, & summa in illius posteros dignitas manat; firmaq; in omnium animis opinio gignitur, eos illi semper similes fore: nam (vt ait Horatius) *Fortes creantur fortibus & bonis*. Ciuibus verò a forti viro, clarissimum ad imitandum exemplum relinquitur; patriae autem, bonisq; omnibus, ac toti ferè terrarum orbi, magnum interdum beneficium, ac diuturnum adfertur. Quale illud eiusdem Scipionis (ne à tanti viri exemplo discedamus) cuius potissimum fortissima opera factum est, vt non Romana respublica, vel Italia tantum, verum tota ferè Europa per tot iam saecula libertate, & imperio frueretur; quod, nisi eius virtus praesto fuisset, videbatur propediem in Africam translatum iri. Vt non iniuria ille in eius funere celebrando, M. Tullio referente, dixisse feratur; *gratias Dīs agendas esse, quod Roma illum nasci voluissent; necesse enim erat in ea ciuitate orbis imperium esse, ubi ille nasceretur*. Cum igitur mercatores, exigui quastus; medici, paucorum valetudinis gratia, tot assidue vitae discrimina adeant; mirandum videtur, cur non innumeri reperiantur, qui fortitudinis adipiscendae, & exercendae causa eadem subire malint, vnde tot, tantaq; praemia sperari possunt; praesertim quòd licet pericula fugiant homines, quae forti viro semper impendent; breuis tamen omnium uita, sed eorum etiam sine nomine futura est, qui nulla pericula adierint; ita vt perpauci uixisse illos sensuri sint.



DE MODIS FORTITVDINIS

non vera.

CAP. V.

Ethi. lib. 3.
cap. 8.

V. M. autem ad veram fortitudinem, tam multa necessaria sunt; tamen finis, cuius gratia homines ad fortiter pugnandum mouentur, ut in cæteris virtutibus, sic etiam in fortitudinis definitione primum obtinet locum. Nam ut reliqua maximè adsint, si honestatis propositum abest, fortitudini quidem assimilatur; non tamen vera est fortitudo: ut in ijs quinque modis apparet, qui ab Aristotele recensentur. Etenim qui iussu legum, aut magistratum fortiter pugnant, ex duobus malis eligere minus videntur, & potius coacti, quàm sponte fortium virorum opera edunt: civilis enim ignominia, aut poenæ metu adempto, fortes præterea non videbuntur. Qui verò militari peritia freti, quod pericula abesse cognoscunt, aut imperitia adducti, quod quæ adsunt ignorant, aut etiam spe vincendi, quod superiores suos arbitrantur, fortem operam navant; si pericula repente offerantur, fortes non erunt. Idemq; de ijs dicendum, qui ob iram, aut libidinem strenuè pugnant: non enim affectibus sedatis fortes habebuntur; qui tamen ira inflammati, licet verè fortes non sint, nihilominus maiorem cum ijs similitudinem habent, & ignavia argui possent, nisi tales essent. Nam robur, & fortitudo non solum aliorum bonorum injurias propulsare, sed etiam suas, sibiq; bona conservare debent: non tamen verè fortes dicuntur, nisi bonorum virorum causa dimicare parati sint. At ut fortis est interritus, ita & iratus nam appetit ultionem, eamq; prosequitur; quod non faceret, nisi abesset timor. Ut verò mansuetudo est mediocritas irascendi; ita fortitudo pugnandi: & ut mansuetos oportet, cum irascuntur, ad iniurias repellendas viribus corporis rectè uti; ita & Fortes. Vnde apparet, cur irati fortes videantur, & nura fortem acuat ira. Itasca autem animi affectio est, quæ, si solum in appetitu iniuriam propulsandi consistit, arte militari non eget; neq; etiam si absq; consilio iratus rapitur: at fortitudo persequitur, quæ pars irascibilis dicitur, & etiam, quæ à ratione sit persequenda; aut repellenda offeruntur. Cunctis igitur animæ facultatibus ad arma impellimur; irascibili quidem, quod propulsationem iniuriæ, ablatorumq; bonorum recuperationem appetat; concupiscibili autem, ut bonis potiamur, quæ expetita consequi absq; vi non possumus; rationali verò, ut nos, nostraque, & bonos ab iniurijs tueamur. Huius ergo facultatis vera fortitudo est, ceterarum non vera; sed concupiscibilis est damnabilior. Nunc quærendum videtur, an verè is fortis dici possit, qui pugnans capitur, aut interficitur. Nam qui mortem, alia vi quàm belli illatam æquo animo perfert, æquiocè fortis dicitur; cum ad aliam virtutem pertineat, de qua suo loco dicturi sumus. Captum autem, aut interfectum in pugna, si fortis munere, dum potuit, functum esse constat; nec eius, sed fortunæ potius culpæ accepta calamitas referenda sit, nihil prohibet quin fortis nomen, laudemq; mereatur. Neque enim Epaminondæ Thebano, licet interemptus; neq; Francisco Gallorum Regi, licet captus fuerit, quicquam ad eximiam fortitudinem defuisse accepimus. Laudabiliores tamen fortasse, qui vicere, quiq; ultro sua morte victoriam patriæ peperere; ut Decij, qui pro ea se deuouerunt; & Codrus, qui pro eius salute certissimè se morti obiecisse fertur. Num autem verè fortis dici possit, qui licet impavidus interdum fugit, dubitari potest. Ac sanè cum sit rei militaris peritus, nisi ad-

si aduersario se parem credat, pugnae se non committet; postea vero quam
 commiserit, fortiterque se gesserit, dum ambiguo Marte certatum est, cum
 inclinatum aciem videt, neque ulterius resisti posse, uti leo, cum a venatori-
 bus urgetur, pedem referet: non enim velut Caesari, perpetuo vincere omni-
 bus datur: propterea Homerus *ἑτορὰ λυία* victoriam appellat; nunc videlicet
 apud hos, nunc apud illos pollentem. Non tamen Demosthenes imitandus,
 cui cum probro datum esset, quod in praelio, clypeo abiecto, fugisset, eaq; gra-
 tia *πίστῳ*, ignominioso cognomine vocaretur, id probrum notissimo illo ver-
 siculo eludere solitus legitur: *Vir fugiens & denuo pugnabit.* At Hannibal
 ex ultimo praelio victus, non tamen sine summa laude discessit: laus enim Im-
 peratori etiam victo, & duci redditur (ut ait Seneca) *fi & prudentia, & in-*
dustria, & fortitudo muneribus suis functa est. Reliquum est ut quaeramus, De benef.
lib. 7. c. 13.
 num illi verè sint fortes, qui victi, se in hostium veniant potestatem, manus
 sibi ipsi afferunt: Nos igitur fortium similes eos esse dicimus, quod mortem
 maxime omnium formidabilem non timent; verè tamen, non tam fortes,
 quam pusillanimi sunt appellandi: fortes autem ideo habentur, quod veri-
 simile est, oblata occasione, fortiter fuisse pugnatuos. Nam Cato (licet
 ei ut Stoico parcendum videatur, praesertim cum eum laudibus Ro-
 mani veteres in caelum ferant) damnandus tamen est potius,
 quod dolorem non tulerit, nec Socratem sit imitatus,
 cui praestare visum est alieno iussu, quam sua ope-
 ra interire: Verè igitur fortis non est habendus, cum tantum absit, ut republicam,
 actione iuuerit, ut illam etiam ma-
 xime laeserit: egregio enim ci-
 ue priuauit, & maxi-
 mam sibi ipsi iniu-
 riam intu-
 lit: quibus nominibus damnandus es-
 set, & ut ciuis noxius, ac delin-
 quens, bonis omnibus,
 fama que mul-
 tandus.



QUI SUI IPSIVS CAUSA PUGNAT, NUM
sit verè fortis. CAP. VI.



NUNC dubitandum videtur, an is, qui sui dumtaxat causa egregie pugnat, vel pugnare paratus est, verè fortis habendus sit; cum, nisi honestatis gratia pugnet, fortis non dicatur: honestas autem ad se ipsum esse minimè existimetur, sed ad alios. Qui igitur ira, aut libidine incitatus ad arma, irascibili, aut contumacibili facultati indulgens, nihilo fortior belua dicendus est, quæ eisdem facultatibus in pugna ruit; eisq; robore, & viribus famulatur. Quis etiam is, qui pro patria fortiter dimicat, societatis tantum conservandæ, & sui commodi causa, brutorum quorundam fortitudinem non excedit, quæ quasi acie instructa oppugnantibus renituntur. Nam qui fortitudine vitur, ut bona malorum iniurijs tueatur, & ut eis bona conferret, malis autem illa eripiendi vires adimat, eum demum honestatis causa pugnare, verèq; fortem dicendum esse supra statuimus: alij enim subsidio dignis, non sibi ipsi opitulatur, rationemque sequitur ducem: nam cum suas persequitur iniurias, aut propria comoda querit, videtur irrationali animæ parti eius ratio inferuire. Veruntamen si quis pro sua dignitate, & honore arma sumat, cum in hostium exercitu nominatim fuerit provocatus, aut provocet, eum naviter dimicanti fortitudinis gloria non est deneganda; cum dignitas, honorq; viri non ad suam tantum gentem, ac necessarios, verum etiam ad patriam omnem pertingat; ita ut vnius decus, aut ignominia, in cunctos extendi videatur. Qui igitur ea de causa certant, ut se ipsos pro suæ gentis, patriæq; dignitate, tamquam viros bonos, à communium hostium iniurijs, & calumnijs vindicent, non modò reprehendi non debent, verum etiam maxima laude sunt prosequendi. Qui verò certandi cupidi sunt, ut armorum peritiam, & audaciam, aut deniq; suam fortitudinem, non magna urgente necessitate, etiam aduersus ciues suos, ostentent; non solum in ahis gloriæ sunt arguendi, sed ut impij, rabiidq; ciues damnandi; & libertate, qua tam perniciosè in ipsam rempublicam abutuntur, priuandi essent. Sanè hæc dimicandi contra suos ciues cupiditas, vel pruritus potius, atque amentia, patrum nostrorum ætate, Italorum iuuenum animos ita occupauerat, ut furere omnes viderentur: statim enim atque arma tractare cœperant, leuissima quaq; occasione oblata, cum socijs altercantes, vel vnico verbo lacecssiti, ad singulare certamen ciues inter se, sodalesq; deueniebant. In quo sæpè alter eorum, interdum etiam ambo crudeliter, populo spectante, interibant; Príncipe non solum rem approbante, sed magno opere etiam victori fauente. Quæ quidem barbara consuetudo, Sacro Tridentini Concilij decreto sublata est; ita tamen, ut nonnulla eius interdum vestigia extent. Huiusmodi autem certaminibus, neque vera fortitudo exercebatur, quæ rationalis potestatis est habitus, quo iuuandi sunt ciues, & ab ijs peruersorum hominum iniuriæ sunt repellendæ, neq; honor conservabatur, quem se plurimi facere profitebantur huiusmodi certatores; cum eius essentia in eo potissimum consistat (ut suo loco dicemus) ut qui eo decoratus est, sciat, possit, ac velit ciuibus, socijsq; prodesse; non autem nocere. Quòd si qua inter ciues lis, & dissensio quacumque de causa oriatur, iure, & iudicis est opera componenda; ut semper apud omnes populos fuit in usu. Ac Romanorum fortissimi, si quis ciuis eos iurgijs, & contumelia prouocauisset, non armis suas

mis suas iniurias, sed iure omnes persequebantur. Turpissimum enim videtur, reipublicæ, & Principis auctoritatem, suorum ciuiliu libris dirimendis non sufficere; sed priuata inter eos arma ad eam rem necessaria esse. Quod numquam post hominum memoriam auditum, aut vlllo in populo obseruatum legimus, ante Longobardorum in Italiam aduentum, quos cæteros omnes militiæ deditos, barbara quadam stoliditate superasse certum est; ac tum iuris, legumq; imperitia, tum immanitate genti innata, arma inter ciues, ad litium diremptionem, & eorundem perniciem permisisse, ea potissimum ratione nixos, quod Diuina iustitia ignotæ veritati faueret. Verumtamen non animaduertebant, quàm occulta Dei iudicia sint, eumq; eo pacto tentari, & ad iram compelli: quasi ei non facile sit, quouis alio experimento veritatem illam reterege, absque eorum vitæ periculo, inter quos certaretur: quod ei abominationi esse necesse est, qui suæ diuinæ legis finem charitatem statuerit. Eam igitur veritatis indagandæ viam, christiano homine indignissimâ esse, nemo non videt, qui se, non huius tantum caducæ vitæ, sed æternæ quoq; iacturam facere intelligat. Quamobrem magna admiratione non caret, à Christianis Principibus, in Christianas ciuitates eandem consuetudinem fuisse admiffam, tanto communis boni, & humanitatis, ac religionis dispendio. Itaq; huiusmodi homines, neuisquam fortes dicèdi sunt; sed ij tantum, qui suæ virtutis aduersus hostes specimè præbent. Vt apud Ouidium Ajax, cum vnâ cum Vlisse Achillis arma præmij loco peteret, non illum quidem ad singulare certamen inuitat; vt appareat vtrius sit virtus anteferenda; sed, vt Iudices contra hostes de vtroq; periculum faciant rogar, cum ait;

Arma viri fortis medios mittantur in hostes; Inde iubest peti.

Idem illi duo Alexandri milites aduersus Ephesum; alijq; duo Cæsariani aduersus Gallos, qui iram in se ipsos conceptam, communi consensu contra hostes effundunt.

Haud igitur fortitudinem

reipublicæ, ciuibusq;
detrimento, sed
commodo
efficæ-

quum est; quiq; armis ciues, non secus

atq; hostes petunt, non fortes,

sed seditiosi, furiosiq; sunt

appellandi. Nunc

de liberalitate

dicamus.



DE LIBERALITATE.

CAP. VII.



VI quatuor virtutum numero cunctas comprehendunt, iustitiæ liberalitatem subiiciunt; eademq; opera iuri honestatem admiscunt: magna enim beneficentiæ pars in sola liberalitate continetur, eiusq; actiones (si ea propriè capiuntur) à iure, ac iustitia secernuntur, qua suum cuique traditur, & ad solam honestatem spectant, qua accipienti non id tantum datur, quod eius est, sed quod illius, qui dat, & largientis est proprium. Aristoteles autem, licet in iustitia vniuersa cunctas coniungat, tamen à iustitia particulari liberalitatem, cæterasq; seiungit, & de singulis seorsum agit, prout cuiusq; naturæ conuenire ei visum est. Verùm cum de liberalitate sermonem facit, suorum principiorum oblitus videtur: nam cum ab eo virtus perfectio habentis esse dicatur, liberalitas non tam habentis, quàm accipientis erit. Deinde si iustitia vniuersa tota est virtus ad aliū, virtus verò ipsa ad se, non videtur liberalitas, nisi tamquam vniuersæ iustitiæ pars, posse pecunias ad alienum commodum erogare, sed dumtaxat ad suum. Quæ propter virtus erit, moderatè pecunias pro suis diuitijs, ad suum ipsius commodum erogantis. Hæc enim dicere illum oportet, qui de virtutibus agit, prout sunt perfectiones habentis, & non ad alium. Quæ tametsi eodem modo ad cunctas virtutes pertineant, tamen in liberalitatis explicatione lucidius apparent. Nam dicere liberalem pecunias dare, cui, quando, & quantum oportet, & beneficia conferre honestatis gratia, est quidem vera dicere, sed diuersa principia sequi ab ijs, quæ posita sunt; & de liberalitate agere, prout ad alium, non autem prout ad se ipsum, & habentis perfectio est. Dupliciter igitur liberalitas, vt bonorum distributiua virtus, considerari posse videtur, altero modo ad alienum vsum, altero verò ad nostrum. Ac si priori modo consideretur, vt ea bonis, ac dignis beneficia conferuntur, & bona moderatè, & rectè dono dantur, nulla alia de causa, nisi vt bonis benè sit, non dubium est, quin verè, & absolutè sit virtus; cum in ea pelliuceat honestatis splendor. De hoc autem priori liberalitatis modo, & ratione institutum sermonem in præsentia prosequemur; de altero verò postèrius dicemus, num scilicet verè liberalitas sit habenda. Primum igitur explicandum videtur, quæ nam bona ea sint, quorum distributiua est liberalitas, quæq; liberalis largitur. Atqui Aristoteles pecuniam esse affirmat; quo nomine ea omnia comprehendi asserit, quæ nummo æstimantur. Hæc a utem illæ esse videntur, circa quæ iustitia commutatiua, & ius versatur. Quod quidem ex eo patet, quòd, qui boni huiusmodi quidpiam largitur alicui, sui iuris in eum tantumdem transfert honestatis gratia. Vt enim in alienum ius inuadere turpe est, ita pulchrum spontè ad alterius commodum de suo iure decedere. Bona igitur sibi vtilia, vel iucunda, circa quæ iustitia est, liberalis dono dat, eaque ipsi donanti honesta fiunt, quibus cum se ipsum priuauerit, minus opulentus redditus est. Verùm non nulla etiam donat, circa quæ iustitia non est, vt honores, atque fauores: nam si quem Princeps liberalitatis causa, equitis, aut comitis, alioue huiusmodi titulo ornat, aut suis amicis cum laude annumerat, in ijs profectò non tã iustitiæ locus est, quàm fortunæ. Itaq; non solum circa pecuniam, eaque, quæ nummo æstimantur, circa quæ iustitia commutatiua est, liberalitas versari videtur, verùm etiam circa ea fere omnia, quæ fortunæ imperio subiecta sunt. Vt igitur

Ethi. lib. 4.
cap. 1.

tur illum esse fortem diximus, qui à perditorum hominum iniurijs bonos tuetur, ita si liberalem illum dicamus, qui bonos à fortunæ iniurijs vindicat, non valde erremus. Vt fit liberalis fortunæ errorum emendator, & moderator, & in fortunis laborantium quasi medicus quidam: nam vt is ægotantis valetudinem medicamentis restituit, ita liberalis inopem bonis subleuat, & in meliorem statum reducit. Quantam verò vim habeat in rebus humanis fortuna, omnibus compertum est; cum sæpe, incertis de causis, diuitijs affluentes spoliet; & eos, qui plurimis commodis, & honoribus digni sunt, cum maiora bona sperare debuissent, miserijs premat. Nam siue improuisa belli vi, siue naufragio, & repentina parentum morte, vel morbis, alijsve innumeris casibus, in varias calamitates incidunt, à quibus facilè opprimuntur, nisi liberalitatis ope subueniatur. Quamobrem longè plura complecti dicenda est, quàm Aristoteles existimauerit: præsertim cum ditionis quoque fortunæ limites transgredi videatur; veluti cum consilio, aut monitione, aut etiam consolatione iuuat, aut ea bona confert, quæ amitti non possunt; cum neutquam fortunæ viribus subiecta sint. Vt, cum gratuito prudentia instruit, aut artem quampiam, vel scientiam docet; quæ quidem bona sunt, quibus in egentem collatis, nihilo pauperior euasit conferens; & tum in suum commodum, tum in alienum non secus vt, atque antequàm in alterum contulerat, potest. Et tamen omnem pecuniam longè superare, omneq; fortunæ bonum videntur. Quæ quidem bonorum collatio, cum ab humanitate honestatis gratia profecta sit, ad aliquam virtutem referenda est; nulli verò omnino ascribi posse videtur, præterquam liberalitati. Quamobrem liberalitatis vim, tum iustitiæ materiam, tum fortunæ iura complecti, eaq; etiam transcendere ex his manifestum est; cum ea etiam bona largiatur, quæ ab humano intellectu proueniunt; in quibus neque iustitia, neque fortuna vllam sibi partem vindicare potest. Non solùm igitur circa pecunias erogandas, neque circa reliqua fortunæ bona largienda, mediocritas, sed aliquid præterea est. Itaque, cum liberalis cuncta sua bona communicare alteri possit, nempe animi, corporis, & externa; videbitur liberalitas virtus communicandi sua bona dignis. Cum enim virtus sit, honestatis causa operabitur, & sine vlla præmij spe, bonis viris, ac dignis, pro eorum indigentia, suisq; facultatibus, quando indigebunt, sua bona, quæ aptè, rectèq; communicari possunt communicabit. Nam cum bonis impartienda sint, ipsi, quæ honestè, modè atq; impartiri nequeunt, licet etiam quis obtudat, repudiabunt. Hac igitur liberalitatis definitione, nemo, quamuis pauper, nisi extremè sit miser, ab illius usu excludetur. Etenim, si cætera desint, gratuita humanitatis officia, operasq; præstare, & sponte, ac libens potentioribus inseruire non prohibebitur. Quo fiet, vt etiam nobilissimæ huius virtutis particeps, ad fœlicitatem aspirare valeat; & modo animi promptitudine, & beneficentia non sit destitutus, inopia ab eo sine non arceatur, ad quem omnes homines æquè genuisse natura videtur. Cum igitur liberalitas in bonorum communicatione consistat, necesse est, vt qui laudem ex ea venatur, operam det vt bonis abundet, quæ indigentibus, ac dignis possit impartire, præsertim ijs, quorum largitione maius commodum capienti adfertur; qualia sunt primùm animi bona, deinde externa. Etenim qui rei familiari diligenter incumbunt; vt pecunijs inde prouenientibus in eum usum affluant, laudandi sunt. Sed ij longè magis, qui animum excolunt, & nobilibus artibus, ac scientijs instruunt: nam qui eas egregiè nouere, quasi fontes sibi diuitiarum, atque opum comparant; & ad beneficia conferenda, tum eas exercendo, tum etiam alios erudiendo, redduntur idonei. Neque verò corporis cura, quo ad liberalitatem attinet, illis negligenda est, quibus cætera ad

eam

eam exercendam minimè suppetunt; sed congruis laboribus ei, ad opem ferendam socijs, aptitudinem quampiam parare oportet. Videmus enim corporis viribus, & agilitate, magna interdù laborantibus auxilia præstita; veluti prope vndis haustos, natantium ope servatos; aut ab incendio, alijsq; casibus, ac periculis liberatos. Nam aliarum virtutum actus, in quibus tam corporis est vsus, quàm animi, vt fortitudinis, aut clementiæ, siue mansuetudinis, quibus sæpè aut mors prohibetur, aut vita dono datur, non sunt sub liberalitate locandi; cum earundem virtutum proprij, germaniq; sint: non enim studiosi, honestiq; erunt, nisi gratuiti; Non sunt igitur negligendæ diuitiæ, sed mediocriter appetendæ, ac diligendæ; tunc autem mediocriter appetuntur, cum eas honestatis tantùm gratia quærimus, ac diligimus; nempe vt earum portione in nostrum necessarium vsum conuersa, quod reliquum est in bonorum, dignorumq; commoda pro eorum meritis conferamus. Noster autem necessarius vsus dicendus est, qui nostræ fortunæ accommodatur. Nam qui eas penitus aspernantur, non minus damnandi sunt, quàm qui immoderatè appetunt. Stoici enim, qui bonorum numero eximunt, virtutes tantum ea appellatione dignantes, quibus solis foelicitas comparetur, nec sibi ipsis, nec alijs sua opinione prospiciunt; & quo se maximè foelicitatem assequi credunt, eo potissimum ab illius assecutione exploduntur. Siquidem humanitatem repudiant, qua vna peruenire ad illam potuissent; dum de suis commodis parum solliciti, nihil faciunt aliena. Itaque proijcere bona, quàm frui malunt, & quæ sibi ipsis, eadem cæteris negant: quòd prodesse alijs, utile, & honestum non putant. Quo nomine Xenocratem Alexander iure optimè carpsit, quòd sibi munus remisisset, quo plurimis adiumento, esse potuisset. Nam quod naturam paucis esse contentam dicunt, verissimum est: si cui curæ sit, suis tantum necessitatibus satisfacere; sed dum cæteros negligunt, testantur se, quamquam homines, humanam naturam deseruisse. Nunc de altero liberalitatis modo dicamus.



DE MODIS NON VERAE
liberalitatis. CAP. VIII.

DIVRIMOS quotidie nobiles, primariosq; viros vide-
 mus, qui diuitijs, pecunijsq; redundantes, eas non conge-
 runt, aut abscondant, sed in suos suorumq; vsus largè in-
 sumunt. Etenim splendide, laurèque epulantur; ornate,
 eleganterq; vestiuntur; magnas aedes, & præciosa suppel-
 lectili instructas habitant; delicia hortis, & amoenis vil-
 lis delectantur; seruos, equosq; alunt, & canes ad ue-
 nandum; aliaq; huiusmodi, ad voluptates, atque oblectamenta parata habet,
 e prouentibus tamen, ac redditibus omnia, nullo penitus sui patrimonij de-
 trimento. Quærerè igitur oportet, num hi liberales sint habendi, nec ne;
 cum pecunijs, & sumptibus non parcetes, ab auaritiæ suspitione liberentur;
 cumque patrimonium non imminuant, prodigi censeri non possint. Itaq; ijs
 vitijs carentes, quæ circa pecuniarum erogationem damnantur; cum eas ne-
 que immoderatè diligant, neque profundant, sed pro sua fortuna fruantur,
 20 illius virtutis appellatione dignos existimare quispiam posset, quæ in eorum
 extremorum medio sita est, nempe liberalitatis. Verumtamen cum harmo-
 niam suæ animæ potestatum negligant; & quasi sibi solis, nati sint, suis tan-
 tum, suorumq; commodis studeant, nulla honestatis, alienorumq; comodo-
 rum ratione habita, licet libera libelli vulgo habeantur, nihilominus tantum
 abest, vt liberales iudicandi sint, vt grauiter etiam, luxus sint arguendi. Quip-
 pe qui suum potius genium defraudare, & multo paucioribus contenti esse de-
 berent; vt bonos, ac merentes hospitio, conuiujsq; excipere, & suarum pecu-
 niarum parte adiuuare possent. Præsertim cum nobiles supponantur, quos
 suorum maiorum vestigijs insistere decet; vt suæ gentis nobilitas assidue in-
 crementum capiat. Neque verò ij, qui dumtaxat amicis, ac necessarijs lar-
 giuntur liberales propterea dicendi sunt; cum non tam honestatis gratia,
 30 quàm benevolentia largiantur, qua etiam auari ad donandum amicis com-
 pelli solent. Qui autem iugenuis iuuenibus, mancipiorum more (vt fit in Chri-
 stianorum Principum aulis) gratuito tamen seruientibus donant, non tam
 liberales, quàm grati sunt appellandi; cum beneficis donent, non tam hone-
 statis causa, quàm gratitudinis. Magni enim beneficij loco habenda est
 voluntaria seruitus; præsertim cum à nobilibus exhibetur: qui præter splen-
 dorem, ac dignitatem, quàm suo ministerio dominis adferunt, fide, diligentia,
 & charitate emptitios seruos, aut vernas mirum quantum exsuperant. Ita
 vt, quod ad ministeria attinet; fortunati illi censendi sint, quibus huiusmodi
 40 seruorum opera vti licet: quam nisi largè, prolixèq; remunerentur, ingratis po-
 tiùs quàm auaris sunt annumerandi: quamuis huius ingratitude culpa
 plerumque in auaritiam sit referenda. Atqui illi qui in sacros vsus, aut in
 patriam, Parentesq; ac cognatos largitione vtuntur, non liberalitatis, sed
 pietatis laudem merentur: hoc enim nomine (vt suo loco explicabitur) grati-
 tudo erga eos significatur, quibus natura deuincti sumus. Qui vero diuitibus,
 & opulentis munera mittunt; vt eorum gratiam ineant, aut ad maiora sibi
 largienda pelliciant; cum non aliena commoda quærant, sed alienis opibus
 inhiant; & non honestatis causa, sed lucri spe incitentur, non liberales, sed
 50 auari potius sunt habendi. Sanè qui Principum ministris donant; vt eorum
 animos sibi concilient, & obnoxios reddant, non quidem liberales, sed va-
 fri, &

fri, & callidi sunt appellandi; cum alio mentem directam habeant, quam ad eorum, qui accepturi sunt merita. At qui ea donant, quæ alijs auferunt, Tyrannorum liberalitate utuntur, quæ (ut ait Demosthenes) nil aliud est, quam à iustis Dominis ad alienos pecuniarum translatio: nec tam donantes laudandi, quam auferentes vituperandi; cum prorsus ab humanitate, atque honestate recedant. Illi porro, qui instanter flagitantibus dant, non quod dare ve-

fiat, sed quod negare non valent, vicioso quodam pudore adducti liberalitate non utuntur; nec pecunias donant, sed abijciunt: cum accipientibus non satisfaciant, neque alieni commodi voluntate ducantur. Aleator vero, qui nihili facere pecunias videtur, minimè omnium liberalis est; sed nescias, verum illum prodigum, an avarum dixeris; cum utriusque mores, & ingenium exprimat: sui enim profusus alieni est appetens; & aut se ipsum, aut amicum perdit: & fure deterior est; cum is clam, & nequam ab amico, hic vero palam ab amico aufert: & aut ipse gemit in amici commodo, aut gemere illum cogit in suo. Et cum amici infor-

19

20

ranium operet, eo que lætetur, suæ fortunæ prosperitate non fruitur; sed in ea est instabilissimus. Cum autem ocio valdè aburatur, & perniciofa opera, & exemplo nocet, ut pestilens civis est abigendus. Sed iam de reliquis virtutibus differamus.



DE HEROICA VIRTUTE.

CAP. VIII.



HEROICA Virtus, propria, ac præcipua Regia est. Hanc autem sumit appellationem, quòd Heroes (vt dicunt Grammatici) illustres viri dicti sunt, qui mortales cum essent, rerum tamen à se gestarum magnitudine quàmproximè ad Deum immortalè accesserunt; eamque apud gentiliù vulgus opinionem emeruerunt, vt post mortem in Deorum numerum credantur relati: quales ad Horatio feruntur Romulus, & Liber Pater, & cum Castore Pollux. Vt igitur Herois natura humanam exuperat; ita & eius propriam virtutem humana maiorem esse oportet. Quemadmodum autem Rex cæteris hominibus antecedit, primùm potentia, & auctoritate in subiectos, deinde scientia, & rerum cognitione, vel propria, vel eorum, qui ei sunt à consilio, ita & iuuandi voluntate antecedit: necesse est, si virtute prope diuina esse ornatus debet. Erit igitur etiam magnanimus, ac vera imbutus Religione. Atque ita egregia iuuandi voluntate, magnis viribus, & sapientum consilio instructus, ac præcipuè singulari erga Deum pietate præditus, erit suo quantumuis magno imperio par. Et suis prouincijs, regionibusq; prospicere; & ingentia in eos commoda conferre sciet, poterit, atque etiam volet. Hæc igitur omnium est virtutum regina, & verè ad perpetuam gloriam via. Et quemadmodum Platoniorum sententia, cælum ex elementorum excellentijs constare dicitur, ita nos affirmare possumus, heroicam virtutem ex cæterarum virtutum excellentijs constari; eamque cum reliquis proportionem habere, quam cælum cum quattuor elemētis, quæ eo continentur. Primùm enim, quòd ad fortitudinem attinet, ita earum artium, munerumque omnium, quæ militia postulat esse Regem eruditum, & expertum decet, sui que regni vires, & copias noscere, situumque, & locorum opportunitates; vt per se cuncta administrare valeat, quæ ad regni totius, & singularum partium munitionem, ac tutelam exiguntur, & exercitum ducere, aciem instruere, propugnare, & oppugnare optime sciat, & audeat; & vbi opus sit, alienum etiam regnum inuadere: sic enim tam sui, quàm vicini illum verebuntur, & à seditionibus, atque iniurijs abstinebunt; cum decipi, vel lædi non posse, & paratum illum esse eos vlcisci, & superbos debellare intelligent. Liberalitatem verò illum exercere consentaneum est, primùm tributis moderatè imponendis, atque exigendis; ne suis populis sine magna necessitate sit grauis; & non solum eorum pecuniam possideat, sed etiam animos: deinde erga inopes, nimirum puellas sua pecunia locans; & probos, præsertim nobiles, subleuans. Magnificentiæ eius apparebit in cunctis publicis operibus, quæ pertinent ad diuinum cultum; ad munimenta vrbium, & locorum; ad tutamenta populorum, & commoditates; ad regiam dignitatem, & amplitudinem. Magnam ex temperantia laudem consequetur, alienæ pudicitie parcens, quam sua libidine violare posset; & simul subditorum fidem, ac benevolentiam sibi obstringet. Mansuetudine, & Clementia erga omnes utetur; & veluti pius, & lenis pater suorum filiorum ignoscet erroribus. Ambitione vacabit: nequè enim erit ampliandi Regni cupidus; sed eo contentus, quod nactus erit, illud ornabit, & moderabitur. Veritas præcipue eius inesse dictis debet, nullumque verbum ex eius ore ab ea alienum prodire; & nihil omnino promittere, quod non Regia fide exactissime præstet. Quod atti-

net ad obedientiam, si Princeps supremus sit, & neminem sibi superiorem cognoscat; Deo tamen obedire illum oportet. Rectè enim ait Horatius: *Regum timendorum in proprios greges. Reges in ipsos imperium est Iouis.* Summis quoque Dei ministris, ac præterea legi Rex obedientiam à se præstandam non dubitet; eademque ratione humilitatem: ac si quandò contingat illum in suæ ditioni subiectos delinquere, imitari Dauidem, ac Theodosium, & poenitere non erubescet. Patientiam in aduersis præstabit, & necessariorum mortem, morbos, aliasque cunctis mortalibus communes calamitates non æquò tantum, sed magno etiam animo, ac regio feret: nec se ad rerum temporalium solùm prosperitates natum arbitrabitur. Regiæ autem virtuti admisceri etiam Vrba nitatem posse plurimi Reges declarauerunt: ea enim ipsemet Rex opportunè reficitur; & durities, atque asperitas, quæ tantæ magnitudini inest, mollitur. Comitatem quoque, ne in eo alloquendo humiles subditi exanimentur, & vt cunctis ad eius aures pateat aditus, & benignè audiantur, & vbi iustè, vel honestè fieri possit exaudiantur. Elegancia quoque cum splendore, coniuncta decet Regem, Regiamque domum, ac supellectilem, totamque curiam, ac satellites: est enim causa, vt populus Regiam Maiestatem suspiciat, atque admiretur. His igitur virtutibus constans Heroica virtus, perfecta humanitas videri poterit, qua Rex decoratus erit, veluti terrestris quidam Deus, & viuum omnium exemplar in populo, verèque patriæ, ac regni parens: & eius vitâ populi ipse erit censura. Rectè enim ait Claudianus:

--- componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensu

Humanos edicta valent, vt vita regennis.

Virtus autem ipsa erit habitus, & tamquam ars quædam suum populum felicem reddendi (vt Plato, & M. Tullius de perfecto Rege affirmant) Rex autem illa ornatus, studiosæ vitæ in suum regnum introducendæ artifex erit, ipse quidem omnium felicissimus. Huius virtutis oppositum tantumdem ab humana natura declinare censendum est, quantum ipsa virtus illam exsuperat.

Ethi. lib. 7.
cap. 1.

Dicitur autem ab Aristotele feritas, siue immanitas; quæ tamen non videtur esse, qualis ille eam describit; sed potius qualis olim Caij, Neronis, &

Domitiani Cæsarum, vel nostra tempestate Turcarum domini Tyrannis apparet, qui in suam ditionem non, vt ille, beatitudinem introducit, sed proprij commodi causa, miseriam: solus enim liber, & dominus; cæteri uerò omnes, veluti emptitij serui, aut vernæ, vel vt brutorum animantium greges habentur.

Ac Rex quidem heroica virtute

præditus, propria commoda,

& vtilitatem parum,

aut nihil curat;

sed ea pluri

mum,

quæ ad populum pertinent, cui tantum vi-

uit. Ille autem populum omnem, nisi

proprie vtilitatis causa, nihili

facit: nam sibi soli consulit,

suaque eum causa, &

viuere, & mori

æquum pu-

tat.

DE IV.

BERVVND EICIMVSI
 DE IUSTITIA REGIA.

CAP. X.



IUSTITIAM particularem, priuati hominis virtutem, quidem appellari debere, superius diximus; cum plurium sit bonorum hominibus causa. Ea enim irrationales potestates cohibentur, ne aliena inuadant, aut expetant; sed suis contenta sint. Quae praecipue ratione homines inter se societatem, pacemque conseruant; & proprio labore, & industria sine cuiusquam impedimento, ad felicitatem

contendunt. Verum tamen illam ostendimus non ex eo virtutum genere esse; quae sunt honestatis gratia; quibus praediti in eos, qui digni habentur beneficia, & commodata conferunt; sed tamen modo gratia iuris; hoc est esse habitum non tam ceteros libenter iulandi, & nostra bona illis communicandi, quam neminem laedendi, nec suis quemquam bonis priuandi; ut nemo nobis nostra eripiat. - Ac si reliquis commodamus, non eo facimus, ut illis bene sit; sed ut ipsi nobis vicissim commodata praebeant. Vt enim iuridicam societatem, & commune commodum quaerimus ob nostrum proprium, ita iustitiam non per se,

verum nostri commodi causa diligimus: et iusti, atque innoxij esse volumus; ut nobis alij non infestus, sed amici utiles esse velint. In iustitia igitur hoc modo sumpta bonis honestis, & ipsi virtutibus, quae honestatis sunt gratia, annumerari non potest. Regia vero iustitia non eiusdem est substantiae, & naturae cum superiore; sed haud leuis est pars, aut exigua beneficentiae. Nam bonus Rex ea ornatus, aut per seipsum ius dicit, & leges condit, & praecauet, ne cui inferatur iniuria, neue pauperes a diuitibus, ac nobilibus opprimantur: & malos punit, ut boni commodius degant: & id gratis facit, aut haec mandat diuersis Magistratibus munia, & diligentiam adhibet, ne odio, vel amore, alijsve

30 affectibus impulsus, neu muneribus corrupti a iure discedant. Et ut magnis praemijs eos donat, qui sine vlla fraude, & fallacia officio suo funguntur; ita maximis poenis afficit eos, qui quacumque de causa ius deserunt: nam ad populi salutem, & commoditates eius semper directus est animus. Huiusmodi igitur virtus iustitia quidem dicitur, quoniam in populo ius constituit, atque conseruat; verum ea praeditus, cum ijs, quibus ius reddit, nequaquam iuridica societate, sed benefica coniunctus est: non enim id mercedis, & quaestus causa, sed gratuito, & paterna pietate compulsus facit: quae res maximam populo commoditatem, & tranquillitatem adfert. Propterea in bonorum honorabilium

40 genere comprehendi, & inter earum virtutum nobilissimas, quae sunt honestatis gratia, recenseri debet. Quique hanc virtutem assereret Hespero, & Lucifero clariorem (ut de vniuersali iustitia dicit Aristoteles) ei que post Heroicam virtutem, (quae vel soli ipsi conferri potest) primas deferret, neutiquam deciperetur. At ipse huiusmodi agnouisse iustitiam non videtur, nisi rei potius natura ductus, quam principijs. Quod enim modulandi artifices faciunt, ut vocem nimium intendentes, vel remittentes cantores corrigant, idem in societatibus Rex, & Magistratus praestant; cum sociorum discordes animos, quasi dissonas modulantium voces, ad commodorum inter se paritatem, & ad pacem, ac concordiam, tamquam ad harmoniam quandam reuocant. Quod cum

50 gratuito, paternoque efficiunt animo, magnam sibi populi caritatem, laudemque conciliant. Nam qui mercedem capit, ut lites dirimat, prout nostrae tempestatis Praetores, non illi quidem benefici, sed socij habendi sunt; veluti Me-

dicus ægotantem curans, aut iurisconsultus de iure respondens, vel ius reddens, conductus precio: non enim dum suam scientiam, aut artem venalem habent, communium artificum conditionem, & sociorum excedunt: at cum gubernacula reipublicæ tractant, & cadet ne quid respublica detrimeti capiat, & gratuito inter ciues ius dicunt, valde benefici censendi sunt: regio enim funguntur munere; bonaque omnium, & singulorum, & civilem societatem, ac publicam quietem conseruant. Neque verò mirum videatur, societatem iuridicam, ac beneficam, quod artinet ad iustitiam, solius animi mutatione mutari: nam videmus in cunctis quoque artibus idem accidere: qui enim stipendio, & mercede tuetur, miles dicitur, non fortis, aut beneficus; sic etiam Iurisconsultus, & Medicus; cum non honestatis gratia operatur, sed iuris: idemque de Prætoze, cæterisque Magistratibus sentiendum est. Quod si quis contenderet, hæc precio æquari non posse, dicendum videtur, eos partim socios esse, partim beneficos; perinde ac liberalium artium doctores, quibus, licet mercede conductis, discipuli tamen se plurimum debere fatentur. Quamuis igitur æquari pretio nobilium artium opera nequeat; laudabile tamen esset ab ijs iuridicam societatem excludere; ita ut earum præceptores (modò non inopes) essent absolutè benefici. Sed maximè omnium in iu-

re reddendo præstare oporteret; ut nobiles ciues, & diuites, non mercenariam iustitiam, sed regio animo regiam exercerent. Sic enim non modo

omnem auaritiæ suspicionem, & corru-

ptionis effugerent, sed de Repu-

blica, cunctisque ciuibus

benè merentes, pro

pecuniæ quæstu

publicam

bene-

uolentiam, & gloriam lucrifa-

cerent; & veram suis poste-

ris nobilitatem opti-

mis artibus com-

pararent.



DE PATIENTIA.

CAP. XI.



ANTEQVAM de Patientia dicamus, considerandum videtur, num sit virtus: non enim absque necessitate sunt multiplicandæ virtutes. Deinde num à fortitudine sit distincta. Primum enim Aristoteles de ea mentionem non facit, sed cum de fortitudine loquitur, pauca quædam, quæ ad patientiam spectare videntur ipsi fortitudini tribuit. Præterea videmus à plerisque fortitudinis nomine patientiam intelligi, & fortis appellatione patientem. Quòd igitur virtus sit patet; cum sit eius, cui inest, perfectio quædam, & illius opus bonum reddat. Quin nemo ob ullam aliam virtutem, præter fortitudinem, tam laudandus, vel etiam admirandus videtur, quàm ob patientiam: nam illius acris, nempe dolorum perperio omnium difficillima est. Propterea non minus rari sunt patientiæ virtute præditi, quàm fortes; imò difficultate, ipsa etiam fortitudo, patientia superatur: rectè enim apud Cæsarem Critognatus, qui se (inquit) vltro morti offerant, facilius inuenies, quàm qui dolorem patienter ferant. Circa difficilia autem ars dicitur esse, & virtus. Accedit quod non ipsi patienti tantummodo prodest, verum etiam socijs, quos impatientia valde læderet. Ideirco M. Tull. de Patientia loquens, Virtus autem est, inquit, quia nisi ferantur aduersa, animum impatientis occupabunt, nec permittent quicquam honestatis causa operari. Quod quidem prudenter affirmat; cunctarum enim virtutum parens humanitas, per impatientiam ammittitur. Quamobrem ab eodem M. Tullio eadem virtus definitur, honestatis, aut vtilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, aut diuturna perperio. Platonem enim secutus est, à quo dicitur esse perperio malorum propter honestatem, vel habitus perferendi laboris honestatis causa. Honestatis autem causa agere, virtutis est proprium. Ex ijs igitur patere potest, Patientiam virtutem esse. Quòd autem Aristoteles, cum de virtutibus agit, de ea nullum verbum faciat, nemini esse admirationi debet; cum earum numerum certum inuenire nulla diuisione tentauerit, sed eas se forma, ac figura quadam proponere dicit, vnde etiam emergere posse autumat, quot sint ipsæ virtutes. Quod quidem mirandum videtur; cum nullus rerum numerus, aut multitudo artificiosè inueniri sine diuisione possit: qua de re alibi a nobis est disputatum. Quòd verò idem Aristoteles quædam fortitudini adscribat, quæ ad patientiam spectant; vt cum nemo ab eo asseritur tolerantior malorum homine forti; quòdque à nonnullis vnius fortitudinis nomine ambæ capiantur, harum virtutum inter se similitudo facit: nam Patientia (vt Valerius maximus affirmat) tam similis est fortitudini, vt cum ea, vel ex ea nata videri possit. Differentiam tamen inter ipsas haud exiguam esse materiæ vtriusque diuersitas indicat: fortitudo enim circa terribilia versatur, ea præsertim, quæ in bello contingunt, & fortis circa mortem, quæ in pugna accidit, est interritus. In maximis igitur, & in pulcherrimis periculis consistit; unde vulnera, & dolores, & sæpè mors ipsa consequi solèt: Patientia verò in summis doloribus tam corporis, quàm animi tolerandis, in cruciatibus, & calamitatibus, atque etiam in ipsa morte leniter ferenda, non solum quæ in bello, verum etiam quæ in mari, & in morbis aduenit, circa quam Aristoteles fortitudinem versari negat. Laudantur autem diuersi Duces, quòd fuerint famis, & somni; aliorum, & æstus, inopiæ rerum omnium

De bello Gall. lib. 7.

Tuscul. 2.

In Definit.

Echi. lib. 3. cap. 6.

Ibid.

Lib. 3.

nium patientissimi. Quæ quidem patientia, licet forti viro sit necessaria; eam tamen nemo dixerit ad fortitudinem proprie pertinere: quæ admodum neque earum calamitatum tolerationem, quæ ad animum spectant; ut bonorum amissionis, filiorum mortis, aliorumque huiusmodi. Plurimum verò ad rem facit, utriusque virtutis extrema conferre. Fortitudinis quidem sunt audacia; atque timiditas; patientiæ autem fortitudo conferri possunt. Infensibilitas quædam, atque mollities; aut his similia, quæ nullam cum his cognitionem habent. Differunt igitur hæc inter se virtutes; ut ex earum definitionibus sit manifestum: nam fortitudo esse dicitur virtutem, quæ bonos armis honestatis causa à maiorum iniuriis tuetur. Patientia autem est habitus, honestatis causa; animi, corporisque acerba omnia perferendi ex quacumque causa aduenientia; nempe tam ad hominum, reliquorumque animalium iniurias; quam à natura, vel à propria etiam electione. Illa igitur magis in agendo; hæc autem penitus in patièdo. (ut nomen ostendit) esse habet. Hic autem habitus, veluti ceteri, ex frequentatione sui generis actionibus, videlicet ex laborum, & dolorum perpeffionibus gignitur. Et eximie, ut grauius ferendis oneribus corpus assuescens, grauiora ferre assidue potest; ita & labores omnes; atque dolores; eodemque modo animus. Nam Milo Cætonia dicitur; quem vitulum assueverat ferre; tantum tulisse. Apud Indos verò (ut Valerius Maximus narrat) patientiæ meditationem obstinate usum; pari creditur, ut sint, qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo Caucasimontis gelido frigore corpora sua durantes; modo flammis sine ullo gemitu obijscientes; atque haud parum his gloria contemptu doloris æquirunt; titulus namque Sapientiæ datur; hi enim sunt, qui Gymnosophistæ olim appellabantur. Quod igitur de corpore apparet, idem de animo est existimandum. Propterea adolescentem, ut ait Cicero, exerceat in labore; patientiæque & animi & corporis; quod apud Lacedæmones fuit in usu; nam dolores non assueti frangunt animum; atque enervant; qui verò perferre assueverit, leuiore sunt; & minus nocent. Obdurescit enim paulatim animus; & dolores, atque aduersitates ferendo robur acquirit, & assidue aptior ad ferendum redditur; ita ut tandem habitu patiendi quasi callo quodam (ut superius diximus) contracto, quæ prius aspera; & grauias erant, vix sentiantur. Nam ut onera (inquit Cicero) contentis corporibus facilius feruntur, remissa opprimunt, similiter animus intensione sua depellit pressum omnem ponderum; remissione autem sic vrgetur, ut se nequeat extollere. Porro animalia (ut ait Aristoteles) nec mouere quicquam, nec agere sine intensione virium possunt; intenduntur autem vires retentione spiritus; ijs quidem, quæ spirant, extrinsecus accersiti; ijs verò quæ non spirant insiti. Sic animo insito virtutis vigore, & deliberata obfirmatione vires intenduntur ad grauissima omnia perferenda. Hinc Horatius.

Durum, inquit, sed leuius sit patientia quicquid corrigere est nefas.

Et hæc quidem ratio; & disciplina est aduersa omnia superandi; ut recte à Poëta dictum sit:

— superanda omnis fortuna ferendo est:

Prudentis enim est officium; ne quid mali accidat diligenter cauere. Cum autem nulla ratione prouideri potest, ne malum sequatur; patientis est, quodcumque euenerit fortiter sustinere: cum nulla sit tam difficilis passio, aut tam grauis calamitas, cuius non sufferre queat pondus hominis natura. Neque verò (ut ait Plato) si quid aduersi inciderit, prosternere nos debemus, atque, ut pueri solent, cum offendunt in lapidem, procidentes circa id quod læsit, eiulando moram trahere; sed animum assuefacere, ut ad sanandum præsto adsit; ut quicquid ægrotat, dimissis lamentationibus, corrigat. Nam cum temporis diciturnitas

turnitas molestias, & mœrores omnes, quàmuis maximos ex hominum animis euellere, ac delere valeat, pulchrum est, id beneficium, quod à tempore cæteri expectant, patientem illico propriæ virtuti acceptum posse referre. Magno igitur animo ei toleranda sunt mala, cui obueniunt: nam maximorū bonorum causa semper fuit eorum toleratio. Propterea Epictetus duobus verbis nempe *ἀνίσχου καὶ ἀνίσχου*, idest, sustine, & abstine, vniuersa stoicorum dogmata complexus monet nos, vt aduersa fortiter toleremus, & ab illicitis voluptatibus temperemus: nam beneficentiam non cognoscens, patientiam tantum, ac temperantiam sufficere ad foelicitatem arbitrabatur. Cæterum cum à nobis superius dictum sit, virtutum habitus voluptatis repetitione conuari; dubitare quispiam posset, patientiam virtutis habitumue non esse: nullam enim ex eius actionibus, videlicet ex perpeffionibus voluptatem percipi (quod ei cum fortitudine commune est) sed dolores duntaxat, atque molestias, quæ quidem sunt voluptati contrariæ: ex contrarijs autem contraria consequi necesse est; non igitur virtutem ex ijs, vel habitum conuari posse, sed potius conflatum iam, contractumque dissolui, aut immutari. Verumtamen, cum patienter ferendo minui dolorem dixerimus; quemadmodum minus malum pro bono habetur, atque eligitur, ita imminutio, remissioque doloris cuiusdā voluptatis loco capienda est. In singulis enim patientiæ actibus dolores, qui toleratu atterri mi erant, sensim patibiliores fiunt; & de priori eorum duritie, & asperitate, assuetudine tolerandi, aliqua portio detrahitur, quæ doloris detractio, non secus ac quædam voluptas animum patientis ad leuius tolerandum incitat. Et quoniam homines natura in verita, & aduersa nituntur, eo nonnumquam progreditur tolerans, vt doloris, victor in tormentis, & cruciatibus, & in ipsa penè morte lætetur: vt non iniuria Lucanus dixerit.

— *gaudet Patientia duris.*

Et vt medicamenti reparatur sanitas, ita voluptas perpeffionibus, tamquam doloris remedijs, restituitur. Nam si vita superfit, quod fuit durum pati (vt ait Seneca,) meminisse dulce est: si cum mor-

te mutetur, morientem in doloribus, atque tormentis honestatis causa, quò illa acerbio-

ra fuerint, eò maior, & soli-

dior gloria comi-
tabitur.





VERACITAS est virtus vera dicendi. De ijs autem veris sermo est, quæ in communi vsu vitæ, & in actionibus civilibus versantur: nam de speculatiua veritate dicere ad aliam spectat facultatem. Hanc autem virtutem, cum amplissima sit, Aristoteles videtur maiori suæ amplitudinis parte priuasse; cum de ea tantum illius portione loquatur, quæ est inter arrogantiam, & dissimulationem media; vt ille sit arrogans, qui bona sibi maiora, quàm insunt, fingit; ille dissimulator, qui minora. In quorum extremorum medio verax consistit, qui res vti se habent sine augmento, aut imminutione enunciat: atque hoc se ideo fecisse asserit, vt hanc etiam virtutem mediocritatem quandam esse ostendat. Nam virtutes etiam ipsas (inquit) mediocritates esse credemus, si id in omnibus fuerit ita sese habere perspectum. Negat autem nunc de illo verace se loqui, qui in stipulationibus verum dicit, & in ijs quæ ad iustitiam, & iniustitiam pertinent: hæc enim affirmat ad aliam accommodari virtutem, quæ quidem ipsa iniustitia est. Verùm si quis non huius virtutis partem sequatur, sed veritatem omnem actiuam capiat, magis fortasse cognoscet quàm magna sit virtus veracitas. Etenim vt appetitus concupiscibilis obiectum bonum est cibus, potusque suavis, & actus generationis, quibus obiectis perficitur homo, vt est animal, ita intellectus actiui obiectum est (vt Aristoteles dicit) veritas consentanea appetitui recto: hæc autem est bonum agibile, quo obiecto perficitur homo quatenus est homo. Vt igitur si quis appetitui concupiscibili suum obiectum neget, ei que surripiat dulce, vel eius loco amarum suggerat, homo secundum eam potestatem, hoc est vt animal non perficietur, sed potius imperfectior fiet; ita si quis ab intellectu actiuo agibile bonum, nempe verum appetitui concupiscibili recto consentaneum subtrahat, vel immutet, & pro eo contrarium offerat, homo secundum intellectum actiuum, hoc est quatenus homo est, perfici non poterit: non enim eum finem assequetur, ad quem genitus est, sed fortasse contrarium. Hæc autem subtractio, & immutatio mendacis fit opera, qui vel negat esse quod est, vel affirmat esse quod non est; & verum immutat aliquo modo. Nam si malum esse affirmet hominem, qui bonus est, aut bonum esse, qui est malus, necesse est beneficium, qui ei fidem habeat malum pro bono amplecti, & beneficijs prosequi, & bonum pro malo deserere, atque euitare. Siquidem suo mendacio illius cognitionem peruertit tamquam coloratis specillis visum, quam obrem appetitionem quoque, & actionem quæ inde manat: Et præstigiatori fit similis rem pro re ostendenti; vel potius monstro cuidam, cum aliud concipiat animo, aliud verbis profert. Et naturæ dono, quod homini maximum illa largita est, abutitur, verbis scilicet animi sui sentia in alterius animum transfundendi: quod quidem est humanæ rationis, & prudentiæ lumen extinguere; vt in tenebris degat homo, nec progredi ad propriam perfectionem possit. Recte igitur Homerus ostendens, quàm sit fugiendum mendacium, inquit.

Ethic. li. 4.
cap. 7.

Ethic. li. 6.
cap. 2.

III. ad. 1.

*Pene mihi est Orci portis inuisior ipsis,
Cuius verba sonant aliud, quàm mente recondit.*

Deterior igitur eo est mendax, qui monetam adulterat; cum hic hominum corrumpat inuentum, ille naturæ, & longe magis noceat homini adulterata veritas

50

veritas, quam pecunia. Quod de eo dicimus, qui verbis fallit, idē de eo intelligi volumus, qui quouis actu, vel signo, vel nutu falsum significat, & diuersum ab eo, quod habet in animo, aut est in re: nam si pauper preciosa, diues veste lacera utatur, uterq; veritatem obnubilat. Mendacem autem appellamus, non tã eum qui mendacium dicit; cum is falli possit existimans se verum dicere, quàm qui mentitur; qui ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur. Rectè enim apud Gellium Nigidius inquit, *Vir bonus prestare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat*. Qui autem vult fallere improbus est, & magno malo socium afficere, seque ipsum querit: socium quidem, quē (vt diximus) in errorem inducens, ei pro fœlicitate miseriam parat; se verò ipsum, qui cū humanitate adductus, commoda socio largiri debeat; & in eo sua quoque felicitas reposita sit, exigui compendij causa contrarium eligat. Qui igitur mentitur (quantum in se est) socium, & seipsum perdit: vnde apparet quàm detestabile vitium sit mendacitas; veracitas autem contra, quàm optabilis sit virtus, atque amabilis. Non igitur mirum est, si ad veritatem astruendam, vel eruendam; ne testi peierare, & fallere libeat, iusiurandum tamquam vnicum perfugium adhibetur, quo Dei testimoniū inuocatur, qui, quamquam omnia etiam non vocatus videt, & audit; & omnium peccatorum magnus est, & diligens animaduersor; tamen cum veritatis loco, mendacij testis assumitur; credibile est, aduersus eum, qui ad hominum perniciem tantam Maiestatem contemnit, & minuit, seuerissimum vindicem fore. Neque etiam mirum est, si ij apud quos singulare certamen erat in vsu (qua de re superius locuti sumus) vt quandam tam atroci rei speciem honestatis prætenderent, à mentiendi odio illud auspiciari videbantur: nullum enim aliud inerat bonum illi pesti, præter mētientis exagitationem. Itaque cū mendacitas, seu mentiendi studium sit vitium, vel habitus sui animi sensa explicandi verbis, aut motione aliqua; & re ipsa secus, ac concepta sunt proprii commodi causa, aut voluptatis; Veracitas ei contraria erit virtus, vel habitus sui animi sensa signis (hoc est verbis, vel actionibus, vel rebus) aequè exprimendi, ac impressa sunt, honestatis gratia. Gignitur autem tam mendacitatis, quàm veracitatis habitus (quemadmodum cunctos gigni diximus) ex frequentatis eiusdem generis affirmationibus, aut negationibus; vel ex consuetudine seu vera, seu falsa dicendi. Nam qui ab ineunte ætate vera dicere assueuerit, & falsa vitare, progressu temporis veritatem amat, & mendacium odit: præsertim quòd sua natura veritas facilis est, & dicenti se ipsam offert. Idcirco eius oratio simplex esse dicitur; cū mendacium sæpè sit difficile, & egeat veteratoris versutia, & meditatione; ac nisi multa arte, & industria contexatur, & adornetur, subuertere veritatem non potest, quæ est interdum (vt ait M. Tullius) ita perspicua, vt eam infirmare nulla res possit. Et rectè Seneca, *Veritas (inquit) in omnem partem sui eadem est; tenuis est mendacium; pellucet, si diligenter inspexeris*. Epist. 80.

40 Pueri tamen, vt à discendi molestijs liberentur, suasque voluptates sequantur, & errorum poenas effugiant, semper mendacia in promptu habent; quæ si parentū conuiuentia, vel tolerantia sibi profuisse cognoscunt, amare illa incipiēt, & maiora assidue comminisci; ita vt suauis eorum repetitione, veritatis vsu nondum percepto, aut neglecto (nisi a parentibus coercentur) breui in mendacitatis vitium delabantur. Quo vitio, cum ætas aduenerit, alij ad turpē quæstum, alij ad vanitatem vtuntur. Nonnulli enim sunt huiusmodi, vt inanibus mendacijs delectentur, nullius omnino rei causa: nam neque alijs nocere cupiunt, nec sibi prodesse contendunt; sed potius audientem in suspensionem

50 animi, & admirationem adducere; quorum mores apte exprimit Theophrastus in Characteribus, & Lucianus in Philopseudo. Quæ mendacia, licet innoxia videantur, tamen nocent; si minus audienti, saltem dicenti: nam in causa

causa sunt, ut ei postea affirmanti verum non credatur; & in audiente gignatur opinio, illum vel vanum, & leuem; vel prauum esse: deinde ea consuetudine mentiendi habitus in eo augetur, atque perficitur. Quamobrem mendaciorum usus, quæcumque illa sint, damnandus est, ac fugiendus. Illa tamen, quæ socium sine cuiusquam detrimento, ipsumque dicentem oportune exhilarant, & loci causa dicuntur, ad Urbem referuntur, & quavis mala sint, at tamen venia digna videntur: itemque illa, quæ neminem omnino laedunt, & aliquem iuuant; & quæ tendunt in hostem, cui nocere liceat. Si verò ei fides detur, seruanda est: tum quod eo actu hostis quodammodo esse desinit; tum quod fallens gentium ius impedit, & nullum reconciliatio-
 ni locum relinquit. De simulatione autem, & dissimulatione, cæterisque huiusmodi, cum de fictionibus egimus, locuti sumus.



DE VRBANITATE

CAP. XIII.



D VAS esse circa verba virtutes diximus; alteram quidem, circa seria; alteram verò circa iocosa. Cum igitur de ea dictum sit, quæ circa seria versatur, nempe de Veracitate, nunc de ea dicendum est, quæ in iocosis consistit, quæ est Urbanitas. Cum enim homines laborare perpetuò nequeant, sed aliquando requies illis sit necessaria: nam (vt ait Ouidius) *Quæd, caret alterna requie durabile non est*, lepido, suauique sermone magnopere reficiuntur, cui sit iocus quidam, & risus admixtus. Etenim risui non mediocrem esse vim cernimus: cum, si opportunè concitetur, non solum animi lassitudinem, & negotiorum satietatem, atque etiam dolorem; sed iram quoque, odiumque discutiat. Quamobrem hæc virtus cunctis ciuibus, præsertim elegantioribus, est vtilissima. Propterea Urbanitas appellatur; quòd eos maximè deceat, qui in Vrbe versantur: Oratoribus autem, & Curialibus sit necessaria, quorum consuetudo iucundissima est; sermo autem nunquam sine audientium voluptate, ac recreatione: ita vt nullum reperiri possit ciuilium laborum, curarum, ac molestiarum; præterea etiam dolorum aptius leuamen, aut honestius. Itaque non modò Aristotelis, & Peripateticorum omnium sententia; verum etiam Stoicorum (vt M. Tullius inquit) est Virtus. Nisi fortè quis suspicetur ei loco mendam inesse; cum videatur eorum doctrina seuerior fuisse, ac magis tetrica, quam vt in virtutum numerum illam admiserit: quippe quæ alias nonnullas reiecerit, quæ omnium comprobatione sunt admittendæ. Nam ex ijs, qui eam sunt disciplinam secuti, nonnulli rarò, nonnulli etiam nunquam risisse feruntur: quamquam ipsa virtus, si ei risus ciendi vis adimatur, propemodum nulla relinquitur. Cum igitur risum præcipuè spectet, de eo pauca dicenda sunt. Est autem is lætitiæ comes, aut index homini: ridemus enim in amici aduentu, & in eorum omnium perceptione, quæ nobis iucunda offeruntur. Verum hic risus non nihil diuersus ab eo est, qui ab Urbani sermone mouetur: cum ad eum quibusdam etiam reliquorum animalium motibus, aliorumque multorum, nemine loquente, incitemur. Omnis autem risus motus quidam est, tam corporis nostri, quam animi: qui quidem videtur nobis à natura benignissima matre, vt alia plurima, primùm ad hilaritatem, & lætitiã traditus: deinde vt homo, se ratione præditum esse intelligens, cautè illa vtatur: & quid dicere, facereue expediat, diligenter animaduertat, ne cæteris risui, & contemptui sit. Nulla enim alia re æquè lætatur, & exhilaratur, ac risu ab urbano homine excitato: in quo rum animus soluitur, & liberatur à molestia, curaque omnium facies iucundior, quam in quauis alia constitutione apparet: ita vt ipsam etiã Venerem in vultu ridentis cunctas suas delicias videri exprimere, asserant Poetæ. Propterea risus ad cætera tam animata, quam inanimata, transfertur: vt ad cælum, præterea, aliaque huiusmodi. Nam cum pulchriorem, ac iucundiorem aspectum referunt, quam eorum fete natura possit, ridere dicuntur: cælum quidem, cum valdè serenum est; præterea, cum floridum. Quo autem modo, & vndè admirabilis hic motus, tam in animo nostro quam in corpore; & in qua corporis parte existat, explicatu difficillimum est: propterea Iulius Cæsar apud M. Tulliu Democrito prouinciam hanc delegat. Nos autem, non vt eius Philosophi munus assumamus, sed vt aliquid adferamus, quod nostra sententia sit veritati propinquius; & acquiescere ei possit

Famil. ep.
 lib. 3. Epist.
 7. in fine.

De Orato.
 lib. 2.

X animus;

De partib.
anim. lib.
3. cap. 10.

animus; & vt aliqua urbano homini ratio ostendatur suæ exercendæ virtutis, nonnulla dicere hæc de re necessarium duximus. Prius autem de corporis motione veluti notiore dicamus. In risu igitur ea potissimum corporis nostri pars moveri videtur, quæ à Græcis *σπέρν*, à nostris dicitur septum transuersum: quod illi etiam *σπέρν*, hoc est præcordia appellant: quo nomine animum quoque ipsum, mentemque significant. Quæ quidem pars in sanguineis animalibus (vt ait Aristoteles) sedem cordis à ventre dirimit: & quasi paries, ac sepes quædam nobiliorem partem ab ignobiliori distinguit. Hæc autem præcordia in risu ad inferiorem partem protendi, & trahi quodammodo deorsum sentimus: atque idcirco titillati videmus, quod vel ea pars contrectetur, 19 vel nerui, & particule ad eam pertingentes. Hæc igitur de corporis motu. Quod verò attinet ad motum animi (si risum ex lætitia ortum, & ex titillatione seiungimus; & de eo tantum risu loquimur, qui ad Urbanitatem pertinet) dicitur proprium hominis accidens: tam quod solus omnium animalium rideat; quam quod consentaneum est, aliquo modo ad rationalem hominis partem pertinere, vel eam sequi, & ab ea fluere. Indicat hoc ita esse, quod ex eodem fonte, vnde ratiocinium ducit originem, risus erumpit; nempe ex corde: non enim ridet homo sine cognitione, nisi in infantia: qui tamen verè risus non est; sed earundem partium, quæ in risu mouentur, fortuitus motus: nam licet in præcordijs exerceatur, ab ipso tamen corde manat, cui illa sunt 20 propinquissima, vt ibidem Aristoteles dicit. Quamobrem (inquit) *σπέρν* appellantur, quasi participes prudentiæ sint: Atqui nullatenus participes sunt; sed quia propinqua sunt ijs, quæ vim obtinent illam (cordi enim prætenduntur) hinc mentis mutationem aperiuere. Oriri autem risus videtur ab errore, & imprudentia quapiam, quæ tam in locutione, quam in opere præter rationem contingit. Nam cum ad aliquem finem tendimus, ad eumque assequendum rectè nos progredi arbitramur, non tamen congruis modis, aut rationalibus medijs procedimus, sed dictis, factisue decipimur, repente cognoscens risus mouetur. Aristoteles autem ridere nos dicit ex quibusdam turpibus quidem, innoxijs tamen: vt ex facie distorta sine dolore. Verum ex huiusmodi 30 facie ridere nos haud dubium est: non tam autem (meo iudicio) quod sine dolore sit turpis, quam quod aliqua eam aspicienti consideratio erroris oboritur: quod vel is, cuius ea est facies decipi credatur, existimans se cæteris esse hominibus similem; vel perinde quasi arbitrium eius fuerit, qua is facie nasceretur, & in ea formanda hallucinatus sit; vel quasi ipsa natura eam delineauerit, non absoluerit. Vt in pictis faciebus cū sunt deformes, pictoris inscitia, & errorem ridemus. Neque enim ob turpitudinē ipsam, & turpia risus mouetur: sed vt pulchris allicimur, ita turpia auersamur, & nonnunquam horremus. Nā Simiam aspicientibus nequaquam risum excitat turpitudō, siue deformitas; cū sit animal pulchrius alijs plurimis, quæ tamen haud ridentur: sed quoniam 40 ob humanæ formæ similitudinem, quæ illi inest, eam consideramus, quasi imperfectum quædam hominem, & figuram illius videmur ridere, non completam, sed adumbratam: tanquam natura in ea formanda suum finem non sit consecuta. Ex errore igitur risum nasci etiam M. Tullius animaduertit: nam in ijs, quæ scripsit de Oratore, Cæsar de risu, & facetijs eum Crasso, & Antonio sermonem habens. *Sed scitis (inquit) esse notissimum ridiculi genus; cum aliud expectamus, aliud ducitur: hic nobismetipsis noster error risum mouet.* Et paulò post. *Natura enim nos (vt ante dixi) noster delectat error; ex quo, cum quali decepsi sumus expectatione, ridemus.* Idemque ad Quint. Metellum scribens de sermone quodam à se in Senatu habito. *Hoc in sermone (inquit) cum à me exponeretur, qua mea expectatio fuisset orationis suæ, quantoque in errore versatus essem, visa est oratio non iniucunda; & mediocris qui-*

De Orat.
lib. 2.

Fam. epist.
lib. 5. ep. 2.

eris quidam est risus consecutus, non in te, sed magis in errorem meum: & quòd me abs te cupisse laudari, aperte, atque ingenue confitebar. Cum igitur Marcus Tullius ab errore, & deceptione aliqua risum proficisci cognosceret; tamen, ut arbitror, Aristotelis auctoritatem secutus, turpitudini, & deformitati cuidam illam ascribit. Nam idem Cæsar apud illum in eodem sermone: *locus autem, & regio (inquit) quasi ridiculi (nam id proximè quaritur) turpitudine, & deformitate quadam continetur. Hac enim videntur vel sola, vel maxime, qua notant, & designant turpitudinem aliquam non turpiter.* Verùm si quis ridicula omnia percurrat, ea præsertim, quæ eidem M. Tullio tribuuntur, nullum fortasse reperiet, in quo aliquis non lateat error, atque deceptio; turpitude autem nulla (si obscena dempseris, quæ tamen ad Urbanitatem non pertinent) nisi quis errorem illum turpitudinem esse quandam dicat: quod quidem valdè improprie dictum videri poterit. Nam, quod attinet ad actiones, si quis, se existimans rectè ambulare, labatur (modò lapsus periculo vacet) aut imprudens anxie quærat, quod in manu habet; aut iter facturum, equum ad parietem religatum conscendat, in risum prorumpimus: licet turpitude nulla adsit, sed error. Quod verò ad sermonem attinet: aut dictum ipsum errorem continet; aut lepidè coarguit, & conuincit erroris. Continet quidem: ut si quis rogatus quo eat, se nuper venisse respondeat; aut salutans mane noctem quietam precetur; vesperi autem prosperam diem. Erroris verò conuincit: ut illud M. Tullij in Vidium Curium, de suæ ætatis annis multum mentientem. *Tum ergo (inquit) cum una declamabamus non eras natus.* Et in Fabium Dolobellam dicentem, se triginta annos habere, *verum est (inquit) nam hoc iam viginti annos audio.* In summa nullum factum, dictumue comperies, quod risum excitet, nisi ob errorem aliquem, & deceptionem; vel ipsius agentis, aut loquentis; vel videntis, aut audientis. Hoc autem indicat illius, cuius errore risus cietur, rubor, aut excusatio, aut etiam ira, quasi aliquam suam culpam fatentis, aut deprecantis. Quod autem ex huiusmodi errore risus moueatur; ex insanientis, aut delirantis amici dictis, factisque sit manifestum: quæ quidem nobis risum extorquent; cum tamen ad lachrymas potius incitare deberent. Nam si tibia, aut brachium, aut aliud amici membrum grauitè læditur, dolemus: si verò læditur cerebrum, vnde vsus rationis amittitur; aut ex magno morbo deliratio aduenit; ut ex feбри, vel phrenesi, risum continere non possumus: quemadmodum etiam ebrium videntes, atque audiètes, cuius verba non cohærent; nec mens, lingua, pes, ut ille apud Comicum, satis suum officium facit. Cum igitur risus causam errorem aliquem, & fallaciam, ac deceptionem esse dicamus; eundem asserimus Urbano risum excitaturo finem, scopumque esse debere: nimirum ut aliquid dicat, aut faciat, quod socium in huiusmodi errorem, vel deceptionem inducat; aut seipsum inductum simulet; aut ea dulci, suauique sermone enarret, in quibus vnus, aut plurium error aliquis, aut deceptio interuenerit: inde enim necessariò risus, atque hilaritas consequetur. Quamobrem autem hilaritatem risus pariat, spiritus in causa sunt, qui veluti cum ad cor contrahuntur (ut fit in fletu) mœrorem adferunt; ita cum à corde funduntur (ut fit in risu) lætitia, & hilaritate perfundunt. Argumento est, quòd in magna lætitia nonnunquam homines exanimantur, quod nimia spirituum effusione fieri certum est: ut mulieres quasdam ferunt; cum de improviso filios vidissent, quos defunctos existimauerant, repentino gaudio extinctas esse: idemque in congressu venereo nonnullis accidisse accepimus. Est igitur Urbanitas habitus, siue virtus dictis, & faceto, suauique sermone, gestu congruo comitante, mœrorem, doloremque sedandi; & risum, & lætitiā concitandi. Gestum autem addimus, non quòd verbis iocosis addere etiam actiones velimus; sed

quia sermonis natura fert, ut gestum quemdam, & faciem, ac corporis totius habitum, & motum adiunctum habeat, sine quo non ineptus solum sit, verum etiam valde infusus, & inurbanus. Hic autem habitus ex frequentatis quidem eiusmodi generis actibus contrahitur; qui tamen inuita Minerua, & nisi natura faueat, tentandi non sunt ab initio: sed alijs haec relinquenda est Virtus, ne forte pro Urbano frigidus fiat. Loca autem vnde risus, & dixerium

De Orat. lib. 2. Inst. Ora. lib. 6.

ducitur, de quibus M. Tullius, & Quintilianus loquuntur, non videntur necessaria esse, ut ipsi etiam animadvertunt: nam, praeterquam quod sunt innumera, valde quoque incerta videntur, & quae nullam ridiculum querenti possint opem adferre: sed figurae illae sufficere possunt, quae in ambiguitate quadam, & sensuum diuersitate, & multiplicitate consistunt, de quibus Marc.

Fam. epist. lib. 7. Epist. 33.

Tullius Volumnio nonnulla scribit, a quo suarum salina

rum possessionem, nempe ioci, facietiarum, & urbanitatis defendi desiderat. Illud autem praecipue cauendum est, ne ioco laedas quemquam, ne amicum potius, quam dictum amittas.

..... deesse videntur nonnulla



D E O B E D I E N T I A .
CAP. XIII.



OBEDIENTIAE autem haud ignobilem inter Virtutes locum deberi ex eo patet, quod superbiae aduersatur: quod quidem vitium inter maxima ab omnibus non iniuria numeratur; nam (vt superius diximus) societatem impedit contrahendam; contractam dirimit. Superbus enim de se ipso tam magnifice sentit; vt se inter ceteros plurimum excellere, sibi que deberi eximia omnia putet: & cum aliena opera se minime indigere arbitretur, reliquos omnes nihili facit, & indignos ducit, in quos beneficia ulla conferantur: quod quidem inter priuatos humanitatem omnem videtur exinguere; Reipublicae autem, aut Principi magnum minari periculum. Nam fieri non potest, vbi sint plures huiuscemodi ciues, quin posthabita legum, & superiorum auctoritate, inter eos discordiae, ac seditiones excitentur; & ex ijs ipsarum Rerumpublicarum ruinae, & oppressiones sequantur. Nonnunquam enim ciuium potentia ira augetur, vt nisi habitu parendi contracto sponte obediunt, vix bonorum ciuium opera prouideri possit, ne Respublica detrimentum capiat. Ad hoc igitur periculum vitandum, obedientia necessaria est, quae est habitus superiorum praecipis, atque institutis parendi, honestatis causa. Hic autem, velut ceteri habitus, ex frequentis eiusdem generis actibus gignitur; nempe domesticae obedientiae, quae patri potissimum praestari a filiis debet. Nam qui ab ineunte aetate parentibus, patris, atque etiam praceptoribus, & senioribus obtemperare assuescit; & ad eorum praescriptum viuere, non propriam voluntatem sequi; cum ad adulescentiam, ac iuuentutem peruenerit, licet ei liberius viuendi fiat potestas, tamen parendi assuetudine, spiritus illos elatiores, & feruidos animos domitos habet: & cum intra domesticos parietes, alienae auctoritati suas subijcere appetitiones didicerit, humilior, & demissior redditus, ciuilibus Magistratibus, & legibus non inuitus parerit. Quamobrem veteres Legislatores huic virtuti assuefacere populum cupientes, ne filij a parentum mandatis discederent supremam in eos parentum potestatem esse voluerunt. Moses quidem omnium post hominum memoriam antiquissimus, filium non obedientem parentibus, lapidibus a populo mandauit obrui; & eum, qui superbia elatus Sacerdotis imperio, iudicisue decreto parere contemneret, morte mulctari; Romani quoque inobedientiam tanquam Reipublicae pestem sunt detestati. Propterea Manlius Torquatus filium suum, qui praeter imperium paternum cum hoste manum conseruauerat, quamquam victorem, securi percuti iussit. Necessariam autem Obedientiam esse ad societatem inter homines conseruandam, rerum vniuersitatis exemplo comprobatur: nam & ipsa, nisi ordine, & obedientia contineretur, conseruari non posset. De hac tamen tam praecleara virtute, quae in cunctis Reip. speciebus, in priuatis domibus, & coetibus, ac societatibus necessaria est, lib. 3. c. 8. Aristoteles nihil docet: Vnum illud effatur in Politicis, Ciuis est imperare, & parere in loco.

Cetera desunt.

MAGNIFICENTIA magnorum sumptuum virtus est in magnis operibus honestatis gratia factorum, quorum quidē operum priuata sunt alia, vt sepulchra, villæ sumptuosæ, ædes magnificæ, alia publica vt Tempia, Cœnobia, Aquæ ductus, viæ, pontes, Pyramides, inter quæ laudibilia sunt ea quæ maiora, & diuturniora commoda populis præbent. non solum autem Aedificia, sed & spectacula, quæ populo exhibentur: vt nauium in flumine concursus, & equitum infestis hastis; Comœdiæ, Epulum publicum, Missilia, Proposita brauia, Congiaria, Castrorum fictæ oppugnationes, & similia ad magnificentiam spectant.



D E B E N T E M I P V E R Q U A C C E T I F A .

(M. P. XVII)

TEMPERANTIA pluribus modis considerari potest: nam si quis abstinet ab vxore amici non videtur excedere terminos iustitiae; cum relinquitur alteri quod suum est si vero abstinet a captiua, vt Alexander, & Scipio, videtur quod suum est largiri. Sic etiam cum inuaditur quaedam muliere, tanquam honestatis causa repellit, vt Iosephus, & Hippolitus, quasi per reflexionem tradere videtur quod suum est. Et his duobus modis Temperantia Virtus est: nam quasi suum donat: at priori modo iustitia tantum videtur esse; cum alieno parcat.

Cetera, quae de Temperantia differenda fuerant, desiderantur. Sed & de reliquis Virtutibus, quas enumerauerat cap. 6. lib. x. nempe de mansuetudine, de Patientia, Elegancia, Modestia, Humilitate, Comitatu, Capita sibi subtexenda esse notauerat Author, quae morte praeventus exequi non potuit.

ANNO DOMINI MDCCLXXVII



ANNO

DICEN



VM. autem de Virtute in uniuersum, & sigillatim hucusque actum
fit, nempe de ea qualitate, vel qualitate, quarum exercitatio-
ne apud ad beneficentiam fit actu beneficium, nunc de ea dicendum
est, quia in pte. qd. est beneficium acceptum, actu fit beneficij ca-
pit, videlicet de Dignitate, & quibus, que illam necessario comitantur.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

FINIS LIBRI VNDECIMI.



ADOVARDI





AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Duodecimus.



DE DIGNITATE NATURALI.

C A P. I.



QUAEADMOBVM pulchritudo appetitum concupisibilem ad amorem inuitat; ita dignitas socium in vniuersum ad bona tribuenda digno. Ea vero dignitas, quae alliciat ad paria retribuenda, ad iuridicam societatem pertinet. Quae autem principium est impulsuum, siue attractiuum humanitatis, ad bona conferenda in dignum gratis, ad praesentem spectat tractationem. Est & alia dignitatis species, scilicet

49 cundum quam digni illi, & mereri dicuntur, qui benefici fuere; quique ad tradendum ijs inuitantur, non benefici, sed grati sunt. De qua saepe fit mentionem solemus inter se merita, & dignitatem opponere, cum dicimus, digniorem quidem hunc esse nos tamen illi magis debere, quoniam magis meretur; atque etiam dignum hunc esse, & simul de nobis bene mereri. Ita ut veluti duo impulsua principia videantur, dignitas, & meritum. Verum nos hoc loco dignitatis nomine capiemus principium attrahens, ex ipsius inopis natura, non autem ex appetitu accipiendi, & reddendi paria, aut ex meritis, de quibus postea agendum erit. Itaque cum dicimus, honestatem paritatem esse commodorum a benefico inopi collatorum, siue inter beneficium, & inopem datorum, 50 atque acceptorum pro dignitate, intelligi volumus principium quoddam in ipso inope, seu digno reperiri, quo praeditus aptus, ac idoneus videtur, ut in eum gratis bona conferantur, non quia meretur, quod sua tradiderit, vel

Y sic

fit traditurus, sed quia beneficis bona congruentur, & quare cupiens ijs largiatur, qui eo principio præditi sunt. Cumque huiusmodi principium admittat magis, & minus (digniores enim magis attrahunt, & plura ipsis tribui debent) quidnam illud sit, indagandum est, & quo pacto maior, & minor dignitas discerni possit. Nam si bona, quæ pro dignitate distribuenda sunt, pro corporis magnitudine, vel pro albedine diuidenda essent, mensura quadam uti oporteret, qua cognosceremus, quis esset, & quanto maior, & in albedinis differentia dijudicanda visus disgregationem perpenderemus. At verò cum beneficia pro dignitate sint conferenda, perquirari necessarium est, quid re ipsa sit dignitas, ut ex eius natura quid cuique tradere, & quem tui anteferre conueniat, statuere possimus. Cum igitur inops sine ope, & auxilio sit, & inopia sit quasi nuditas, & fortunæ hominis afflictæ, & spoliatæ commoditate reddendi paria; ipsa est reuera principium, quod humanitatem attrahit ad bona gratis tradenda, eademque maior, aut minor reddit inopes magis, aut minus dignos, modò humanitate non sint destituti. Beneficijs enim esse indignos, sed qui petere presumitur ea præditi, nisi contrarium constet. Inopia autem consideranda est, vel simpliciter ex ijs, quæ victui sunt necessaria, vel secundum quid ex ijs, quæ ad bene degendum, atque ad felicitatem pertinent. Ut ad honores, magistratus, diuitias, cæteraque huiusmodi, in quibus aut inopis appetitus spectatur, aut gradus, in quo conseruandus, vel in quem esset restituendus. Iam igitur patet, quod si omnes, & pares, quoad victum, considerentur, qui fame, vel siti magis laborat, dignior est. Quo verò ad magistratus, & cæteras opes, diligenter considerandum, quæ quisque optare coactus sit: nam Sacerdos, jurisperitus, medicus, alijque primarij ciues, ea coguntur expetere, quæ eorum gradibus, & conditionibus sunt accommodata, neque eadem cuique conueniunt. Etenim si nobilis magistratum petat, ut suis maioribus æquetur, nec degenerare videatur, iusta petitio censenda est. Si plebeius, fortasse non item. Sic si eques pauper, & agricola auxilium postulet, non utriusque equum, & arma, pecuniamque tradere decet, sed quæ utriusque conditioni, & congruo desiderio accommodantur. Denique naturalis indigentia, & status vniuscuiusque conseruationi, vel reparationi consulendum est. Ita ut egentium consuetudo, & lapsus à bona fortuna consideretur. Nam si Rex, aut Princeps quispiam in quampiam calamitatem incidit, decet eum, qui opitulari desiderat, non vulgaribus illis donis largiri, sed Regibus, ac Principibus accommodata; ac (modò fieri possit) in sua regna sunt reducendi. Quandoquidem dignitas in communi facultatum animæ nostræ respectu spectanda est. Nam qui voluptatem finem esse concedit, & circa nobilissima obiecta versari oportere, & cuique natura facultates inesse, quæ, nisi obiectis perficiantur, frustra inerunt, concedat etiam oportet, quemlibet supra natura obiectis sibi congruentibus dignum esse. Verum in societate beneficia ad obiecta præbenda, ferendumque socijs auxilium non mouemur; nisi ita illi egent, ut suo labore ea sibi nequeant comparare. Qui in suis vrbibus, & instrumentis ea commode consequi possent, neque nos ad tradendum alliciunt, neque eos, si maxime tradere velimus, accipere conuenit. Cum autem quilibet naturaliter suis instrumentis perfici cupiat, in calamitatibus inopum, commodus relinquetur benefico locus. Nam vel belli violentiâ spoliatos, vel tempestate in litibus eictos, vel agrotantes, alijque huiusmodi infortunijs pressos subleuabit; eodemque modo desertos ingenuos pueros, & honestas mulieres, ac senes ætate confectos, perire inopia, aut periclitari non sinet. Illi. n. præter cæteros obiectis suæ conditioni accommodatis digni videntur, quibus conseruari, & perfici possunt. Ita ut dignitas videatur aptitudo ad possidenda obiecta, quibus dignus perficiatur, vel possessoris proportio ad rem possessam. Nam cum quispiam ex aliquo obiecto ea voluptate capere aptus est, quæ illud producere, tunc est possessoris ad rem possessam proportio. Quo fit, ut arma militibus, libri

ijs, qui in litterarum studia incumbunt; sagaces canes venatoribus tradendi
 sint. Sic etiam vxor iuuenis iuueni viro ducenda est. Cum enim formosam
 puellam senex ducit, clamant omnes indignum facinus, propterea quod in-
 eptus ad eam possidendam videtur, neque ad rem possessam proportio pos-
 sessoris adesse. Nam ex huiusmodi coniugio vir felix haud facile fit, sed
 mulier fortè ob sterilitatem fit infelix. Si igitur dignitas ad obiecta refertur,
 aptitudo quædam ad illa, & proportio est. Si verò ad beneficium, videtur
 principium impellens, quod eo fit, quia beneficium commune bonum desiderat
 pro cuiusque mensura; propterea cum dignitas mensura sit, & capacitas ad
 10 bona possidenda, beneficium, dum commune bonum expetit, cogitur singulis
 commoda pro cuiusque capacitate, & modulo impertire; non tamen ante ad
 largiendum mouetur, quam inopiam intelligat. Qui enim dicit diuitem di-
 uitijs dignum esse, non illi quidem esse tradendas, cum iam obtineat, sed
 conseruandas affirmat. Vt igitur bona valetudo præsens medicum ad con-
 seruationem mouet, absens verò ad reparationem; ita dignitas, quæ digni
 aptitudo ad bona, & capacitas est, veluti corporis ad valetudinem, mo-
 uet ad conseruanda dignis bona, quæ adsunt, & ad ea tribuenda, quæ de-
 sunt. Vt si digni vasa sint liquore implenda, & plura quis habeat, è qui-
 bus alia iam plena, alia semiplena, alia etiam inania; plena quidem ei
 20 conseruanda, semiplena verò, & inania complenda essent. Quod vt com-
 mode fieret, necesse haberet explorare, quantum singula liquorem caperent,
 ac simul omnia, quantumque infusus iam esset, ac præterea quantus relin-
 queretur, vt an cuncta complere valeret (congrua sibi portione seruata
 ad suum vas implendum) an non, cognoscere posset; atque ita pro sua co-
 pia, & pro eorum capacitate illi esset in ea liquor distribuendus. Digni-
 tas igitur capacitas est, & proportio, vt loci ad locatum, & vnà principi-
 um excitatiuum appetitus viri boni, ad tradendum digno honestatis gra-
 tia. Hæc autem etsi diuersa videntur, in idem recidunt. Nam cum be-
 neficium commune bonum appetat, pro naturali singulorum capacitate, cæ-
 30 teris paribus, nihil aliud habere præ oculis debet, quam eam commodita-
 tem, & voluptatem, quam parere obiecta possunt, eorumque aptitudinem,
 qui obiectis fruuntur; qui digni sunt omnes supponendi, cum commune, hoc
 est, omnium commodum queratur. Nisi enim quis sibi ipsi suis flagitijs digni-
 tatem adimat, digni omnes natura sumus; & quilibet humanitatis impulsu
 (modò possit) omnia omnibus commoda tradere, vel conseruare pro singulo-
 rum capacitate, dignitateque tenetur. Quamobrem dignitas non solum aptitu-
 do est, ad bona, & proportio, atque capacitas; verum etiam (vt dictum est) prin-
 cipium impulsuum humanitatis ad largiendum. Nam quæ dignus respi-
 cit obiecta, ea possidere est aptus; quæ verò beneficos, eos impellere. Pri-
 40 mum ergo considerandum est, facultates obiectis egere, & alias quidem alio
 tempore, locoque diuersis; idcirco dignitatem ad obiecta relatam nihil præ-
 terea dicimus esse, quam capacitatem, atque aptitudinem ad fruendum bonis.
 Quo fit, vt non omnes eodem modo, eisdem obiectis indigeamus, sed ijs
 tantum, quibus frui possumus. Neque enim puer, vel senio confectus vxorẽ
 eget, neque alij alijs. Quapropter primò spectandum, quibus frui quis pos-
 sit, deinde quibus careat, & quibus abundet, postea verò eius conditionem,
 & consuetudinem; atque appetitum explorare oportet. Nam cum commune
 bonum, & felicitatem queramus, ea autem aduenire nequeat, si bona, & ob-
 50 iecta cum singulorum facultatibus congruum responsum, & proportionem
 non habent; hæc autem proportio dignitas sit; proculdubio cum digni, apti-
 que obiecto aliquo perfici eo carent, quæ tales, felices esse non possunt. Qui

igitur communem felicitatem inquirunt, ad bona dignis tradenda, quibus ij carent, ipsi verò abundant, excitentur necesse est. Verum non raro fit, vt quis dignus quidem existimetur, non tamen, vt ab hoc, vel ab illo accipiat, qui fortasse non minus, vel etiam magis eget: sic enim paritas non sequeretur. Quo loco animaduertendum est, beneficium liberaliter inopibus largiendū (modò digni sint) errare non posse. Nam si plura tradit, ita vt paritatem pro dignitate inter se, & illos minime seruet, quamquam discedere ab honestate videtur, nihilominus tantum abest, vt turpitudinis sit infimulandus, vt diuina potius actio, quàm humana iudicari debeat. At si dignioribus neglectis, minus dignis largitur, turpis actio censenda est. Probum enim virum cauere 10 oportet, ne se ipsum commodis priuet, præsertim magnis, vt dono det improbis, quos probos reddere minime possit. Nam præterquam quod paritatem deserit, & de bonis non bene meretur, ex accidenti etiam illis nocet, cum beneficia in malos conferens, facultatem illis subministret lædendi bonos. Cum verò non offeruntur egentes, promouere licet hominēs, & ad meliorem statum perducere. Ita tamen, vt si fouendi sint, qui suo labore, & industria se attollere nituntur, non hebetioribus, sed acriori ingenio præditis auxilium feramus; & è duobus artificibus, peritiori; è duobus militibus, fortiori fauamus, vel ei, quem peritiorē, aut fortiorē fieri posse conijcimus.

• DE DIGNITATE EX MERITIS.

C A P. I I.



DIGNITAS, de qua sermonem fecimus, naturalis est, nempe commune principium studiosum attrahens, vt magnes ferrum, ad largiendum digno. Nam cum bona ad communem hominum vtilitatem producta sint; homini minime malo cui libet esse satis est, vt victui necessaria consequatur, & cætera, quæ illi tum pro communi, tum 30 pro priuata dignitate conueniunt. Cum alia viro, ac mulieri, alia iuueni, ac seni, alia valido, ac imbecillo debeantur. Ea verò dignitatis species, quæ ex meritis oritur, aut ex voluntate tradendi, non capacitatem solum, sed etiam tacitam quamdam quasi obligationem indicat in societate benefica; ita vt dignus sit veluti creditor, & beneficus peccare videatur, si ei bona pro dignitate non tribuit. Est enim principium promerendi humanitati annexum, qua præditi absolute sunt digni, & qui plura, vel maiora humanitatis opera ediderunt, aut ardentiori ea edendi desiderio flagrant, sunt digniores, & cæteris in pari indigentia anteferendi. Propterea hæc dignitas à virtute ratione, non re differt. Nam quatenus in nobis principium est tradendi com- 40 moda, virtus dicitur; quatenus verò principium est, quo nobis tribui debent, dignitas. Recte igitur Scipio Acilianus turpe existimabat, quibus dignitate præstaret, ab ijs virtute superari, cum eadem penitus esse debeat. Et vt qualis, quantaque est virtus, talis, tantaque eius actio est, & effectus; ita qualis, & quanta est dignitas, talia, tantaque ea prædito bona debentur. Nam idem subiectum, in quo est virtus, siue moderata humanitas, est etiam simpliciter beneficijs dignum. Neq; enim videtur rationi consentaneum esse, vt cui diuinum principium inest, & illud in omnes pro suis viribus, & eorum capacitate exercet, is, cū indiget, qui humanitate sibi respondeat, non reperiat. Itaq; hæc dignitatis species tam ex voluntate beneficia conferendi sumenda est, quàm ex ijs, quæ iā 50 sunt collata. Nā auari, quiq; de suo largiri nihil volunt, nec se parant, vt prodesse valeant

valeant, nec sua conseruant, vt inde possint esse benefici; non sunt ijs dignitate pares, qui benefici fuerunt, & liberales, suaque tum proprijs vsibus, tum indigentium commodis conseruauerunt. Qui enim patrimonium profundunt, & sibi suæ inopiæ causa sunt, ab humanitate recedunt, quæ destituti, nullo modo digni sunt, quibus bona, quamuis egeant, conferantur. Nam contemnere diuinam, quæ in nobis est, portionem non licet, aut permittere, vt eius appetitiones ab alijs suæ animæ potestatibus opprimantur. Sed danda est opera ei, qui sibi dignitatem hanc comparare, eaque cæteris sui ordinis præstare cupit, vt aliquantulum refrigerato sui ipsius, suorumque amore, curet, vt sciat, ac possit, & omnino velit alijs prodesse hominibus, & oblata opportunitate, de ijs, quos dignos esse cognouerit, numquam desinat bene mereri. Quandoquidem beneficium, quod in quemvis bonum, vt talis est, abs te confertur, non secus ac si in omnes bonos collatum esset, tibi simul omnes deuincit. Ita vt tota quasi bonorum societas tacito quodam omnium inter se fædere, & consensu conflata, atque conspirans, tibi se debere fateri cogatur. Ac si plures bonos eodem modo beneficijs prosequaris, auges tuorum meritorum in eadem societatem cumulum. Quamuis enim ipse beneficus, bona, quæ ab eo prodeunt opera, non modo non promat, & diuulget, verum etiam quantum in se est, celata omnibus velit esse, cum ex ijs neque commodum, neque laudem, vllam, aut honorem venetur, aut expectet, sed tantummodo vt illi bene sit, in quem confert; nihilominus ea est beneficij vis, & natura, vt grati hominis animum (qualis semper est dignus, in quem confertur) assidue stimulet ad id prædicandum, & occultum esse non patiatur. Prodeunt igitur benefici merita, & cunctis celeriter innotescunt, & pro illorum numero, & magnitudine honor eidem, ac dignitas aduenit. Nam cum beneficio affectus, eum, qui affecit, humanitate præditum esse opinetur, ac propterea dignum; opinio autem de alterius probitate, ac dignitate (vt paulò post demonstrabitur) eius sit honor, & quantum quis opinatur, tantumdem illius iudicio is dignus sit; honor perfectio mensura dignitatis erit. Cum verò cuique pro sua dignitate commoda debeantur, si quis iam consecutus est, ei à beneficijs enixe sunt conseruanda; si ijs caret, eadem dignitas beneficos ad ea tradendum inuitat. Quamobrem dignitas probitatis, & meritorum mensura videtur. Qui igitur honestatis gratia operari studet, paritatem commodorum pro dignitate, hoc est, pro meritorum mensura, inquirere debet, & exacte cognoscere, quæ cuique debeantur, quæ iam adint, quæque desint bona, vt singulorum dignitas, & benefacta, congrua ratione pensentur, & pro cuiusque modulo bona tam priuata, quam publica distribuantur, nec vni pauciora, alteri plura, quam meritorum proportio postulat, conferantur.

49 DE DIGNITATE HEREDITARIA, SIVE DE
Nobilitate. Cap. III.



50 **H**ÆC autem ratio de cæteris hominibus bene merendi non solum operationibus, verum etiam potentia niri videtur: etenim qui possunt, censentur velle; propterea præstantiores artes suos quoque reddunt artifices digniores; non quòd circa præstantiora subiecta, finesue versentur, sed quòd plus suis operibus hominum generi prodesse queunt. Id quod etiam de scientijs intelligendum est, cum ijs præditi alios instruere, ac docere possint. Hanc igitur dignitatem dupliciter considerare oportet, nempe actu, aut potestate. Quo loco actus nomine effectus in-

telligi volumus, qui non à nobis ipsis tantum proueniunt, aut prouenere; verum etiam à nostris: quæ enim parentes nostri, vel maiores egerunt, in nostrum commodum cedunt, eorumque virtute, & splendore clarescimus. Quandoquidem sicut cæterorum bonorum, ac iurium, quæ ad eos, dum uiuerent, pertinebant; ita etiam meritorum in rempublicam, & in omnes bonos, hæredes, & successores sumus. Atque hæc parentum, maiorumque in rempublicam meritorum hæreditas, vel dignitas ex ea adueniens, ipsa nimirum nobilitas est, quæ ab omnibus tanti fit, quanti vix reliqua bona. Nec immeritò, cum non in patria apud suos dumtaxat ciues, caritatem, gratiam, splendoremque conciliet; sed simul apud omnes bonos. Non igitur mirum est, nobiles cæteris ciuibus anteferri, cum illis patria omnis pro egregijs maiorum meritis plurimum debeât. Itaque nouus homo, & primus cuiuspiam generis auctor, modò eius magna in rempublicam merita extent, dignissimus quidem esse potest; nobilis tamen proprie dici non potest, cum nullius suorum parentum meriti supponatur hæres. Vt enim vnitas non est numerus, sed principium numeri; ita generis auctor, non nobilis, sed nobilitatis principium erit, licet etiam eiusdem reipublicæ primus eligatur Rex. Si verò nouus quispiam homo alijs Regibus succedat, vt Amasim ferunt, aut Maximinum, cum anteriorum Regum fiat hæres, meritorum quoque eorumdem, Regiorum scilicet, in regnum, ac populos hæres fiet; & idcirco cunctis eiusdem regni ciuibus mirum quantum dignitate præstabit. Tanta enim sunt boni Regis in regnum, ac rempublicam merita, vt ne vniuersi quidem simul coniuncti æquare illa ciues possint, nedum singuli. Vt mirandum sit, audere nonnullos, quamuis nobiles, priuatam suam nobilitatem Regiæ comparare. Nam quid optimo Principe Deo similis excogitari in terris possit, non reperitur. Si quidem huic reipublicæ moderatori beata ciuium vita proposita est, & huius operis maximi inter homines, atque optimi (vt recte ait M. Tullius) illum effectorem agnoscimus. Hoc autem meritum tam late patet, tamque magnum, ac multiplex est, vt obligationem pariatur immensam, neque ei par vlla haberi, nedum referri gratia possit. Neque verò ad successores solum transfertur (modò similes virtute sint) sed in cognatos quoque diffunditur, vt natura coniunctos, ita vt dignissimi habeantur, & nobilissimi. Atqui ciuium in rempublicam merita, licet longe minora sint, nonnumquam tamen magna sunt: nam de iure publice respondere, idemque laudabiliter reddere, leges condere, ac interpretari, consilium Principi, aut senatui fideliter, vtiliterque præbere, interdum gubernacula reipublicæprehendere, hostes armis repellere, imperij fines proferre, ac si fors ferat, pro eadem republica sanguinem, vitamque profundero; non hæc quidem parua, nec parui faciendæ sunt merita, præsertim si nulla mercedis cupiditate, nec alia omnino de causa, quàm vt boni ciuis officio satisfiat, & vt eidem reipublicæ bene sit. Quod olim Romæ fecere Scæuola; Seruilijs, Scipiones, Decij, alijque, quorum nobilitas non immeritò fuit eximia, gloria erit sempiterna. At verò non prudentia tantum, & fortitudine, sed cæteris quoque virtutibus conseruatur, augeturque respublica, atque ornantur familiæ, videlicet modestiæ, temperantiæ, mansuetudinis, & reliquarum exercitatione, & exemplo; sed præcipue liberalitatis, & magnificentiæ. Non enim exiguum est, opibus firmare ciuitatem, iuuare topijs, vias sternere, & pontibus iungere, templa erigere, alijsque publicis, priuatisque operibus, & ædificijs magna præbere populis commoda, & vrbes, regionesque excolere, & illustrare. Quod à Claudijs, Marcellis, alijsque innumeris Romana florente reipublica factum esse legimus. Qui igitur aliqua in ciuitate nobilis est, non vbique, neque absolute est nobilis: non enim supponitur hæres, præterquam in patriam meritorum. Propterea huiusmodi homo non simpliciter, sed apud suos nobilis appellari solet.

Epistol. ad
Att. lib. 8.
epist. 11.

- let. Romani verò proceres, cum in ea essent vrbe nobiles, penes quam orbis fere terrarum imperium erat, absolute nobiles censerì poterant. Regij autem cognati in toto regno, Pontificij verò, & Imperatorij in tota Christiana republica, aut etiam in alijs regionibus, modò in eas aliquod Regis, siue Pontificis, vel Imperatoris non vulgare beneficium extet, cum ad natura coniunctos, quasi commodorum omnium participes, fauor pertingat. Nam ipse summus Pontifex, atque Imperator, & Rex, non nobiles modò; sed ipsius nobilitatis, & dignitatis tamquam fontes, & lumina sunt habendi. Cæterum apud suos nobilis, ob suorum in patriam, bonosque merita, vbique dignus censendus est:
- 10 nam videtur quodammodo bonorum societatis creditor esse, præsertim si quod probitatis, & beneficentiæ specimen edidit: tunc enim certius maiorum suorum similis speratur fore, à quibus natus, & educatus est, eorumque exemplo ad benè agendum impellitur. Præterea quòd magis habetur honoris cupidus, & magis creditur horrere dedecus, quòd bonis operibus, & laudi sit assuetus; ac si facinus aliquod perpetrer, multò plus, quàm ignobilis sit amissurus. Etenim meritorum in patriam, cunctosque bonos, quæ parentum hæreditate, & proprijs virtutibus consecutus est, iacturam faciet. Idcirco magistratus, cæteraque reipublicæ munera tutius illi, quàm reliquis ciuibus mandari solent. Nobilitas autem naturæ bonum existimandum videtur, cum à parentibus procedat, è
- 20 quibus nascimur; sed non minus etiam fortunæ, vel diuinæ potius voluntatis, cum eius dono huiusmodi parentibus orti simus. Patet autem eam, antiquas diuitias, virtutemque non esse, vt Aristoteles censeret, cum diuites per se non profint, nec necessariò, sed prodesse possint, & ex virtutibus nonnullæ rempublicam non magnopere iuuent. At ij ciues nobiles relinquunt liberos, qui suis egregijs virtutibus, diuitijsque plurimum reipublicæ conferunt. Nam qui dixit, *Nobilitas sola est, atque vnica virtus*, dignitatem ex proprijs meritis, pro dignitate ex alienis, videlicet pro hæreditaria accepit. Cum verò à parentibus nobilitas deriuare dicatur, denominationem tamen sumit à patre, non autem à matre, non tam quòd in generatione vir formam, mulier materiam præbeat
- 30 (vt censent nonnulli) quàm quòd liberi patrum proprie sunt hæredes, non matrum, eorumque sunt illæ virtutes, & opera, quibus nobilitas comparatur. Nam ad matres potius castitas, & pudicitia spectat, quibus virtutibus si minus patriæ commodum, saltem ei, ac familiæ decus affertur, & certi redduntur patres, eos sibi hæredes nasci, ad quos iure suorum in rempublicam meritorum successio pertinet. Quod si matres, aut familiæ nobilioris hæredes sint, aut Regiam agnationem attingant, quòd meritis cumulatiores, & splendidiore habentur, sæpe earum cognominibus filij, paternis relictis, decorari, & gloriari solent. Quæ de republica dicta sunt, eadem de Rege dicuntur: ciuium enim in eum merita idem penitus ac illa operantur, quæ in rempublicam. Cum igitur bene
- 40 agendo, & bene de republica, vel Rege merendo, nobilitatis splendor comparatur, atque augeatur; æquum est, contrarijs actionibus illum paulatim immiui, & obscurari, ac tandem etiam extinguì. Nam quasi ab ipsa republica, vel Rege accepti, & expensi tabulæ cum suis ciuibus conficiantur; ita existimare oportet, omnium bonorum, præuorumque operum rationem haberi, & his pœnas, illis præmia esse proposita. Vt si generis auctor pace, vel bello sapius re bene gesta, magnam sit laudem adeptus, eiusque posterì longa serie certatim illius vestigia secuti, optime de republica meriti sint, non dubium est, eorum familiam ob sua egregia facinora eximium decus adeptam nobilibus, præclarisque ascribendam esse. Verum cum actiones hominum (vt à nobis supra dictum est) scientiam, voluntatem, potentiamque sequantur, si quis ex eadem familia huiusmodi principijs destitutus in rempublicam peccet, de ea incipit male mereri: inopes enim, & inertes, qui sibi vix possunt, aut sciunt adiumento esse

Polit. lib. 4.
cap. 8

Iuuen. Sat.

esse (modò id non fortunæ iniurijs, sed propria culpa contingat) inquinare nobilitatem videntur; qui verò sciunt quidem, ac possunt, sed ignavia, segnitieque torpescunt, & prodesse non curant, vel potius ad nocendum sunt parati, cum humanitatem exuerint, huius hæreditatis fundamenta conuellere, & iura videntur amittere. Quamvis horum filij cum suorum maiorum hæredes esse non desinant, & ad ipsos illorum credita, debitaque perueniant, si virtutibus præditi sint, veterem nobilitatem instaurare possunt, modò temporis spatium, quod intercessit, non tam diuturnum fuerit, vt omnis nobilitatis memoria iam sit extincta, nec vel patris, vel auis flagitia tot, tantaque sint, vt nobilitatem non solum deleant, sed perpetuum quoque familiæ dedecus, atque ignominia notam inurant. Qualia sunt contra patriam arma tulisse, aut eam hostibus prodidisse. Vt ob hanc humanarum actionum, fortunæque vicissitudinem, non male à Platone dictum sit, omnes Reges ab agricolis, & omnes agricolas à Regibus originem ducere. Quid igitur sit nobilitas, & quibus operationibus comparatur, quibusque obscuratur, & quibus refarciri valeat, vel etiam penitus aboleri, ex ijs manifestum est. Vnde etiam dilucidum fit, patriam quoque plurimum ciuibus ad dignitatem posse conferre: nam ex digniori prodeunt digniores; si verò illa tenuis, & exigua sit, non magnam occasionem eximia virtutis exercendæ præbet. Nec meritorum in illam tanta esse magnitudo potest, vt egregia inde nobilitas facillè comparatur. Quamquam oriuntur interdum homines tanta ingenij vi, tantaque prudentia, ac virtute præditi, vt non ad sumendum à patria decus, licet nobilissima sit, sed ad eam potius condecorandum formati natura videantur. Quod profectò Themistocli contigit, qui Seriphio eius gloriam in patriam referenti, nec se (ait) si Seriphus esset, ignobilem, nec eum, si Atheniensis; nobilem fore. Nam de Scipione Africano maximum iudicium factum iam diximus, quod *neceffe erat ibi esse orbis imperium, vbi ille nasceretur*. Et illo quidem Athenæ, hoc autem Roma digniorem nullum tulere. Quamobrem patria certe laudanda est celebris, illa ornanda, quam nactus sis: nam quilibet, quamvis exiguus locus, immensam hominis virtutem capit. Ac præstat patriæ lucem afferre, quam ab illa accipere. Atqui diuino ingenio, & sapientia viri, vbiicumque nascantur, ignobiles esse non possunt, suamque patriam, si illustris sit, illustriorem reddunt; si humilis, obscuram esse nullo modo sinunt. Et vt in tanta copia vnico exemplo contenti simus, Stagyram uilissimum oppidulum, ad cælum ingens Aristotelis virtus euexit.

DE DIGNITATIS COMPARATIONE INTER

Nobilem, Studiosum, & Diuitem.

Cap. IIII.

49



Sane cum nobilitas meritorum hæreditas, vel hæreditaria dignitas sit, quæ ex maiorum meritis in patriam aduenit, quò plura, maioraque huius familiæ; quàm illius sunt merita, eò maiorem nobilitatem esse consentaneum est. Siquidem verustas, quæ à compluribus sola spectatur, per se non magnopere meretur, vbi meritorum vtriusque familiæ cumuli appareant, atque inter se conferri possint. Verùm vbi eorum memoriam longinquitas temporis aboleuit, cum cætera paria supponantur, quæ vetustate superat, meritis quoque superare censenda est; cum patriam beneficijs prosequi, cœpisse prior, ac propterea diutius perseuerasse bene merendo existimetur. Nam si priorem fuisse generis huius auctorem, quàm illius constaret,

constaret; & tamen postea de patria promereri cœpisse, alium verò ætate posteriore, sed de eadem antea meritum; si cætera eorum merita inter se collata, quasi paria admitterentur; nulla videretur esse causa, quin posterior priori dignitate esset in patria antefendus: suos enim atavos, aut tritavos, licet obscuros, recensere posse, ad nobilitatem nihil confert, cum omnium prima origo æque vetusta censenda sit. Non igitur vetustati primæ partes simpliciter defendendæ sunt, sed meritis: ab ijs enim nobilitas manat. Cum autem ipsa nobilitas, siue parentum meritis quæsitâ dignitas, veluti quoddam familiæ cum sua patria creditum sit, vel patriæ cum familia debitum; minuere quidem patria, siue Princeps sola auctoritate nobilitatem cuiusquam familiæ, dignitatemque non potest; vt neque suo debito cum familia illa detrahere, nisi par præmium, pretiumuè persoluerit (nam iniuria illam afficeret) verum proposita quapiam publici commodi spe, vel exigente communi reipublicæ utilitate, potest cum aliqua familia liberaliter agendo debitum suum augere; & vt quem vult ciuitate, alioque priuilegio donat; ita etiam quapiam nobilitate, aut nobilitatis parte donare, vt non illi familiæ quidquam dematur, sed huic aliqua congrua ratione addatur, & ei fiat dignitate par, cui ante non erat; & ipsa respublica, vel Princeps aliquanto plus, quàm ante debebat, huic incipiat velle debere, quò reddantur familiæ nobilitate, & dignitate parës, & dissensionum causæ è republica, seditionumque semina euellantur. Sæpe autem dubitari solet, vter dignitate sit præferendus, nobilis ne, an virtute præditus. Ac sane difficile est, cui virtus insit, illum, si minus nobilis sit, saltem sua beneficentia de bonis viris non esse promeritum, & propria dignitate splendere; si tamen nobilis etiam studiosus sit, iam propria dignitate par est, superat aliena, quam scilicet maiorum suorum virtute consecutus est. Si verò destitutus virtute dicatur, propria quidem dignitate cedit, neque aliena fulcitur, cum alienæ humanitatis fauore sit indignus, qui suam abijcit. Virtute igitur præditus nobilem virtute carentem dignitate vincit; sed à nobili, qui pariter studiosus sit, vinci illum non dubium est. Inter studiosum, ac diuitem voluntas benefaciendi cum potentia in contentionem venit; in qua perspicuum est, potentiam à voluntate iuuandi (cum sit eadem humanitati) longè superari. Si igitur diues auarus supponitur, valde quidem indignus est, qui cum studioso compareretur. Si verò ad beneficentiam aptus creditur, facilius ei est, ardentioribone merendi voluntatem assumere, cum natura ad eam inuiteretur, quàm studioso potentiam; idcirco illi, vt ad bene operandum propinquior, præferendus videtur. Inter nobilem autem, ac diuitem eadem proportio est, quæ inter eum, qui iam contulit beneficium, & eum, qui conferre potest. Nobilis enim per suos, aut etiam per se ipsum, beneficus in patriam fuit, è cuius commodo cunctorum ciuium sequuntur commoda; quæ propter, vt reuera est, ita præcipue ab eiusdem ciuitatis ciuibus dignior nobilis, quàm diues habendus est; quamquam ij, qui sibi in posterum consultum volunt, secus arbitrantur; ac profectò non parui diues est faciendus, cum prodesse plurimum pecunia possit, cui vulgò obedire omnia dicunt; ea enim quæcumque hominibus commodo, aut voluptati sunt, siue natura, siue arte proueniant (vt antea diximus) ferè vniuersa comparantur. Diligentia igitur adhibenda est, si quidem rempublicâ, ciuesque iuuare, ac dignitatem consequi volumus, vt bonis artibus ea abundemus. At non pecunia modò, verum etiam quælibet iuandi potentia quærenda est; cum omnis homo natura non minus posse, quàm scire desideret. Quod quidem desiderium non frustra ab ea animis nostris inditum est, sed vt humanitatis appetitui satisfaciamus, & commoditas nobis beneficentia conferendi adsit. Nam quod Stoici dicunt, naturam paruis contentam esse, nec aliud quærere, quàm fugam famis, ac frigoris, aliorumque nonnullorum incommodorum; vere fortasse de sensitiua natura dictum est, non autem de ra-

de rationali. Licet enim ijs contentus sit sensus, qui sibi viuit, animus, qui non propria, sed aliena commoda meditatatur, contentus eisdem esse non potest. Nam vnde humanitati satisfaceret, & illam excoleret, non haberet. Ea igitur ratio miseris quidem, dum ijs congruum auxilium præbetur, afferri potest, vt definiat duæ fortunæ aduersitatem acerbius ferre. Sed longe magis diuitibus obijcienda est, vt assuescant, resecatis superfluis (quibus plerumque totos se dedunt) cætera, quæ ipsis supersunt, in alienum commodum vertere, quæ demum via est, qua sola ad beatitudinem peruenitur. Non sunt igitur homines ad inertiam, & torporem Stoicorum more inuitandi, sed ad industriam, & vigilantiam, vt assidue studeant se ipsos, suosque liberos scientijs, virtutibusque cumulatiores reddere, ac nobilioribus artibus ornatos, vt pariter sciant, & velint, ac simul possint cæteris hominibus prodesse quàm plurimum. In earum enim artium exercitatione non sine alieno commodo, fructuque ditescunt. Verumtamen omnibus cauendum est, ne cum aliena iniuria, aut detrimento locupletiores fiant. Nam præterquam quod humanitati maxime aduersatur, magnamque infamiæ notam inurit; haud facile est, culpam, quam semel scelere admiseris, vlla diluere beneficentia. Quandoquidem subuertitur propositum, quo solo diuitiarum cupiditas honesta, & laudabilis redditur, videlicet iuuandi homines, & superfluas opes, quas tua diligentia comparaueris, ad patriæ, bonorumque vsum, & commoditatem conuertendi. Quo quidem proposito, etiam mercatura, modò non tenuis sit, libero sit homine, & nobili digna. Cum igitur beneficus ijs virtutibus fuerit instructus, quas superius enumerauimus; inops autem ijs dignitatibus ornatus, quæ nunc à nobis sunt explicatæ; cum alter ad largiendum, alter verò ad accipiendum aptissimus redditus sit; nihil aliud reliquum erit, quàm vt inter eos honestæ actiones sequantur. Quas cuiusmodi esse oporteat, nunc ad iuridicæ societatis proportionem exponere tentandum est.

DE VOLUNTATE DANDI, ET ACCIPIENDI.

CAP. V.

QUÆMADMODUM in iuridicâ societate fieri potest, vt quis velit dare, aut accipere in vniuersum: se enim sentiens, aut existimans egere, & abundare, tradere, & accipere cupit; at dare huic non vult, nisi putet se ab eo accipere posse; ita in benefica, cupiens in vniuersum largiri, sentit se abundare, & non egere, propterea cum ipso ad dandum se comparat. Et vt ille prorsus dare non cupit, nisi ei, qui paria reddere potest; ita hic nisi ei, qui eget, & non abundat. Postea verò quam egere quempiam, & non abundare, bonumque virum esse cognoscit; iam non solum in vniuersum, sed ipsi peculiariter tradere cupit. Opus est tamen, vt dignus habeatur, atque vt ita virtute præditus sit, vti gratiam, quam sibi conciliat humanitas, non amittat. Præterea opus est, vt beneficus confidat, illum eiusmodi esse, vt sibi ipsi consulere valeat, & ex commodo in ipsam collato voluptatem percipere. Quæ virtus inopis videri posset. Nam cum fides sit nostri commodi gratia, hic autem commodum nostrum alienum sit, ac commune, virtus principium videtur accipiendi, & se ipsum comparandi ad fruitionem; verum cum hæc non conuertatur cum dignitate, virtus erit voluntas tradendi, si posset. Cumque omnes fortunæ subijciamur, quique nunc ob infortunium nequit, huiusmodi sit, qui alteri fortunæ iniuria presso aliàs opem tulisset; apparet hic quædam paritas, ita vt alter alteri debeat in aduersis opitulari, verumtamen, si quis ad hanc respiciat, negotium non ad honestatem, sed ad ius rediget. Auxilium igitur communis commodi, & humanitatis gratia ferendum est, quæ beneficium

neficum ad opitulandum compellit. Nam qui dicit, si in calamitates ipse incidisset, operam ego tulissem; non honestatis, sed amicitiae gratia beneficium poscit. Certam autem exploratamque amicitiam esse oportet, inter ignotos vero humanitas est imploranda. Quamuis multi dicant, se alijs adiumento fuisse, propterea mereri, ut sibi alij, si minus iidem, auxilium ferant; non quidem æquitatis causa, sed honestatis, perinde atque ipse alijs profuit. At omnino si quis id æquitatis principium protrahat, fortasse eò redigét, ut omnes omnium sint amici, & cuncta in calamitatibus sint communia; non tamen propterea ad honestatem res perducetur. Non enim eo animo tradit beneficus, ut aliquando sit acceptus; sed gaudet se commoda conferre posse in opum causa, quamvis certo sciret, sibi nihil unquam defuturum esse. Qui igitur amicitiae gratia vult largiri, non impeditur; qui autem ex non mouetur, humanitate compelli debet. Ad magnanimum ergo virum, sponteque beneficium non illa vti oratione oportet; deprimi omnes, & in calamitates incidere posse; neque etiam, omnes, licet imbecillos, interdum posse prodesse. Non enim persuaderet, ut neque illa, si tu in miseras incidisses, ego te subleuassem. Nam non est apta mouere, nisi valde motos. In societate igitur benefica ad nostra infortunia, & ad beneficorum humanitatem confugiendum est. Fides autem benefici hoc loco opinio est, in opem communi bono gauisurum; & paritate; & non plura, sed paria suae indigentiae expetiturum, & tradentis abundantiae proportionata. Nam ut fides in iuridica, opinio est socium paria traditurum; ita hic cum gratuita sit fuzura traditio, fidem opinionem esse oportet, quod in commodorum paritate quiescet, & honestate gaudebit. Ut autem in iuridica fieri potest, ut quis timeat, ne pauciora, aut etiam ne plura tradantur, & ut iustus ei se opponit, qui plura tradere vult; ita in benefica si quis plura peteret, aut si nos eum putaremus non indigere, aut paritati non acquiriturum, ei nostra non traderemus. Si verò pudore, aliaue causa adductus petere non auderet; quasi sua cogeremus illum accipere. Ex dictis patet, in opis virtutem principium esse sumendi paria gratis; & quodammodo est principium, quo non vult plura: nam societas aliter non fieret, ut nec in iuridica. Dubitandum autem videtur, num beneficus recusare debeat beneficium minus, quam deceat tradere, an potius inops accipere; non enim solum tradens, sed etiam accipiens reprehenditur, cum plura impudenter petit, aut accipit; & omnino accipiens maiori est dignus reprehensione. Ipse igitur cauere debet, ne plura petat. Benefico autem non tam quæ ille petit, spectanda sunt; quam ea, quibus indiget, quæque ipse largiri potest. Quod etiam in iuridica societate apparet. Emptorem enim, si iustus sit, non operam dare oportet, ut minoris rememat; sed quanti valet. Idemque de venditore dicendum: nam non pluris, neque minoris vendere debet, quam quanti fiat. Ita & benefico curandum est, ne plura, aut pauciora tradatur. Quod præcipue inopi in petendo, atque accipiendo seruandum videtur. Sed ut in iuridica non impeditur societas, cum emptor vult tradere plura, venditor autem vult pauciora: nam utrolibet superante, honesta illa contentio in societatem desinit. Ita cum inops pauciora poscit, & beneficus plura dare contendit. Cum vero inops est impudens, aut beneficus tradere honesta negat, non fit societas, aut imperfecta. Licet in benefica non tam damnum sit pauciora tradere, quam in iuridica; ceterum ut in illa mutantur pretia, & valde egens plura tradit; ita in hac condiciones; grauius enim inopia pressus vel teruncio contentus erit.

CVR DARE QVIS VELIT, AVT

accipere plura, vel pauciora.

C A P. V I.



NEMO est adeo profusus, neque adeo se ipsum contemnit, ut quæcumque habet, indigentibus tradere velit, ut postea ipse indigeat. Vendere enim omnia, & egentibus tradere, non ad honestatis leges pertinet, sed diuinum consilium est, 10 quod humanitatem longe excedit. Qui igitur alium digniorem iudicat, aut se minus dignum, quam sit; vel alium indigentiorum, se verò abundantiorum, sæpe in plura tradendo peccare solet. Non pauci autem negandi pudore, aut largiendi cupiditate adducti, non cogitant, quid expediat, honestumue sit; qui quidem non sunt consulto, neque ratione benefici, sed ob affectum; & monendi sunt, ut consulto, ac prudenter agant. Eademque de ijs sunt dicenda, qui pauciora tradere volunt: nam aut se minus abundare iudicant, aut alios minus egere, aut se digniores, alios verò minus dignos. Non valde diuersa sunt, quæ secundum proportionem indigentibus accommodantur. Nam qui cupit plura accipere, aut affectu mouetur, aut etiam 20 si ratione putat se digniorem, quam sit, aut egentiorum, aut alterum abundantiorum, aut minus dignum. Contra verò cum pauciora cupit. Medio autem modo se habet, cum vult paria. Se autem digniorem, & egentiorum existimare, alterum verò abundantiorum, & minus dignum, secundum proportionem se habent; licet fieri possit, ut peccetur in singulis. Nam iudicare homines possumus ditiores, aut pauperiores, quam sint, & digniores, aut minus dignos. Modò igitur in ijs non peccemus, semper honestas, & commune commodum sequitur. Verum tamen difficultas remanet, quoniam pacto vtriusque dignitas sit capienda. Nam tum honestas sit paritas commodorum pro dignitate, necesse est, utriusque dignitatem patere: Cum autem dignitas ad indigentiam refe- 30 ratur, hæc autem intelligi nisi ex appetitionibus non possit, appetitiones verò debeant esse moderatæ, & gradui ætati, cæterisque huiusmodi accommodatæ; pro earum differentijs maior, & minor indigentia erit. In inuentione igitur honestatis, seu paritatis commodorum spectare necesse est, quæ quisque habeat boni, & quibus indigeat, & pro eorum ratione petitiones, ac promissiones sunt faciendæ. Cum enim ipse dignus es decem, & habes duo; ego verò dignus sum quinque, & habeo octo; iam non est difficile considerare, me tradere tria posse, reliqua autem ab alijs postulanda esse. Quoad pecunias igitur, sui cuique prouentus sunt examinandi, & redundantes inopibus huiusmodi ratione erogandi. Quod si eorum excedant incommoda, tum illis aliquo nostro incom- 40 modo suppetias ferre æquum est. Et quoad pecuniam attinet, eaque, quæ ipsa æstimantur, tot dicta sint. Quo verò ad labores aliena causa subeundos, officiaque præstanda, non pauci sunt ciues, qui pluribus sine incommodo prodesse possunt, ut sacerdos, iurisconsultus, medicus, alijque huiusmodi; qui si minus egent, gratis insumere suam operam ad aliorum commodum debent. Itemque eos, qui doctrina, consilio, monitu, increpatione, & omnino verbis non mediocri esse adiumento queunt, deesse non decet. Vnde apparet, posse aliquem plura, & pauciora, atque etiam paria alteri tradere. Qui autem plura tradit, sibi tantum, non alijs, nisi ex accidenti, nocet; non tamen turpiter operatur, quamquam humanitatem exsuperat, modò dignis conferat; sed di- 50 uine potius, quam honeste agit; si tamen se putet honeste agere, decipitur, & exemplum non est imitandum. Neque enim ipse tradere tenetur, neque alter capere

capere debet : nam qui excedit , animum valde propensum ad beneficia confere-
 renda demonstrat ; & animus quidem laudandus est , licet actio probari ne-
 queat : non enim transcendere honestatem potest , quin reliquas potestates hu-
 manitate exsuperet ; licet autem , quantum sit cuique tribuendum , non nouerit ,
 tamen reprehendi non potest . Videndum igitur erit , quæ quisque habeat bo-
 na , & quibus egeat , & vniuscuiusque indigentia pro sua copia succurrendum .
 Quæstio autem de indigentia oriri videtur : nam omnes conditionem nostram ,
 meliorem reddere cupimus , & ex inferiori gradu ad superiorem ascendere ,
 quamobrem ne vni quidem omnium bona sufficere possunt , nedum omnibus
 20 indigentibus nostra sufficiant . Dicendum igitur , ea , quæ ad vitam tuendam
 sunt necessaria , tribuenda pro viribus omnibus esse . In reliquis beneficentia
 per singulas indigentia species deducenda est . Diximus enim in societate
 iuridica , necessariam esse prudentiam , libertatem , bonam valetudinem , & ius ,
 hoc est , potestatem in bonis . Prudentes igitur fient homines , aut civili facultate
 , aut consilio in quolibet negotio , aut monitionibus , hortationibus , ob-
 iurgationibus , aliisque huiusmodi . Quæ quidem officia ij , qui prudentia præ-
 dicti sunt , nemini vniquam negare debent . Libertas cuiuslibet quaerenda ab om-
 nibus est . Bona valetudo medicorum opera , & cæterorum ciuium ope con-
 seruanda est , vel reparanda . Ius autem præstatur indigentibus ab ijs , qui ab-
 30 bundant , puta à diuilibus , & artificibus . At quoniam non omnia , sed quæ-
 dam peruntur , videndum est ex propositis principijs , quantum egeant , & quan-
 tum nos abundemus , & ex prædictis in communi , & in priuatis negotijs pro-
 cedendum est . Iniuriæ , quantum fieri potest , ab omnibus sunt propulsandæ .
 Cæterum magistratus , ac dignitates , non ad accipientium commodum con-
 ferre oportet , sed eorum , quibus præesse debent . At cum bona tradimus bo-
 nis ; quod eos arbitramur alijs communicaturos , non videmur simpliciter mo-
 neri ob eorum commodum , qui nunc egent ; sed eorum , qui tunc indigebunt ,
 cum hi prodesse poterunt , sic autem res non est simplex . Quilibet autem est
 40 dignus ; cum eger , & non abundat : licet enim qui bona profudit , aut aliter
 quomodocumque peccauit , dignus non videatur ; si tamen emendari vult , di-
 gnus redditur , quamquam minus eo , qui calamitatibus non propria culpa
 est oppressus . At qui male agere , & obesse , non prodesse cupit , uti talis , di-
 gnus esse non potest . In reliquis occasiones , & negotia , hominumque cupiditates ,
 indigentia , & copia offerunt cognitionem . Itaque nihil præterea qua-
 rendum videtur , quam ut boni omnes pace , libertate , bonorumque copia fru-
 antur , & ij antecedant , qui cæteris sunt digniores , quique magis profunt , vel
 prodesse possunt . Hæc autem in vniuersum est honestas : ut enim ius potest in
 vniuersum considerari , & non inter hunc , & illum ; ita & honestas ; & ut iure
 naturæ omnes socij , ita honestate cuncti coniuncti sumus ; ita ut contentiones
 50 potius fiant , quod vnus velit tradere , alter verò non modò nolit accipere , sed
 sua potius largiri velit . De hac autem societate , ut de iuridica statuen-
 dum est , quod sit naturalis , ac voluntaria . Et voluntaria quidem
 paritas est commodorum à benefico inopi traditorum , secun-
 dum contrahentium opinionem ; naturalis verò est huius-
 modi secundum naturam ; & ut æquitas à iure , ita
 naturalis honestas secundum rem
 à voluntaria
 differt .

Z. DE

26

DE ERRORIBVS.

CAP. VII.



QUEMADMODVM autem in iuridica societate plures contingere errores possunt; ita etiam in benefica, qui sibi non numero, sed proportione respondent. Nam beneficus, cum abundat, existimare potest, se non abundare, aut cum alijs non eget, egere. Siue inopem, cum non abundet, putare se abundare; aut non egere, cum eget. Contra cum ipse non abundet, credere se abundare, & cum eget, non egere. Cumque inops non eget, arbitrari ipsum egere, & cum abundet, non abundare; potest etiam existimare nolle illum accipere, cum velit, aut vellet, cum nolit. Hæc igitur consideranda sunt, & transferenda (vt diximus) pro dignitate. Hic autem diligenter est aduertendum, quod nemo fere credit se abundare, aut non egere: omnes enim augere diuitias cupiunt, & ditiones, & imperia, & omnino in superfluis adeo occupantur, vt nihil sufficere possit. Multi adeo timidi sunt, vt metuant omnia infortunia sibi subeunda esse; iisque occurrere cupientes, pluribus in locis prædia comparant. Præterea alijs prouentibus abundare volunt, vt neque in bello, neque in sterilitate, aut caritate annonæ sibi quidquam sit metuendum. Multi adeo sunt auari, vt assidue suas pecunias augeri cupiant. Nonnulli adeo elati, ac superbi animi, vt inter dignitatem suam, & alienam nullam esse proportionem censeant; atque *hi ne sine vilo* quidem incommodo cæteris prodesse dignantur. Nonnulli gaudent aliena egestate: sic enim se magis excellere, suamque à cæteris cognosci præstantiam arbitrantur. Quidam tanta inuidia laborant, vt vel minima aliorum commoda sine magno dolore perpeti non possint. Itaque pluribus de causis fit, vt benefica societas non contrahatur, & beneficia non conferantur. Omnino autem vt reperiuntur animo, & voluntate iniusti; ita & inhumani, qui omnes principum nobilissimum corruptum habent, aut prauis opinionibus obrutum. Aliud est autem tam in hac, quam in iuridica societate, bona esse mente, & commodorum paritatem cupere, sed in ijs decipi, quæ in singulis societatibus cognosci debent. Aliud verò, animo ad omnes male composito, & deprauato esse. Vt igitur de aptis à nobis dictum est, ita de ineptis considerandum. Omnino autem aut in dignitate, aut in abundantia, & egestate decipimur. Possumus enim dignos existimare indignos, & è conuerso, & nos, & alios digniores. Quo loco aduertendum est, quod in societate distributiua, quum suas, & aliorum vires maiores arbitrabantur, decipi poterant; at hic, qui ex æquo suam, & alterius dignitatem auget, iudicabit vtrumque magis indigere, at distributio recte fiet. Spectanda est igitur indigentia in vniuersum, nempe huic iter esse faciendum, qui, cum sit languidus, equo indiget, an autem habeat, nec ne, aut pecuniam, qua eimere possit, ignotum est. Propterea errare possumus, nescientes, quæ habeat, quibusue indigeat ad suæ dignitatis, & gradus conseruationem. Cum autem consideramus vtriusque indigentiam, pro statu, aut dignitate, non quæ habeat, vel non, sed quibus eget, absolute spectamus. Nimirum huic esse equitandum, eget ergo ad viaticum duplo pecuniæ, quam cum domi manet. Hic non consideratur, quid ille habeat, sed cum constet, tripulum, aut simplum possidere, faciè reliqua producuntur. At error esse potest, quod duplo eget, cum fortasse iter plura, vel pauciora postulet. Et etiam in tua, & illius pecunia æstimanda. Errata igitur ex his patent, nunc de fictionibus pauca dicenda.

DE

DE FICTIONIBVS.

CAP. VIII.

PROPRIAE huius societatis fictiones sunt, cum se homines ostendunt scire, velle, ac posse commoda tradere; nec tamen sciunt, aut possunt, neque etiam volunt. Multi quoque multa pollicentur, non tam vt promissa praestent, quam vt facilius capiant. Nam qui videt alios sua tradendi cupidos, ne benevolentia vinci videatur, fingit se sua vicissim tradere velle. Alij in omni congressu sua bona, suamque operam cunctis offerunt; non quidem vt praebent, sed vti humaniores, & elegantiores habeantur, & bonorum virorum fungi videantur officio, atque ita reddantur amabiliore. Alij se egere fingunt, cum non egent, aut non egere, cum egent. Alij verò se prodesse velle, cum hostili sint animo, & nocendi occasiones obseruent. Quidam neque obesse, neque prodesse volunt; sed sua permutare, aut vendere cupiunt, licet gratis offerant. Demum pluribus modis sibi inuicem imponunt homines. At urbanae illae sunt fictiones, cum negamus nos abundare, quamuis abundemus; & paulò post insperantibus bona largimur. Itemque illae, cum egere nos affirmamus, & ab alijs indigentibus petimus; qui cum vere asserant se indigere, bona postea vel inuiti coguntur accipere. De his autem plurima dici possent, verum fortasse agemus de fictionibus in loco communi, praesertim cum in cunctis societatibus reperiantur, & ab vna ad aliam transitus fieri possit.

DE OFFICIIS. CAP. IX.

BENEFICI autem officium est, in societate benefica voluntaria, dignis postulantibus bona pro dignitate tradere. In naturali autem ipse offerre, ac polliceri debet; & aliquando non solum non postulantibus tradere, verum etiam inuitis. Benefici igitur officium est actio ad honestatem conducens, & ad commune commodum sua largiendo. Est etiam actio honoris allatiua, magis obligans accipientem, quam iusta. Qua quidem actione, quantum humana natura patitur, Deo ipsi similes sumus; atque ita non solum leges seruamus, sed aliquid praeter illas operamur honestatis causa; & honorem non modò conseruamus, verum etiam augemus. Denique longe plura hic dici possunt, quam in tractatione de officio iuridico. Quo verò ad capiendum attinet, beneficus ita est affectus, vt in ipso actu tradendi nullo modo velit accipere, at paulò post mutata indigentia, nihil prohibet; non tamen vt beneficus capit, neque vt seruetur iuridica paritas, verum secundum proportionem. Et omnino in mutatione fortunae, & in artibus, alijsque plurimis, mutantur dignitates indigentia, & abundantia; & idcirco exteriores etiam actiones immutari debent; atque haec iniqua multis videntur, cum tamen non sint. Benefici autem in beneficio repetendo nulla esse actio debet: qui enim gratis tradidit, repetendi tradita ius non habet. Quinimò ipsi benefici, ne videantur praebuisse, vt accipiant, ab alijs potius, quam ab obligatis petere debent. Et omnino ipse obligatus instanter polliceri, & offerre tenetur, non autem beneficus petere: sic enim appareret illum non honestatis gratia tradidisse. Dignus tamen est, & nullo modo praetereundus. Vt igitur officium iuridicum pacta seruat, ac fidem, aliaque huiusmodi; ita benefici officium seruat promissa, ad quae sua sponte se obligauit. Hoc autem loco aduertendum est, officium iuridicum

semper esse præstandum, pariaque reddenda, ac promissa seruanda; at in benefica societate quæri potest, num promissis perpetuò standum sit. Nam qui promittit, se cras, aut perendie dono aliquid traditurum, interim autem improviso aliquo infortunio, & incommodo pressus dono tradere nequeat; cum mutata sit honestas, mutari etiam officium debet. Præterea si quis deceptus dignum esse aliquem putet, & valde egere, eaque de causa promittit; si paulò post rem aliter se habere comperiat, tenetur ne promissa præstare, an potius semper respicere honestatem oportet? Sane ut æquitas, & commodorum paritas secundum rem iuri antecedit; ita honestas secundum rem honestati secundum opinionem nostram est anteferenda. Verumtamen quoniam hæc in eorum animis, ¹⁰ qui ea ignorant, plurimum officere honori, ac fidei solent; idcirco numquam nisi in magna necessitate, ac differentia aliter nobis agendum est, quàm pactis, & promissis obligati sumus. Verumtamen cum magna est differentia, & nos decepti fuimus, non est dubitandum, quin promissis standum non sit; & huiusmodi contractus, ac promissa legibus etiam vetari consueverunt. Qui igitur æquitatem, & honestatem secundum rem præ oculis habet, errare nullo modo potest. Quæ autem de benefico dicuntur, longe magis de inope dicenda sunt; nam quamuis ei gratis, & sine vlla conditione quidpiam promissum fuerit, si quid tamen immutatum est, aut si quo pacto abesse honestatem cognoscit, aut aliquid ignoratione aliqua postulat, aut promissum esse; nullo modo accipere ²⁰ debet. Idemque de loco, ac tempore, & de reliquis dicendum videtur.

DE PECCATIS.

CAP. X.

DECCATVM in præsentī tractatione (ut dictum est etiam in iuridica) est lapsus ab officio. Itaque qui promissa non seruat, non diligit honestatem, non agit apposite ad consequendum honorem, neque est vir bonus. Est enim bonus, qui pro viribus alteri prodest, & illius commoda quærit. Honestatem ³⁰ autem diligit, qui commune commodum cupit, ac paritatem pro dignitate, & libenter egentibus opitulatur. Ille autem honorem assequitur, quem nobis adiumento fore speramus, & re ipsa opportune iuuat. Quibus omnibus aduersatur, qui promissis non stat, & ab officio boni, & beneficii iri discedit, & proprii commodi causa humanitatem deserit. Is autem, cui promissa non sunt seruata, videri alicui posset, non seruanti obesse debere; cum tamen aliter se res habeat; nam male agentem imitari non decet; gratis enim ille promiserat, ad ea autem seruanda nulla lege compelli potest, quamquam deserit humanitatem, ac si ei obesset elusus, dignus beneficio fuisse non videretur, cuius tam auidum se ostenderet, ad quod accipiendum se inuitus, & magna cum ⁴⁰ retribuendi voluntate debebat accedere. Prodesse autem illi, si qua offeratur occasio, nullo modo potest; cum vir bonus esse desierit, & ab humanitate desciscens, indignus beneficijs redditus sit, præsertim ab eo, quem immerentem læsit, aut elusit. Si tamen illum existimaret ad sanitatem redigi posse, opportunitatem nactus eum beneficijs prosequi non prohiberetur; sic enim honestatem in meliorem partem transcenderet, & illam officij desertionem immerita remuneratione nobilius vlcisceretur. Huiusmodi autem peccatorum latitudo in ijs perspicue apparet, qui cum non egeant, sed abundant, & sua tradere egentibus debeant, tamen propriam inopiam, & alienam copiam simulantes ab ijs perunt. Quod multò magis dānandū est, si ijs, à quibus petunt, de ipsis bene merentur; & tū ⁵⁰ adiumentū expectabant, cū maxime indigerent. Nam antequā societas inearur, mali existimandi sunt. Quoniam verò ei, quod est prodesse gratis, opponitur prodesse

deesse sui commodi causa; qui beneficium confert, vt paria, vel plura accipiat, cum promiserit gratis, promissa non præstat. Vt neque ij, qui cum prodesse promiserint, commutare vel iniqua egentis conditione cupiunt. Sed longe ij sunt deteriores, qui perspectis egentium difficultatibus, suppetias ferre pollicentur, & nocent. Quemadmodum autem quis tantum, aut plus, aut minus prodesse potest, aut etiam nihil, licet promiserit, ita & obesse; vnde facile cognosci possunt, qui ab officio longius discedunt, & grauius peccant; aut saltem alienum a beneficijs conferendis ostendunt animum, cum sibi semper male succedere dicunt illa conferre. Solent enim huiusmodi suas actiones iure, non honestate metiri, & ideo queruntur, cum paria non accipiunt. Quidam verò, si vnus ingratus fuit, putant omnes indignos, & ingratos fore. Contra inopes, si ab vno negentur commoda, putant sibi ab omnibus negatum iri. Qui autem dicunt, quid hic mihi prodesse, vel obesse potest? & illum abire iubent, ostendunt se honestatis gratia minime agere, & humanitatis sensu destitutos esse. Quales ij sunt, qui commoda repetunt gratis collata, quamuis non egeant.

DE PECCATIS INOPVM.

C A P. XL.



VM verò inopis officium sit submisse, ac verecunde petere, & non nisi necessaria, & ab eo tantum, qui tradere potest, aut sumere a b offerente; pluribus modis peccare poterit. Nam si dicit se egere, cum non egeat; aut alterum abundare, cum non abundet; aut si verecundia adductus se non egere affirmat, cum eget; aut alterum non abundare, cum abundat; aut si recusat sponte oblata, aut non petit, cum petere debet; aut etiam si mutata fortuna, eadem accipere vult, cum velle non debeat; semper ab officio discedit, & plus, aut minus peccat. Eius præterea officium est, cum beneficos honore prosequi, cum etiam eos, qui beneficia conferre possunt, & animum præstare ad referendam gratiam valde propensum. Quod ni faciat, plurimum peccat, & valde ab omnibus est reprehendendus: qui autem eos imprecationibus persequuntur, qui sibi commoda negant, eosque irrident, qui contulerunt, & aut metu aliquid, aut spe adductos, aliaue causa contulisse affirmant, quam honestatis, ij quidem sunt detestandi, & à honorum cœtu pellendi, cum abundantes tenaciores reddant, cumctisque egentibus noceant. Nam qui honestatem non cognoscunt, aut humanitate non mouentur, ceteros quoque illa moueri non arbitrantur; sed alicuius sui commodi causa omnia agere. Verum cum naturaliter ad dandum incitemur, non ad sumendum gratis; & nemo sua natura huiusmodi fit (vti diximus) qui sine retributione velit accipere, sed eo tantum animo, vt presentis difficultate superata; sumere nolit; & oblata occasione, retribuere velit; inopia, qui vere beneficio dignus fuerit, remunerandi commoditatem, & opportunitatem optare necesse est. Si igitur fortuna fauente, beneficiendi potentiam assequatur, nihil ei esse antiquius debet, quam vt beneficium remuneretur, quom ex meritis esse dignum diximus, quod cum gratitudinis opus sit, de ea nunc dicendum videtur.

Z...

DE GRATITUDINE.

CAP. XII.



QUAMADMODUM iustitia est voluntas retribuendi socio, ita gratitudo est appetitus remunerandi beneficium. Inter retributionem autem, & remunerationem hoc interest, quod retributio datorum, & acceptorum bonorum paritatem respicit, neque eam excedit, remuneratio vero, præter paritatem commodorum, benefici quoque dignitatem, & merita intuetur. In illa enim rei tantum, quæ debetur, in hac etiam personæ, cui debetur, rationem habemus. Nam ut in ultione lædenti injuriam pari læsione pensare, læsi animo satis non facit, sed superare illam conatur, ut eum læsisse peniteat; ita gratus, quasi scelus persolvat, magno augmento repondere beneficium studet; non quidem ut beneficium commo-
 auctus gaudeat, se contulisse (cum non lucri causa contulerit) sed ut bene se collocasse lateatur. Itaque ut ultor, quasi iam æquata iniuria, cum, à quo fuerat facessitus, prior provocare læsione videtur; ita gratus, æquato beneficio accepto, prior in beneficium conferre commoda. Eiusdem enim est facultatis, nempe irascibilis; iniuriam ulcisci, & benefici gratiam referre (prout diximus) ut etiam sensit Aristoteles. Nam grati opponi iracundis videntur: ut enim irascimur ijs, qui nos lædunt; ita ijs, qui prosumt, grati, ac benevoli sumus. Quæ extrema ad eandem pertinent potestatem. Propterea valde iracundi valde etiam grati esse solent. Idcirco de cæteris quoque animalibus, præsertim de ijs, quæ quadam rationis imagine ad hominem propius videntur accedere, ut de cane, leone, & elephante, non leuiora gratitudinis, quàm ultionis exempla traduntur. Verum cum bruta in gratitudinem sola irascibili potestate ferantur; homo initio quidem eadem potestate ad illam impellitur, sed ratio superueniens, tum ea, quæ ipsius propria sunt, tum benefici dignitatem considerat, ut illum pro meritis remuneretur. Gratitudo igitur in homine duarum animæ potestatum opus esse videtur: nam in irascibili inchoata, in rationali perficitur. Propterea virtus non est, quæ in sola ratione, & humanitate locatur. Et gratitudo debetur etiam indignis, erga quos nulla est virtus, neque honestas: sunt enim simpliciter indigni, sed digni secundum quid, nimirum ut ab ijs accipiant, in quos beneficia contulere. Itaque gratus non dati, & accepti paritatem (ut dictum est) respicit, sed paritatem pro dignitate. At valde nobis dignum videri oportet, nosque ipsos dignitate superare, qui omni penitus præmij spe reiecta, & ut nobis tantum bene sit, opportuno, ac si ita res postularet, magno etiam beneficio iuvit. Quamobrem oblata remunerandi occasio grati animus omittere nullo modo potest. Et in benefici indigentia acceptum beneficium, quasi debitum, præ oculis habet, longeque ægrius fert, nisi persolvat, quàm qui mutuam debet, eoque persoluto, sua illi pro dignitate communicat. Benefici autem dignitas plurimum semper faciendæ est, nec permittendum, ut temporis longitudine, aut fortunæ varietate minuat, nedum ut oblivione vlla obliteretur. Non enim ut de iuris debito, quod certo temporis spatio præscribitur, ita de beneficio censendum est, cum id optima ratione constitutum sit, ne rerum dominia sint incerta, & assidue dolis, aut litibus pateat aditus, quod in tabulas referri, & de ijs expungi alieno arbitrio possit. Nam beneficium in grati animo, & corde imprimitur, quæ impressio nunquam, nisi morte, aboleri debet. Quin etiam eo defuncto, qui beneficio

Polit. lib. 1.
 cap. vi.

ficio affectus fuit, pulchrum est, vt quemadmodum in iura parentum, & propinquorum succedunt filij, & necessarij; ita in humanitatis, & gratitudinis obligationes succedant. Fauendum est enim gratitudini, cum non solum honestissima sit, verum etiam apprime utilis; non ei inquam, qui gratus est, quem ex sua gratitudine fructum captare non decet, sed communiter cunctis indigentibus, quoniam eorum conditionem meliorem reddit; cum simul hominum alat beneficentiam, eosque ad largiendum inuitet. Nam innumeros fore beneficos credibile est, si grati illi sint omnes, in quos beneficia conferuntur. Honestissimam autem esse gratitudinem constat, cum ipsi propemodum beneficentiae
10 anteferenda videatur. Nam vt mutuam reddere, cui debes, iustius est, quam mutuo dare; ita gratiam referre, quam beneficium conferre honestius. Quod etiam ex eo patet, quod gratiam non referre cum possis, non iniustum, sed turpe est, & magis, quam ipsum iniustum, ab omnibus vituperatur. Deterius enim agit, quam canes, & alia complura animalia, quae grata esse noscuntur. Quia si is, qui beneficium contulit, beneficio affectum iniuria laceffit, aut laceffitum iniuria beneficio prosequatur; decet eum, qui accepit, plus apud se beneficij gratiam, quam iniuriae dolorem velle valere, modò inter beneficium, & iniuriam non magna differentia intercedat. Nam viciscens facultati tantum irascibili, gratus autem simul etiam satisfacit humanitati. Quantam verò remunerationem esse conueniat, Gratiarum apud veteres imago docet: vnam enim, aspicientem duae respiciunt, vt duplicem saltem significant referendam gratiam. Praeterea saltantes fingunt, vt innuant, numquam gratum debere quiescere, sed perpetuò in actione, vel relatione, vel habitione gratiae rhythmica, & proportionali, pro dignitatis videlicet ratione, esse oportere. Gratia enim statim agenda est, referenda, cum possis, habenda semper. Pulchre autem Hesiodus imitandos esse ait agros fertiles, qui plus multò afferunt, quam accepere. Propterea recte nostri, cum promptam referre gratiam nequeunt, magnam à se benefico deberi mercedem dicunt. Quibus verbis tum gratias agunt, tum se fore beneficij memores pollicentur. Qui mos cum in leui quolibet beneficio seruetur, indicat gratitudinem ad omnia beneficia se extendere, licet à nonnullis non capiatur, nisi pro gratiae ob magna beneficia relatione. Qui verò sibi gratiam haberi, aut referri postulat, quod ex accidenti profuerit; quid sit beneficium, non intelligit. Nam si ad tua negotia proficiscens maleficium impedis, quod in domum meam perdit homines moliebantur, qui te conspecto aufugiunt, casu, non humanitatis causa iuuas; mihi tamen diligendus es, non quidem vt beneficus, sed quasi bonae fortunae, vel diuini consilij ad meam salutem minister. Si igitur te beneuolentia, vel munere prosequar, non gratitudinis causa faciam, sed liberalitatis, vt tu quoque laetari possis, tuum interuentum rei meae familiari salutarem fuisse. Et longe magis, si eam laetitiam praeter te feras,
20 vt conijci possit, te, quod casu feceris, libenter data opera fuisse facturum. Eodem pacto gratiarum rerum nuntijs, non quasi auctoribus habenda est gratia, cum missi fuerint, sed vt ijs, qui suo officio functi sint. Cui si accessit eximia diligentia, & alacritas, seu etiam laetitia, eo nomine haberi eis priuatim gratiam aequum est: ceterae enim gratitudinis significationes, eorum, qui miserunt, intuitu fiunt. His verò, qui ea, quae grata sunt, vltro nuntiant, gratia merito habenda est. Cum igitur gratus beneficii virtutem iam sit expertus, eius dignitatem, meritaque cognoscit; nec solum opinione praesumit, eum scire, velle, ac posse prodesse, sed in suis difficultatibus intellexit. Quare par est, vt de illo optime sentiat, eumque honore prosequatur, vt qui profuerit, & per eum se profecisset candido animo profueatur. Et pariter ei fidem habeat, illum continenter de se bene merendo, cum occasio feret, sibi similem fore. Itaque vt ab eo omnia humanitatis officia expectantur videntur; ita danda est opera, vt ille vicissim

sim ab eo, quem iuuit (quamquam non eò confert) sibi bona omnia polliceri possit. Grati enim est animi, cui multum debeas, eidem plurimum velle persolvere; potius quàm (vt ait M. Tullius) velle debere. Nam qui debet, remunerandi occasionem obseruare tenetur, non angendi debitum, quod (vt supra dictum est) necessitate coactus, & inuitus facit. Qui ergo beneficia confert honestatis gratia, siue absque vlla præmij spe, non prohibetur commoda expectare, cum egeat: nam si eum bonum virum iudicat, & dignum, in quem beneficia conferantur, dubitare non potest, quin gratiam sit relaturus, alioqui dignum simul, & indignum existimaret. Nemo enim potest beneficio dignus esse, idque accipere, & gratiam referre nolle; propterea quòd ingratitude cum dignitate humana conditio non admittit. Beneficus igitur esse nullus potest, quin eodem tempore opinetur, se ab eo, cui beneficium confert, accipere commoda posse: qui enim minime opinantur, benefici non sunt habendi, sed profusi, cum sibi, dum fortunæ iniurias timent, alijs fidem non habeant, eosque indignos arbitrentur eisdem muneribus, quibus donant. Cum verò dono dant, dignosque iudicant (licet non ea de causa dent) ea tamen opinio omni indigentia timore liberat. Quamquam non debemus dono dare, quasi mutuo, vel in depositum, sed quoniam honestum est, & quia boni egeant, dignique videntur. Metus tamen, ne quid nobis desit, aut necessarius non est, aut alienæ virtutis opinione aufertur, videlicet non eos tantum, quibus commodauimus, sed ceteros liberales, & munificos, nobis in nostris difficultatibus non defuturos.

DUBITATIONVM QV ARVMDAM AD
gratitudinem spectantium solutiones.
CAP. XIII.

SED quoniam plures emergere hac de re dubitationes videntur, eas soluere tentandum est, ne quod grato animo negotium facessant. Primum enim dubitari potest, num ad gratiam referendam is solus obligetur, qui beneficium accipit; an etiam pater, frater, filius, nepos, cæterique propinqui, ac necessarii. Et sane si solus obligari dicatur, indignum videbitur, & agreste. Si verò cum eo cuncti, qui quapiam illi cognatione, & necessitudine iunguntur, in infinitum res procedet. Statuendus est igitur in obligatione terminus quidam, vt beneficium intelligere possit, quibus gratificatus sit, & ij non ignorent se debere. Enimverò si collati beneficii tanta sit magnitudo, vt accipienti salutem, potentiam, aut gloriam afferat; non dubium est, quin non ij modo, quos exposuimus, sed cum ijs patria quoque ipsa beneficio debere cogatur. Quemadmodum ciues omnes vicissim pro beneficio in patriam collato gratiam debent. Si verò beneficium sit exiguum, aut mediocre, vti non tam late eius vis, & splendor extenditur; ita obligatio, quæ illud consequitur, completi pauciores videntur. Nam eos omnino gratiam debere censendum est, ad quos ex eo beneficio aut honor, aut commoditas, aut demum aliqua permanat utilitas, quæ eorum conditionem meliorem reddat. Quod quidem exacte ita, tuere difficillimum est, sed in vniuersum videtur dici posse, eatenus ex quolibet beneficio quemlibet obligari, quatenus ad felicitatem ex illius participatione promouetur. Proinde pater, ad quem ex filij commodo non minus pertingit, quàm ad filium ipsum commoditas, ac voluptas; non secus ac filius obligatur, pariterque filius ex patris commodo, itemque frater, ac patruus, licet aliquanto minus. At qui beneficio affectus est, penitus ad referendam gratiam, & ad beneficium opportune remunerandum solus tenetur. Cæteri enim cognati videntur

dentur obligari simul; ita ut non finguli teneantur ad totius beneficij, sed ad partis cuiusdam remunerationem. Quidquid de beneficio dicitur, de iniuria, & damno dici videtur: ad eosdem enim pertinet, ad quos beneficium. Et ut ad insignes iniurias vlciscendas cognari omnes, affinesque conueniunt; longe esset humanius ad beneficium rependendum concurrere, & gratos simul esse omnes, quam vltiores. Nam humanitatem exercere, ac prodesse, humanæ naturæ proprium est, lædere autem aduersatur, cum non ab homine proueniat, ut est homo, sed ut ferox animal, atque immitis. Alia huic similis dubitatio est, num beneficio affectus soli danti gratiam debeat, an ijs quoque, qui aliqua illum cognatione, vel affinitate attingunt. Quæ quidem eo minorem difficultatem habet, quòd ut reliquorum bonorum, & iurium, ita etiam meritorum hæredes, & successores esse quosdam diximus, cum de nobilitate ageremus. Quicumque igitur in suporum maiorum iura, meritaque succedere possunt, eisdem beneficio affectus non modò post benefici obitum, verum ipso etiam superstitè; debet. Nunc quoniam dictum est, debere ijs ciuem, qui de sua patria sunt benefici meriti, & filium ijs, qui de patre, bonosque omnes ijs, qui in reliquos bonos fuere munifici; quærendum videtur, vtri potius sit referenda gratia, ei ne, qui in patriam, vel in parentes, vel etiam in bonos omnes, an ei, qui in nos ipsos fuit beneficus? Consenseraneum enim videretur, ei potius referendam esse, qui de illis, quàm qui de nobis ipsis bene merentur, cum ei tum nostra, tum aliorum causa debeamus. Præterea cum magis patriæ, & parentibus, bonorumque omnium vniuersitati debeat quisque, quàm sibi ipsi, ad eorum etiam debita, potius, quàm sua soluenda obligatus videtur. Verum si diligentius consideremus, aliter statuendum iudicabimus. Nam si nostris obligationibus nos ipsi non satisfacimus, eas cæteri omnino negligent; itaque erimus ingratitude insimulandi. At beneficiorum in patriam collatorum tum ipsamet, tum alij ciues referre gratiam possunt. Quod etiam de parentibus, præsertim quibus alij sint filij, deque bonis omnibus dicendum est. Si verò alij nequeant, nos autem possimus, aut nobis occasio offeratur, aut particulatim à nobis remuneratio expectetur; is, qui in illos fuit beneficus, ei, qui in nos ipsos, est præferendus, eadem enim opera eos, pro quibus gratia à nobis refertur, plurimum promeremur, & magnum grati animi specimen præbemus. Illud autem non minorem dubitationem habet, cum is, qui beneficium confert, non sponte, ac libens, sed vel tacito alicuius respectu, & auctoritate adductus, uel rogatu, & commendatione confert; cuius gratia sit habenda, ei ne, qui beneficium vel inuitus contulit, an ei, cuius opera, & intercessione collatum est? Nam qui ab aliquo petunt, de quo non sunt bene meriti, uel cui eorum dignitas est ignota, alterius testimonio, atque ope vtuntur (quasi medio ad iungendum extrema) de quo bene meriti sunt, aut cui eorum dignitas est explorata; qui vel beneficius est de eo, qui rogatur, uel cui ille fidem habet; qui dum beneficium confert, mediatoris testimonium, & merita, vel etiam preces inuenitur, & eius contemplatione illi fauet, pro quo is fidem suam interponit, aut rogat. Quo casu dubium non est, si beneficus, siue fide facta, siue exoratus libenter confert, quod aliàs non contulisset, vtrique gratiam habendam esse. Si verò palam neget sibi habendam gratiam, sed ei tantum, cuius intuitu confert (ut tunc accidit, cum alicuius precibus lædenti parcimus, & nostras iniurias condonamus, quod is sibi fieri beneficium asserit, seque illius memorem fore) tum respicienti collatori habenda gratia non est, sed intercessori, qui perinde obligatur, ac si ipse acceperit. Nos tamen conari conuenit, collatoris in nostrum commodum beneficentia perspecta, aliquo eum officio demereri, ne forte ingrati ab ijs, qui rem nouerint, habeamur. Præsertim cum ea sit beneficij uis, ut bonos viros eum diligere, qui contulit, cogat, & erga eum gratos esse, cuius opera profecerunt. Ministris

nistis, verò, ac seruis, qui apud Principem, aut Dominum in beneficij petitione nobis fauent, & opitulantur, ad nonnullam gratiæ relationem obligamur, non tamen dum negotium geritur, ne quis corruptionis suspitioni sit locus, sed post absolutum negotium, nihil impedit, quin is, qui beneficium accepit, munus aliquod tradat, & is, qui adiuuit, accipiat, præsertim Domino conscio, & comprobante. Reliquum est, vt dicamus; ab eo, qui pluribus debet, cui primum, ac si referre gratiam, nisi vni non potest, cuiam potius sit referenda? Si igitur beneficij dignitas pro collato beneficio æstimanda est, ei profectò, qui cæteros beneficij erga nos magnitudine superat, primum, ac potius referemus: si verò pro virtute & humanitate (cum sit voluntas conferendi commoda) non tam ipsum beneficium spectare oportet, quàm animum, quo confertur. Nihilominus si beneficium sit insigne, ei primum gratiam referendam putamus, tum quod magis ad accipientis, & propinquorum felicitatem conducatur, tum verò quod cum notius sit, & illustrius, gratiam non referenti magis est ingratitude nota pertimescenda. In pari autem beneficio propensorem animum potius spectandum censemus. Quod si constet parem in beneficiis animum fuisse, ei benefico primum, ac potius gratia referenda est, qui magis indiget; si autem beneficorum indigentia æqua esse credatur, ei potius est referenda, qui maiorem ex gratiæ relatione percepturus est voluptatem. Sic enim gratitudinis principio, quod nobis inest, commodius satisfaciemus.

DE INGRATITUDINE:

CAP. XIII.



VM autem gratitudo referendæ gratiæ principium sit, eiuſdem principij priuationem ingratitude esse oportet. Quæ quidem vituperatione dignior est, quàm gratitudo laude; cum hæc hominis naturam facile sequatur, illa verò turpiter ab ea desciscat. Propterea ingratus damnari ab omnibus, & flagitiosis, ac scelestis annumerari solet. Nec iniuria, siquidem à boni viri officio longe discedit. Cum enim eos etiam, qui nullum in nos beneficium contulere, humanitate adducti prosequi officijs teneamur, ipse beneficium, neque etiam prouocatus, retribuit. Præsertim cum beneficium virtute præditum esse cognoscat, & propterea dignum, qui de se bene meſeatur. Accedit ad stimulum, quo ob benefici dignitatem ac probitatem ad conferenda illi commoda inflammari deberet, quod facultas irascibilis ad illum amandum, & remunerandum concurret: beneficium enim vlcisci tamquam iniuriam cupit. Quæ facultas sola sine rationis adminiculo, ad rependenda commoda, bruta quoque animalia impellit. Quid igitur ageret, si ea repugnaret? Deterior ergo est, & efferatior brutis, cum in eo peccet ratio, & vnà irascibilis pars. Quapropter haud mirum est, illum omnibus odio esse, dignumque haberi, cum virtutem, humanitatemque abiecerit, qui ex cunctis hominum cœtibus expellatur. Ingratorum autem plures, esse species videntur: prima enim eorum est, qui beneficij obliuiscuntur. Quos sequuntur illi, qui id accepisse se negant. Præterea ij, qui licet gratiam referre commode possint, tamen nolunt. Deinceps qui pro gratiæ relatione vel contemnunt, vel etiam iniuria afficiunt. Postremi sunt, qui maximum beneficium maxima iniuria compensant. Iis igitur omnibus exprobrari posse beneficia videntur, parcius quidem ab ipſo benefico, quàm ab alijs, quibus ea cognita sunt. Nam qui facile sua beneficia vel commemorant, vel improp-

rant,

rant, non honestatis causa se beneficos fuisse, sed quæstus indicant. Idcirco magnanimi in suis etiam necessitatibus potius ab alijs, quàm ab ijs perunt, in quos prius commoda contulere. Qui verò contra ingratos magistratuum oppem implorantibus, eam cuperent in ciuitate paratam esse (vt Xenophon ait: ^{Cyri præd. lib.} olim apud Persas fuisse in vsu) non animaduertunt, hæc à benefica societate longe abesse, quæ sola libera est, ac si quis eam lege alligare contendat, imprudens illius naturam immutat, & ex honestate ius, & ex honestis iusta facit. Suis enim legibus niti illam oportet, cum honesta, si imperentur, honesta esse confestim desinant. Quandoquidem ea huiuscemodi sunt, quæ per se in cunctis virtutibus, & honestatis gratia agimus, hoc est, non ob aliam causam, quàm quia suapte natura sunt expetenda, prout etiam Aristoteles affirmavit. ^{Ethic. lib. 5. cap. 8.} Quamuis postea non satis commode in tractatione de iure, leges velit omnia, ^{Ethic. lib. 5. cap. 1.} quæcumque ad singulas virtutes pertinent; imperare. Iurisconsultus autem honestatis, & honesti nomen pro iuris, & iusti sumit; cum iuris præceptum dicit esse honeste viuere, & legem honesta iubere. Exprobrare igitur beneficium immemori; vel neganti, vel referre gratiam detrectanti, par est. Eaque exprobratio, si rationi sit consona, non leuis contumelia est, & grauis poenæ loco habenda, cum eum, qui ingratus est, ab initio dignum beneficio non fuisse demonstrat. At in eos, quos ad magnam quampiam dignitatem, potentiamque, alicuius opera, & labore euectos, pro beneficio iniuriam, & pro maximo maximam referre non pudet, graui quidem exprobratione uti, etiam benefico ipsi licet, cui sua liberalitas detrimento saltem esse non debuit; quamuis ea tantæ immanitati æquandæ valde impar esse videatur. Propterea proditorum, hostiumque numero sunt habendi, cum ijs, quos maxime iuuare tenerentur, maxime nocent. Et foeda auaritia, aut pusillanimitate, aut alia causa adducti, grati animi obligationem non pertulere, sed humanitate omni abiecta, & nefario scelere admissio, in turpissimam se libertatem vindicauerunt. Atque hæc de gratitudine, & ingratitude dicta sufficiant: nunc autem de pietate, & impietate dicamus.

DE PIETATE, ET PRIMVM ERGA DEVM.

C A P. X V.



BENEFICAM societatem non secus ac iuridicam duplicem esse, à nobis superius dictum iam est, videlicet aut voluntariam, aut naturalem, eademque ratione dupliciter beneficia, & commoda conferri. Aut enim voluntate, & electione, aut natura, itemque accipientes dupliciter ob accepta beneficia obligari. Nam aut ijs, qui ob ea in nos rogatu nostro, vel sua sponte collata, de nobis sunt bene meriti, aut ijs, quibus ob beneficia, quæ ab eis natura in nos prouenere, naturaliter deincti sumus. Et illa quidem gratitudo appellatur, de qua superius dictum est; hæc verò pietas, de qua in præsentia sermo habetur. Est igitur pietas proprie principium nobis ingenitum referendi gratiam, pro beneficio in nos natura collato; ijs, qui contulere. Itaque illam Deo primum, tum patriæ, parentibusque debemus. Verùm ad eos quoque extenditur, qui illos quodammodo referunt, vel ad illos natura, aut etiam electione propius accedunt; veluti qui Deo ministrant, & debitam erga illum pietatem tueantur. Præterea ad patruos, filios, fratres, cognatosque omnes; & ad ciues, cæterosque de patria, deque domo nostra bene merentes. Quin si beneficij in nos eximia sit magnitudo, vt si quis nobis honorem, insignem aliquam dignitatem, aut salutem contulerit, non solum grati erga eum, sed pij etiam esse debemus, id est,

Epist. Fam.
lib. 1. epist. 1.

id est, ita affecti, ut si filij essemus, qualem se fuisse dicit erga Lentulum Cicero, qui ab exilio eius opera fuerat reuocatus. Et is, qui seruatus in praelio, perpetuo seruatore suum, ut patrem coluit. Deo igitur primum pietatis causa non solum nos ipsos, nostraque debemus (cum nostramet essentia, omnisque commoditas illius sit communis) verum etiam eorum bonorum gratia obligati sumus, quæ in patriam, in parentes, & in cunctos necessarios nostros contulit. Quamobrem si beneficiorum magnitudinem spectemus, immensa est: si verò largientis dignitatem, infinita; cum sit sapientissimus, optimus, maximus. Quantum igitur illi censendum est à nobis deberi? Quod si dupli saltem (ut de gratitudine dictum est) teneamur, vel potius si iuxta Hesiodum fertilem terram imitari oportet, quidnam illi, aut quomodo tantorum debitorum nomine persoluemus, nequam ingratitude notam, aut impietatis subeamus? Si igitur pij esse (ut par est) cupimus, existimare oportet, non ea illum à nobis exposcere, quæ scit nos præstare non posse, sed ea tantum, quæ certissime, & non difficillime possumus; eaque fideliter sunt, deuoteque præstanda. Quæ autem hæc sint, quamuis nemo doceret, ex ijs donis, quæ nobis præcipua largitus est, conijcere licet; anima nimirum, & corpore, & vtriusque partibus, ac facultatibus. Quibus nullum dubium est, velle cum nos ad illum dumtaxat finem vti, ad quem ab eo condita sunt, & conformata. Corpus autem fabricatum videmus, ad animæ imperium exequendum seipsaque partes, ad determinata quædam munera obeunda, neque abuti illis ad diuersa fas est. Animam verò primum, ut corpori consociata illi vitam impartiat. Diuersas autem animæ potestates diuersorum officiorum functionibus addictas; inter quas vegetatiua, exigua nostra opera, propriæ naturæ ductu satis suum officium facit. E cæteris cum imperfectiores perfectiorum gratia sint, ab eisque dirigantur, ducem alijs rationem esse necesse est, quæ suæ singulis præscribat munia, ut quo fieri exactius possit, diuinæ voluntatis nutum sequantur. Motricis igitur actio (id est, obiectorum ad nos admotio, eorumque à nobis amotio, vel noster ad eorum accessus, ab eisue recessus) curandum videtur, ut nobis quidem commoda sit, nemini verò absque ratione incommoda. Deum enim ijs, quos æque condidit, æque fauere putandum est. Concupiscibilis autem, cum ad indiuidui, & speciei simul conseruationem tradita sit, vtrumque præstabit officium, si pariter eius subiecti, in quo est, & communis societatis læsionem vitet. Irascibilis cum lædentem lædere comparata sit, & iuuantem iuuare, apte vtrique stimulo satisfaciet, si damna moderate, commoda large pensabit. At verò, quæ reliqua est, rationalis potestas (quæ quidem eorum donorum nobilissima portio est, quæ à nobis Deo debentur) cum intellectum, voluntatemque comprehendat, tota ad illius, qui tradidit cognitionem, & amorem conuertenda est. Cognoscere autem naturali lumine nihil aliud possumus, quàm illum vniuersalem omnium causam, agentem, ac finalem esse. Præterea (quod de ipso omnes homines mente concipiunt) illum substantiam huiuscemodi esse, cui nihil perfectionis desit, & nihil penitus addi possit. Perfecta autem videntur, tam intellectiua, quàm sensitiua, non solum quæ ratione actus primi nobilitatem magnam habent; sed longe magis, quæ ab obiectis ipsis actu secundo perficiuntur. Nam quæ sentire possunt, ut anima sensitiua prædita, ijs, quæ id nequeunt, præferuntur. At quæ iam actu sentiunt, & obiectorum perficiuntur applicatione, præferenda sunt ijs, quæ nondum agunt, licet tali natura sint prædita. Perfectum igitur illud est, quod nobilissimis obiectis perfici potest, eoque perfectius, quod non solum potest, sed iam actu ipso perficitur. At verò in Deo hæc omnia eminentissime insunt: non enim tantum perfectus est, quàm nobilissimorum capax obiectorum, verum etiam quàm illa coniuncta, connexaque habet, non quidem actus secundi vi, prout cætera entia, sed insita omnino perfectione, & propria

essentia,

essentia, & natura. In solo enim Deo actus secundus ita est idem cum primo, ut inter eos nulla penitus sit differentia. Quo fit, ut nullius prorsus potentia, neque aduentitia sit perfectionis capax. Quod igitur habent reliqua per potestatis ad obiecta applicationem, habet Deus per suam naturam. Hinc verò est, ut in eo intellectus, & intellectio, & essentia, & esse sint idem; & quod intelligere, & velle, & scire, sint eius substantia. Etenim hoc supposito, quod nulla ei addi perfectio possit, & quod actus primus, & secundus in eo sint idem, non relinquitur locus operationi, & sic operari in diuinis, idem erit, atq. ipse Deus; ita tamen, ut semper intelligamus, quòd in eo non sit natura apta per-
 10 fici, neque operatio, qua perficiatur, neque obiectum; sed natura secundum se perfectissima, & absolutissima. Hanc igitur æternam, beatissimamque naturam, primam, & eximiam rerum omnium causam, cuius perfectioni bona omnia debentur ab omnibus, quæ res conditas gubernat, & consulit vniuersis, easq. recte, & iuste administrat, primum summa puræ mentis intentione contempla-
 20 ri debemus; deinde omnia nostra ei consecrare; toto animo eam diligere; ei semper, quas possumus, gratias agere; eius voluntati voluntatem nostram accommodare, & in omnibus acquiescere, & prompte, libenterque parere; eam pro nostra exiguitate, & virium imbecillitate imitari; & sancte, deuoteque co-
 30 lere, venerari, & adorare pietatis causa obligati sumus.

DE PIETATE ERGA PATRIAM.
 CAP. XVI.



30 **S**EQVITVR patria, & parentes, à quibus post Deum omnia habemus bona, eorumque maximis beneficijs obligati nascimur, & educamur; ideoque illis omnia officia sunt tribuenda; neque pro eorum salute mors ipsa recusanda est, quæ honestissima existimatur. Cum autem dicimus illis tribuenda omnia, veri-
 40 ri fortasse quis posset, nos etiam mala-facienda esse eorum gratia existimare. Verum cum de pietate loquamur, quæ cum honestate aut est diuersa ratione eadem, aut etiam illa præstantior; ea officia cuncta comprehendimus, quæ salua honestate exhiberi possunt, neque ab ipsa met pietate dissen-
 50 tiunt. Nam absolute ea omnia præstanda censemus, quæ Deo neutiquam aduersantur, à quò mala omnia maxime sunt aliena. Deus autem nulla nostra opera eget, sed dum eum colimus, ac veneramur, illum nobis placidum, ac propitium reddimus. Si quid tamen agere eius causa possumus, dubitare non debemus, quin pro eo etiam contra patriam, & parentes agamus; ut in vera
 60 religione tuenda, & amplianda, veroque cultu, & pietate. Patriæ verò nomi-
 70 ne (ut primum de illa separatim dicamus) cunctos simul ciues, cum ipsius ciuitatis ædificijs, commodisque comprehendimus, quasi animam vna cum corpore ad vitam degendam accommodato; ut apud examen cum aluo, & mellis fauis. Nam de ciuibus nullum dubium est, cum sine ijs nulla sit patria. Neque etiam de loco, & bonis. Nam dicunt ibi esse patriam, vbicumque est bene. Et Vlyses Cirçæi alloquens (ut refert Arist.) nihil sibi dulcius vi-
 80 deri dixit patria, licet inculta, & aspera. Et loca, vbi dirutarum urbium reliquæ, & vestigia apparent, urbium caduera appellant, quasi dum starent, viuentium ciuitatum, tamquam viua corpora essent. Cum igitur patriæ cuncta debeamus, eadem ratione cunctis simul ciuibus, quòd sint tamquam eius anima. Singulis autem non omnia, sed quædam debemus. Cum autem patria com-
 90 munitis sit omnium parens, & vtrumque nobis parentem referat (ideoque eius nomen appellationem sumit à patre, genus autem à matre) necesse est, ciues

Oecon. lib.
 1. cap. 9.

Fam. Ep. li.
 4. ep. 5 Sul-
 pit. Cice-
 roni.

A a omnes

omnes inter se quasi fratres esse, & perinde amandos, ac iuandos, ac si fratres sint quidam; licet fraterni amoris intensio pro ciuium multitudine extendatur. Iuandi verò ratio diuersa, & multiplex est: etenim vel publice omnes, aut plurimos, vel priuatim singulos beneficio afficimus. Nam in republica gerenda, omnibus fere adiumento sumus; prout etiam militarem artem, iurisprudentiam, medicinam, aliasue præstantiores facultates exercentes, non parum de patria ipsa, ciuibusque singulis bene meremur. Non minus autem consilio, monitu, viæque exemplo prodesse possumus, & omnino humanitate, cunctisque virtutibus vtentes; erga bonos quidem, quia digni sunt; erga malos verò, vt boni reddantur, & concilientur bonis. Præ cæteris autem omnibus, bonum Principem enixe iuuare omnes debent, eique obtemperare, & pro eo cuncta subire discrimina, cum ipsius patriæ sit pater, & in eo iuando ciuium omnium salus, in lædendo perniciēs, ac ruina vertatur. Et quoniam à bono Principe patriæ felicitas pendet, qui eum lædit, de tota republica male meretur, & impieratis damnandus est; cum bonum nancisci Principem omnium profus sit difficillimum. Proceres quoque, ac nobiles honore, & reuerentia sunt afficiendi, præsertim boni: ad eum enim locum aut propria, aut maiorum suorum virtute, & meritis ascenderunt, quo si digni sint, plurimum reipublicæ conferunt. Cum autem de tota patria sint bene meriti, non parum illis ciues singuli pro eorum dignitate, ac meritis debent. Diuites etiam iuandi sunt, quoniam patriæ prodesse possunt. Pauperibus verò commoda, & præsidia vitæ pro modo facultatum subministranda, præcipue vicinis, qui omni sunt ope subleuandi, vt non solum testes, sed etiam participes sint nostræ opulentæ, & prosperitatis. *Cum autem (vt ait Seneca) patria nocere sit nefas, ergo etiam ciui, qui est pars patriæ.* Nam vt pedem hominis, aut manum lædens, totum hominem lædit; ita qui ciuem lædit, cum sit patriæ particula, ipsam patriam totam offendit. Danda verò est opera, vt loci quasi quædam cognatio, qua ciues inter se natura iunguntur, illis ad bene degendum proficiat: nam recte Simplicius ait. *Est illud in promptu, inter omnes germanos, ceteros (de inquilinis enim non loquor) etsi longinquam cognationem, tamen quamdam intercedere, quamquam cognatio eiusdem originis, necessitudo satis ampla est. Magna enim est ingeniorum similitudo, non in eisdem modo ciuitatibus, sed etiam nationibus iisdem.* Propterea qui se mundanos ciues dicunt, & omne solum sapienti patriam esse, nimium Stoice loqui videntur: non enim eodem modo cunctis hominibus, ac suis ciuibus debent. Sed si pij esse volunt, longè ijs magis, qui sunt eiusdem patriæ, in qua nati sunt, ciues, & in eadem patria ijs, qui data in cæteris paritate sunt illis viciniore. Est enim hæc habitudo, & cognatio patriæ naturalis; quare ijs magis debemus, quibus eadem natura nos voluit magis debere; nempe ijs, quos ætiori nobiscum vinculo iunxit, & soli, & cæli, & linguæ, cæterorumque huiusmodi cognatione, quæ homines inter se natura deuinciunt, atque connectunt. Idcirco in remotis regionibus, prouincia diuersarum ciuitatum ciuibus patria dicitur, in remotioribus, diuersarum prouinciarum incolis tota natio.

DE PIETATE ERGA PARENTES.

CAP. XVII.



Post red. in
sen.
Ethic. lib.
2. cap. 1. 1

POST pietatem erga Deum, & patriam, de ea dicendum est, quæ parentibus nostris debetur. Nam cum eorum in nos beneficia valde ijs similia sint, quæ à patria, Deoque ipso accepimus, non dissimilis esse nostra erga illos gratitudo debet, eosque carissimos habere debemus, quod ab ijs, (vt ait Marcus Tullius) nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est. Aristoteles verò est enim (inquit) essendi causa pater, quod

ter, quod maximum esse videtur, & nutritionis, ac eruditionis, qua & ceteris maioribus tribuntur. Quoniam autem libentius nostræ commoditatis causa, quàm suæ laborasse illos, & nos ardentiori etiam amore, quàm se ipsos prosequutos esse compertum habemus, nobis vicissim summa benevolentia, & reuerentia prosequendi, & quasi Dij quidam terrestres, & domestica numina colendi sunt. Ne nos à veteribus Græcis permittamus pietatis in parentes laude superari. Siquidem illi (vt testatur apud Stobæum Hiorocles) parentes suos θεοὺς, hoc est, Deos appellauere. Et pulchre Simplicius *Leges* In com. in Epi& (inquit) *antiquiores ita veneratae sunt parentes, vt θεοὺς, idest, Deos appellare illos non dubitarint. Sed quamuis diuinam excellentiam reueriti, patres appellare Deos deserint, fratres tamen patrum Græci adhuc θεοὺς, quasi diuinos; non vt Romani Patruos vocant, vt demonstrant, quam rationem parentum aduersum liberos esse existimēt.* Qua quidem voce (videlicet Ζῖο) à Græcis accepta, tota ferè Italia nostra etiam ætate in eundem sensum vtitur. Vnde apparet veneratio, quæ non patri solùm, & matri, verùm etiam vtriusque fratribus veterum sententia debetur. Ipsos igitur parentes plurimi facere post Deum, patriamque oportet; nosque ijs exhibere humiles, & obtemperantes, & eorum imperijs exequendis paratos, non simulate, sed ex animo, & summa cum hilaritate, & alacritate, cuiuscumque fuerint conditionis, & in quacumque animi, corporis, rerumque externarum fortuna constituti: licet enim paulò sint alijs deteriores, & simul difficiles, ac morosi, nec ea, quæ à nobis fiunt, æqui, bonique faciunt, mos tamen illis gerendus est, non secus, ac duræ, & austeræ legi. Et eorum in nos non solùm contumeliosa verba, sed etiam verbera æquiori animo ferenda sunt, quàm à feruis, quæ à suis Dominis infliguntur. Nam quamlibet peruersi, & asperi sint, ac fortasse prauis; nihilominus parentes esse non desinunt. Pietatem autem illis, non vt bonis parentibus, verùm vt parentibus debemus. Ille autem parentibus morigeratur, qui ea facit, quæ recte iubent. Nam cum liberorum sint amantissimi, ea fieri ab ipsis volunt, quæ honesta sunt, eisque conducunt. Si quid tamen affectu aliquo compulsi, vel ignoracione, & errore decepti, non recte imperent, blande sunt à filijs monendi, & persuadendi; vt ea malint, quæ recta sunt, quæ iubet Deus omnium pater. Sic igitur eorum animis prospiciendum est. Eorum autem corporibus omnia commoda liberaliter sunt conferenda. Putare enim quisque debet, cuncta, quæ possidet bona, eorum esse, qui genuerunt, & educarunt; ita vt, cum occasio postulat, illis omnia debeantur; & cum senio confecti maxime indigent, tamquam mutuo data eisdem sunt cumulatiùs retribuenda. Verbis præterea, gestuque corporis eos per totam vitam venerari maxime decet. Contemptus enim parentum cum ceteris hominibus odio est, atque à diuina iustitia damnatur, seuerèque punitur. Non solùm autem verbis, & operibus parentibus obsequi, & omnino numquam aduersari, eosque diligere, qui illis cari sunt, sed eos aspectu etiam ipso perpetuò exhilarare, & consolari oportet, cum pietas vultu (vt aiunt) sæpe lædatur. Neque verò dumtaxat viuentibus ipsis hæc exhibere, sed etiam postremis eorū voluntatibus vllatenus repugnare, & defunctorum memoriam non omni veneratione colere, impium, nefariumque habetur. Existimandum est autem, grauius inter ipsos homines peccatum, impietate, vel in patriam, vel in parentes admitti non posse. In summa, pulchrum est conari, patrem beneficijs, si minus vincere (quod Seneca existimat fieri posse) saltem æquare. Quamquam Aristotelis sententia, *quidquid egerit filius, nihil vnumquam ijs dignum faciet, quæ à patre accepit, quare semper debet.* Verum qui, quod potest, obsequitur, bonus, & æquus esse videtur. Quæ parentibus diximus exhibenda esse, eadem etiam auis, & paulò minora eorum fratribus præstanda sunt. Præsertim ijs, qui nepotes paterna pietate, & beneficijs sunt prosequuti. Filiorum autem omnium, nepotumque interest

interest, pietate insignes haberi: nam si impij habeantur, præter cætera, quæ sequentur aduersa, nemo eos existimabit beneficij accepti in referenda gratia memores fore.

DE PIETATE ERGA FILIOS.

CAP. XVIII.



In conu.

ERGA filios quoque pietatem esse dictum est. Non quidem quod eorum generatio vllum præsens beneficium parentibus afferat, cum potius grauium sit molestiarum causa; verum quod natura quamdam illis perpetuitatis speciem per eorum propagationem spondeat. *Natura enim (vt ait Plato) mortalis semper, etiam immortalis esse pro viribus nititur, hoc autem generatione dumtaxat assequitur.* Nam parentes propagari in filiis videntur, quibus (vt ait Lucretius) *vitali lampada tradunt.* Quamobrem nepotes ab auis vehementius etiam, quam filij amantur, quoniã eorum genus videntur vterius prolaturi. Cum igitur natura parentibus, quasi quibusdam instrumentis, in filiorum generatione vtatur, de specie propaganda sollicita, summum eorum pectoribus amorem erga suos foetus ingenerat, vt ne se ipsos quidem pari caritate, atque ipsa pignora prosequantur. Nam cum illa hominem ad felicitatem producat (vt in superioribus diximus) ipse autem à primo sui ortus initio vsque ad maturiorem ætatem sibi ipsi prospicere, suarumque actiones dirigere ad eum finem nequeat, hanc parentum, auorumque esse curam voluit, eosque insito illis amore coegit, & obligauit ad sedulam huius muneris perfunctionem, nimirum suos natos pro suis viribus ad beatitudinem perducendi. Hæc autem naturalis obligatio, parentum est erga filios pietas, de qua sermo habetur. Cui quidem muneri satisfaciunt, si non different paternam in eos præstare officia, donec in lucem editi fuerint; sed in illud studium incumbunt, antequam nati, vel potius antequam sati sint, vt quoad fieri per eos possit, nequaquam inepti ad ipsam felicitatem gignantur. Quod patres facile assequi poterunt, si mulierum omnium consuetudinem, præterquam suarum coniugum, vitent. Deinde si congrua ætate, decenti corporis habitudine, & probis moribus præditas vxores ducant, nec liberis dent operam, nisi bene valentibus, & recte constitutis corporibus. Hæc si à parentibus obseruentur, sperare prolem licebit, qualem esse necesse est, vt naturæ desiderio satisfiat, nempe suæ perfectioni idoneam. Nati autem infanti parentes duces esse naturæ lege, & pietatis causa ad beatitudinem debent. Cum verò is homo sit, qui (vti superius dictum est) ex animo constat, & corpore, vtraque est parentibus pars pro sua conditione curanda. Primum verò corpus, quod primum curatione indiget. Cui ea adiumenta præstanda sunt, quæ sexus, ætas, fortuna, & cæteræ qualitates exposcunt, donec ad eam ætatem peruenerit, in qua se expromere ratio incipit. Danda autem est à parentibus opera, ne saltem in infantis educatione superentur à brutis; quæ eiusdem naturæ lege suæ soboli quandam exhibent veluti pietatis imaginem. Non enim eam minus diligunt, neque minori industria fouent, atque tuentur, quam suam prolem homo; quin etiam maiori caritate, & quasi pietate in eam vtuntur, quam nonnulli homines in suos filios. Nam eam, dum aliena cura eget, non deserunt, aut proijciunt, quod quidem non à singulis modò hominibus, verum etiam à nationibus quibusdam barbara prorsus impietate olim in proprios liberos factum accepimus, quos, vt eorum fratres natu maiores ditiores relinquerentur, exponere consueverunt. Postquam verò in infanterationis initia apparent, animi cultui

cultui, & institutioni principium aliquod dandum est, atque à vera erga Deum pietate, ac religione inchoandum, quæ si in tenera ætate inseratur, & profundas in eius animo radices egerit, non permittet ab ea semita eum declinare, quæ rectà ad felicitatem perducit. Hanc autem semitam nos superius assiduam rationalis partis operationem, & irrationalis (quantum fieri commode potest) cessationem esse statuimus. Demum ab ipsis parentibus, vel eorum operâ, cum aliquantulum adoleuerit, artem quampiã, aut facultatem eius genio & conditioni accommodatam esse edocendus, quæ tum sibi vitæ comoda comparare, tum parentibus ipsis (vbi necessitas exiger) opitulari possit. Hac enim ratione si minus simpliciter, saltem secundum quid, cuiuslibet ad felicitatem accessus pater. Hæc igitur parentibus omnibus secundum proportionem quamdam naturalis in suos filios affectio, & pietas iubet. Quæ si præstent, præterquam quod naturæ legi, tantoque officio satisfaciunt, eosdem filios felices reddent, & ipsi reddentur eiusdem cum illis felicitatis participes. Si minus, filios à pietatis erga se ipsos obligatione liberabunt, & summo officio rationem suæ negligentiae reddituri, diuinam eius animaduersionem nequaquam effugient.

DE PIETATE ERGA FRATRES, CÆTEROS.

que cognatos.

Cap. XIX.

RELIQUA est pietas erga fratres, cæterosque cognatos. Fratres enim inter se sunt amici natura, vt amici electione fratres, aqua nobrem mutuam sibi beneuolentiam debent, cum à natura traditi videantur, primum communibus parentibus, deinde sibi inuicem, tamquam ad vitam bene, beateque degendam adiutores. Vt hominis corpori duplicia membra, nempe oculi, aures, & præcipue manus, ac pedes ad animæ (felicitatis causa) exequendum imperium tradita sunt, quod coniuncta commode præstant, singula autem aut difficulter, aut frustra exequi conantur. Fratres verò corporea membra hoc superant, quod vno tempore non modò eadem, sed diuersa etiam communis commodi gratia operantur. Magna igitur ab ijs Deo gratia habenda est, quibus fratres contingunt. Quique sapiunt, eos sibi beneuolos, & non minus animo, quàm natura fratres omni diligentia conseruare nituntur. Faciliorem enim ad beatitudinem viam reddunt, & omnè bonum iucundius, atque suauius, cuius plures simul participes sint, quorum idem est animus. Nam perinde est, ac si idem homo multiplex fiat, vt eodem tempore multiplici ore idem dulce gustare, & reliquis bonis multipliciter frui possit. Frater enim est fere alter (vt nomen innuit) is autem verè est fere idem, qui alterius felicitatem vt suam cupit, & omni studio, & conatu eam inquirit, quod eos, qui fratrum appellatione digni sunt, facere oportet. A fratribus autem omnis cognatio originem ducit: nam primum ipsi cognatione omnium arctissima deuiuantur, deinde vtriusque filij cum patris, & inter se, itemque ex ijs nepotes, ac pronepotes, & deinceps ordine cæteri. Qui autem ab origine magis recedunt, vt laxiori vinculo coniunguntur, ita inter eos paulatim naturalis dilectionis, & pietatis feruor remittitur. Primus enim gradus numerari à fratribus incipit, quique ex recta linea ab illis proueniunt, veluti eorum filij, ac descendentes, inter eos eadem perpetuò pietas manet. Qui verò ex latere prodeunt, vt vnus filij, & descendentes, cum altero, eiusque descendentes, minus sunt astricti, & inter eos pietas, & naturalis obligatio gradatim minuitur. Ita vt vltra quartum gradum, licet cognati, & consanguinei nuncupentur, parum tamen differant ab ijs, qui nulla inter se cognatione iunguntur. Quæ quidem in-

ter ceteras causa esse videtur, cur sancta Ecclesia diuinitus inspirata matrimonia inter consanguineos (nisi maior utilitas lege soluere iuadet) vsque ad quartum consanguinitatis gradum impediatur. Quod eo facit, ut familijs, ac ciuitatibus, totique Christianae Reipublicae seditionum extirpatione, & animorum conciliatione prospiciat. Nam cum in ea sanguinis propinquitate, & necessitudine iam sint coniuncti, ut ad conciliandam, conseruandamque inter eos beneuolentiam, nouo nexu nihil opus sit, cum naturalis pietatis iura, quae adhuc inter eos uigent, sufficere ad unionem videantur, iterum inter se copulari vetat, ut alios sibi propinquos, & necessarios parent, & amicitiae inter ciues multiplicentur. Quod potissimum coniugiorum interuentu fieri certum est. Nam duae diuersae cognationes per nuptias copulantur, & altera (ut nomen indicat) ad alterius fines accedit. Vxoribus enim cognati viro, viri autem vxori redduntur affines. Vnde magna inter familias unio, & beneuolentia conciliatur, & in ciuitatibus nouae amicitiae gignuntur, & dilatantur, quibus pax, & concordia alitur, & coalescit. Quae quidem conseruandae, augendaeque Reipublicae verae censenda ratio est. *Nam ciuitates (ut ait Aristoteles) etiam amicitia conseruare videtur, & legum latorejs circa hanc magis, quam circa iustitiam student. Concordia namque simile quid amicitiae esse uidetur, hanc uero maxime affectant, seditionem autem, ut inimicam, maxime expellunt. Et alibi amicitiam etenim (inquit) putamus maximum esse bonum ciuitatibus; nam sic seditionibus minime agitabuntur.* Nam eas rationes, quibus ciuitatem maxime unam reddere Socrates, & Plato conueniunt, primum ab ipsius ciuitatis natura alienas hominum consensibus coarguit: nullam enim huiusmodi ciuitatem in hanc usque diem inter homines fuisse accepimus. Deinde eas Aristoteles accurate damnat, & pluribus argumentis euertit. Verum cum de pietate satis, superque iam dictum sit, nunc reliqua prosequamur.

Ethic. lib. 8
cap. 1.

Pol. lib. 2.
cap. 2.

Pol. lib. 2.
ca. 1. 2. 3. 4.

FINIS LIBRI DVODECIMI.



ADO-



AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Decimus tertius.



D E H O N O R E .

C A P . I .



VERVM cum dignitas per se ipsam obscurior sit, alienam autem mouere voluntatem non possit, nisi cognita, videbitur aliquo egere indice, vt cognoscatur; hic autem (vt patebit) est honor: de honore igitur in praesentia dicendum est. Haec autem tractatio, nisi cauta distinctio adhibeatur, difficillima est, primum quod plures communis honoris species sunt; deinde quod in cunctis societatibus & con-
 04 uentionibus suis est honor, vel aliquid, quod ei proportionem respondet, & in ijs, in quibus sociorum actiones sunt natura diuersae, est etiam ipse diuersus. Non enim benefici, & inopis, neque domini, & serui idem est honor. Sed & in solitario, & hoste, cum penitus diuersus sit, quiddam tamen est, quod eandem cum illo rationem obtinet. Nam vt agimus de honore, fide, virtute, dignitate, alijsque huiusmodi in iuridica, & benefica societate; ita de his omnibus in societate herili, & in solitudine, & hostili conuentione agere secundum analogiam oportet. Primum autem quid in vniuersum sit, dicendum videtur, deinde quid in singulis societatibus, & quid in qualibet con-
 05 uentione ei proportionem respondeat. Est igitur in vniuersum honor, hominum de aliquo opinio, quod sit vir bonus. Ad quam opinionem plura sequuntur, nempe quod ius, honestatamque diligat, & virtute praeditus sit,

ac

ac dignitate, & alia, quæ necessariò ex his deducuntur. Quamobrem ad omnes societates, & conventiones aptissimus erit. Etenim opinio, quæ de aliquo habetur, quod sit vir bonus, cum ad eius, de quo habetur, commodum vergit, honor est; cum verò ad eorum, qui eam habent, fides dicitur. Eum igitur, qui est in honore, omnes sibi socium expetunt; cuncti enim pariter fidem habent, cum sibi vtilem fore. Nam si dives sit, non solum sciet, & volet, verum etiam poterit in iuridica societate ea facile præstare, quæ à socio desiderantur, nec dubium erit, ne aviditate ductus iniqua cupiat, aut difficilis sit, & querulus, & longè minus, ne suum officium deserat, aut promissis non stet, aut obligationi non satisficiat, cæteraque non optima fide præstet, quæ virum bonum decent. In benefica autem, nulla ferè sui commodi ratione habita, indigentibus opem feret, eosque beneficij, & commodis prosequetur. Si verò sit inops, non verendum erit, ne quid ei defuturum sit, cum eius dignitas, & merita pateant, quæ omnes ad bonam in illum conferendam impellent. In heri verò erga servos tam facilis, lenisque erit, ut despondendi animum numquam causam sint habituri, sed si fideles sint, omnia potius bona ab eius probitate sperandi. At si fortuna sequente servire cogatur, servilia munera fideliter, ac diligenter obibit, & sua probitate, & virtute dominum ad se diligendum, sibi que favendum pelliciet. Quod ad conventiones attinet, solitarium minimè lædat, eique molestus non erit, sed suis illum res agere tutò, libereque permittet. Hostem verò aut non metuet, aut operam dabit, ut ei vicissim sit metuendus. In his ergo honor in vniuersum consistit: omnino enim opinio est, ut is, de quo habetur, primas quinque leges, quibus societates inter homines, & conventiones nituntur, pro temporis opportunitate servare possit. Nimirum quod reddet paria, vel ipsis contentus erit. Quod honestatis gratia dabit, aut accipiet. Quod leniter imperabit, vel fideliter serviet. Quod solitarie degenti molestus non erit. Quod pugnam cum hoste infenso non detrectabit, & iniurias nullo pacto feret. Hoc autem hostili honore indigemus, ne nos hostis iniuria laceffat. Eo verò, qui ad solitarium pertinet, ut alij demum nobiscum conveniant, & controuersias, bellumque deponant. In reliquis honor iam dictus vsui est: semper enim ad honoris commodum redit. Huic autem honori contrarium, opinio de aliquo est, quod sit improbus. Quod iure, & honestate non delectetur. Quod paria acceptis non tradat, vel paribus ijs, quæ tradidit, contentus non sit. Quod honestatis gratia non largiatur. Quod in petendo, & accipiendo modum non seruet. Quod eius imperium durum sit, vel infida servitus. Quod non quiescat, cum quiescente. Quod sit iniurius, atque ob ignaviam iniurias ferat. In vniuersum autem, ea opinio, qua vir bonus quispiam iudicatur, eius (ut diximus) est honor. Quem pluri merito faciunt homines, quam cætera bona, ac ni penitus ignavi, ac sordidi sint, pro illius conservatione pugnare parati sunt: nam sine eo, nulla omnino expectari ab alijs commoda possunt. Qui enim improbus habetur, iniustus, ac turpibus delectatur, & ut facile omnibus nocet, ita omnes infensos habet, veluti prædones, atque piratæ, qui communitates omnium hominum hostes habentur.

DE HONORE, VT EST SIGNVM.

C A P. I I.



VM autem hominum opiniones in eorum animis abscon-
 ditæ lateant, in quos aliter ab alijs penetrari non potest,
 quàm per ea, quæ exterius sensibus offeruntur; nisi aliqua
 ratione innotescant, & patefiant, inutiles fore necesse est,
 aut saltem non tam vtilis, quàm si paterent. Propterea
 qui ad opinandum de aliquo, vel ad concipiendum adduci-
 tur, quod sit vir bonus; idem ad eandem opinionem, ani-
 mique sui sensum, extrinsecus aperiendum, declarandumque quadam sensibi-
 li significatione compellitur. Hæ enim opiniones de aliorum probitate, vel
 improbitate, ex eorum operationibus, voluntatibus, officijsque gignuntur.
 Nam si te assidue conspicio iustis, honestisque actionibus incumbere, paria
 reddendo ijs, quæ tibi tradita sunt; & bona indigentibus conferendo, nulla
 tui commodi ratione habita, sed tantum ut illis bene sit; nec quemquam au-
 dio, qui de te queratur, aut questus sit, quod eum umquam, vel alium læseris;
 sed plurimos potius, cum quibus tibi res fuit, de te vno ore omnia bona dice-
 re, & tibi se debere fateri, teque de illis bene meritum esse, prout etiam de me,
 meisque bene mereris. Hæc autem ab omnibus boni viri opera existimantur;
 necessario adducor, ut credam, te virum bonum esse; quæ mea de tua probita-
 te opinio (ut dictum est) tuus est honor; non est igitur honor (ut id obiter rei-
 ciamus, quod quidam sunt arbitrati) hominum inuentum; sed à bonis alio-
 rum actionibus visu, audituue perceptis, naturalis quædam in animis nostris
 necessario facta impressio; cui contraria illa est, eum, qui ijs contraria agat, ma-
 lum esse. Quæ quidem opiniones idem in ciuilibus hominum societatis o-
 perantur, ac si certæ cognitiones, vel scientiæ essent; modò foras prodeant, &
 tam ijs, de quibus habentur, quàm cæteris hominibus pateant. Hoc autem sen-
 sibilibus quibusdam signis fit, quorum ea, quæ honorem significant, honores;
 quæ contrarium, contrario nomine appellantur. Et licet apud diuersos diuer-
 sa sint, eorum tamen causa eadem, & necessaria est. Nam qui aliquem huius-
 modi esse autumat, ut non solum velit paria reddere, sed sua etiam largiri; e-
 ius statum perfectum, & suum imperfectum cognoscens, cogitur eum extero-
 ribus honoris indicijs, & signis prolequi, aut se ipsum commodis indignum,
 fateri: qui enim ea non cognoscit, & non facetur, ad societatem beneficam est
 ineptus, & bonis indignus. Quo fit, ut honor, tam ut opinio est, quàm ut
 signum, eodemque modo illis contraria, non hominum commenta sint,
 sed humanam naturam necessario comitentur. Verùm ut est opinio, quod
 is, de quo habetur, prodesse velit, fortasse contrario nomine caret, quo signifi-
 cetur cupere aliquem nocere: nam odium, & similtas, aliaque huiusmodi, ad
 sua contraria referuntur, videlicet ad amorem, atque amicitiam. At ut signum
 est, non desunt, quæ ei opponantur: nam ut plura sunt, quibus significamus nos
 alicui honorem habere, ut caput aperire, genu inflectere, & his similia; ita
 digitum mordere, caput concutere, aliaque huiusmodi ijs sunt opposita. Ut
 enim illis demonstramus beneficam nobis superiorem, & præstantiorem esse,
 nos verò ei obligatos, inferiores, ac dependentes; ita his nos male habitos,
 iniuria affectos, & nobis scienter contra ius bona à malefico esse ablata. Et ut
 illis testamur, virum bonum esse, qui sua largiatur; ita his malum, qui suis con-
 uentus non sit; eumque in melius ius transcendere, hunc ad paritatem nolle
 deuenire.

deuenire. Cum autem honor sit opinio de probitate, & (vt mox dicetur) de dignitate, seu signum, & ab opinione oriuntur exteriores actiones, quæ pro signis habentur; si ea paria à congreuentibus non redduntur, facile intelligi potest, eos dignitate non esse pares. Nam vt salutationes, & prehensiones, aliaque huiusmodi, cum paria sint, dignitate pares esse ostendunt; ita cum imparia, impares. Cum enim alter caput aperit, aut genu flectit, alter vix mouetur; aut alter alterius manus, vel etiam pedes osculatur, indicium est, eos pares dignitate non esse. Quo fit, vt qui se parem putat, si par honor, signum non redditur, aut non valde differens, indignetur. Eodemque modo si superior sit, signum verò par exhibeatur: tum enim vulgò eum, qui inferior est, fratrem agere dicunt. Sed longe magis excandescunt, qui dignitate superant, cum non solum veluti pares, verum etiam vt inferiores tractantur. Cum autem in aula cuncti in huiuscemodi rebus occupentur, & omnes exteriores actiones, quamlibet sua natura parui momenti, si ad dignitatem referantur, de ea sententiam ferant; mirum videri non debet, si quæ parcius, quam ratio postulet, exhibentur, molesta sint, quæ verò largius, benevolentiam, gratiamque concilient. Omnis enim elegantis Aulici ars, & industria in eo sita est, vt æquales superiores esse ostendat, inferiores autem æquales, & exterioribus honoris signis semper eius, quicum versatur, augere dignitatem contendat. Nam cum eius rei, quæ inter homines plurimi fit, nempe honoris, liberalis appareat, de socijs videtur bene sentire, & suam consuetudinem amabilem, ac desiderabilem reddit; sed de his aliàs. De honore igitur, vt est signum, generatim in præsentia tot dicta sint: hæc enim cognitio ad ea, quæ sequuntur, est necessaria; eius verò species commodiori loco sunt explicandæ.

HONOREM, QUOAD SVAM ESSENTIAM;

opinionem esse de dignitate. Cap. III.

DIGNITATEM suapte natura ignotam, obscuramque esse, & aliquo egere indice, vt cognoscatur, hunc autem honorem esse, dictum iam est. Nam dignitas ex se, hominumque merita, quæ quantaque snt, haud facile intelligi potest. Verum cum honor in vniuersum sit opinio de aliena probitate, & virtute, quanta autem sit virtus, tanta sit dignitas; profecto quanta erit opinio de alicuius probitate (cum maior, & minor esse possit) vel eius honor, tantam esse eiusdem dignitatem necesse est. Honor autem tam vt opinio est, quam vt signum, longe clarior est dignitate. Qui enim quempiam opinatur ea esse probitate, & virtute, vt summo magistratu, vel statua, vel corona sit dignus, sua opinione, qui eius est honor, eiusdem dignitatem pendit, atque metitur. Quapropter (vt superius diximus) honor est dignitatis mensura. Cum ergo tacitus hæc ipse mecum de te opinor, tuam apud me dignitatem perpendo, & metior, cum verò aliquo honoris signo eam prodo, non solum meam de ea opinionem ostendo, sed etiam alijs eam demonstro. Quo fit, vt palam, & in omnium oculis honorari plerisque gratissimum sit, vt eorum dignitas notior fiat; sed coram amicis, & familiaribus huiusmodi signa negligantur, cum eorum animi nobis cogniti sint, nec alij adsint, quos nostra intersit illa conspiceret. Cum igitur honor in examinanda, metiendaque aliorum dignitate totus consistat, videtur, quoad suam essentiam, & naturam, de aliena dignitate opinio esse; vel signum alienæ dignitatis, & meriti quantitatem indicans. Hæc autem causa est, cur tantopere honorem desideremus, nempe quòd dignitas sine eo nequaquam est nota; & ante inuitam societatem timent

ment homines, ne is, cum quo eam inire parant, sciat, velit, ac possit, quæ ad ipsam sunt necessaria. Si enim inter omnes de his constaret, honor, quæ opinio est, parui fieret, ut inter notos vsuuenit. Itaque si nostra dignitas, cognita non sit, bona expectare nulla possumus, si autem sit cognita, ij, quibus ea perspecta est, modò boni viri, & opulenti sint, bona nobis pro illius mensura impertire coguntur, & commoda conferre, quibus indigemus. Nam cum principium sit ad largiendum attrahens, fieri non potest, ut vir bonus naturaliter ab eo non moueatur, nisi aliquo prohibito impedimento. Ex vno autem honore non dignitas solum cognoscitur, sed & fides, & virtus, omnesque hi termini ex se inuicem innotescere possunt. Nam ut honor dignitatis mensura est, ita fides virtutis: qui enim ignorat, quanta tua dignitas, & merita sint, honorem intueatur, quo te alij prosequuntur, quantusque is est, tantam iudicat dignitatem esse. Idemque de fide statuendum est: nam quantam alij tibi fidem habent, tanta tua esse virtus existimatur. Etenim modò rectè opiniones concipiantur, principium semper verum est, sibi que hæc non secus ac plantæ vestigia respondent. Dignitas autem à virtute non differt (ut alibi diximus) nisi quatenus virtus est principium tradendi commoda, dignitas verò accipiendi, hoc est, cuius intuitu nobis tradi commoda debent. Sunt enim idem re, ratione tantum differentes, quemadmodum concauum, & conuexum. Cum igitur honor sit æqualis dignitati, fides autem virtuti, dignitas verò, & virtus inter se sint æquales, vel potius re ipsa eadem, erunt honor, & fides veluti mathematica demonstratione æquales inter se, cum vni tertio sint æquales. Quod si dignitas notior esset, ut in Principibus, ex ea inferri posset, qualis honor ea prædito deberetur. Itemque si virtus esset perspectior, quæ fides ea ornato esset habenda, appareret. Nam ut in mensuris, si ad passus longitudinem linea ducitur, vicissim passus quantus sit, ex ea cognoscitur: sæpe enim linea in pariete est mensura mensuræ. Denique cum hæc quatuor inter viros bonos paria sint, facile ex vnius cognitione in reliquorum cognitionem devenimus. Et vtræ opinionis virtutis oritur appetitus sumendi commoda, ita ex opinione dignitatis, ea tradendi; atque hæc inter bonos viros ad sumenda, tradendaque paria compellunt.

DE HONORE, VT HOMINIS ESTIMATIO EST.

C A P. I I I I.



DVAS honoris species persecuti sumus, quarum altera de hominis probitate, ac virtute opinio est, altera verò de dignitate. Nam quod signum diximus, cunctas honoris species comitari, & cunctis inseruire videtur. Sequitur tertia, qua vna ambæ superiores comprehenduntur, cum non de virtute seorsum, aut de dignitate, sed de toto simul homine opinio sit, quo tam virtus, quam dignitas continetur.

Hæc autem æstimatio dicitur, qua voce tum utimur, cum quanti cuius fiat, exquiritur. Nam cum cætera fere omnia, quæ homini vsui sunt, pecunia æstimantur; in homine ipso æstimando, honor pretij loco succedit, & interdum à nobis pretium dicitur, ut à Græcis *τιμή*, quæ vox tum æstimationem, tum honorem significat. Quem etiam valorem dicimus, cuius significationi virtutis nomen haud exacte respondet; cum valor agendi principia, quæ sunt in nobis, cum ea complectatur, nimirum scire, velle, & posse, quibus ea bona annexa intelliguntur, per quæ virtus efficax est, & actiua. In vera enim virtute inest perfectio requisita ad absolutionem operis, quæ simul expenduntur omnia, cum quem-

quempiam æstimandum suscipimus. Qui enim quanti te faciat explicare vult, tuam scientiam, potentiam, ac voluntatem simul ponderat; quamquam non semper iusta lance: nam aut amore impulsus pluris facit, quam æquum sit, aut odio adductus minoris. Neque hæc apud omnes eodem modo considerantur: nam cuilibet id, quo delectatur in pretio est. Ut prudenti, & erudito scientia, probo recta voluntas, diuiti verò potentia, aut pecunia. Hinc Iuvenalis sui sæculi mores carpens, *tanti* (inquit) *quantum habeas, sis*, cum nullius omnino rei, præterquam diuitiarum, & pecuniæ ratio haberetur. Qui igitur prodesse sciat, possit, & velit, longe pluris eo faciendus est, cui horum aliquod desit, dandaque est opera ei, qui honorem affectat, seque pluris cæteris æstimari desiderat, ut hæc simul vniuersa coniungat. Etenim qui sciat, & possit, sed nolit, non modo nihili pendendus videtur, sed pæne hostium numero habendus est. Qui verò possit, & velit, sed nesciat, non tanti faciendus est, quanti is, qui etiam prodesse sciat, neque tam damnandus, quam is, qui licet sciat, & possit, tamen nolit; cum non difficile sit, alio mouente iuandi rationem addiscere, vel per alium, qui sciat, supplere, quod desit. Verùm hanc complicationem euoluere, ac perpendere, cuilibet promptum est: nobis enim dimittendam censemus, postquam vnum dumtaxat membrum examinauerimus, eius videlicet, qui id possit, quod velit, cum ex eo alia honoris species emanet, de qua nunc dicendum est.

DE HONORE, UT EST SYMMETRIA, SIVE

commensus virium ad voluntatem.

C A P. V.



M autem honor in ea potissimum opinione consistat, ut prodesse quis sciat, possit, & velit; ac voluntas quidem ex promissis appareat, scientia verò, & potentia antequam effectus sequatur, certæ, exploratæque esse nequeant; propterea honor locari præcipue videtur in symmetria, siue commensus virium ad voluntatem, aut certe in huiusmodi commensus opinione. Ita ut ille retulisse honorem dicatur, qui difficilia incepta, & conatus ad finem perducit, ut qui in bello victoriam consequitur, & in alijs quoque certaminibus, præsertim ijs, quæ fieri honoris causa dicuntur. Qui verò ad finem non perducit, referre dedecus videatur. Hinc Cæsaris milites ad Auaricum, ne dimitteret oppugnationem, petebant; sic se complures annos illo imperante meruisse dicentes, ut nullam ignominiam acciperent, numquam infecta re discederent; hac se ignominia laturas loco, si inceptam oppugnationem reliquissent. Cum autem honor noster, ut opinio est, aut signum, non in nobis sit, sed in alijs, noster verò dicatur, quoniam eius utilitas ad nos pertineat, hæc quidem honoris species, in nobis ipsis esse videtur, quatenus virium nostrarum ad voluntatem, & effectuum ad nostra incepta, symmetria est; & commensus quidam. Quoniam verò promissa quasi incepta videntur, vnde etiam dicta sunt, quod ante opus, effectumque mittantur; idcirco etiam effectus ad promissa habitudo quædam, & proportio est. Et quia promissa vel eadem cum ipsa voluntate sunt, vel ipsius vincula, & ligamenta; ut eius, qui promissit, tamquam vincus sit animus, & nolle non possit, ideo qui ad effectum ea non perducit, cum opus, & vires voluntati non æquet, honorem non dicitur assecutus. Itaque siue de virium ad voluntatem proportionem opinio sit, siue ipsa proportio, & symmetria, in idem utique recidit. Cumque

Comm. de bello Gall. lib. 7.

promissa eius rei, cuius causa sunt, aggressus sunt; uti turpe est aggredi, & non perficere, sed ab incepto desistere; ita etiam promissis non stare, vel ea præstare non posse. Et è contrario, eadem seruire, pulchrum, & honorificum, ac laudabile est. Hæc autem omnia in iustis, honestisque actionibus, non in oppositis locum habent: nam de scientia, potentia, & voluntate iuandi, non autem lædendi sermo habetur: iniquæ enim, turpesque actiones, ne umbram quidem ullam honoris admittunt; etenim qui flagitiosum, scelestumque inceptum ad finem perducit, vel datam ob turpem causam fidem, ac promissa seruat, tantum abest, ut honorem acquirat, ut magna etiam ignominia notandus sit, licet pœnam effugiat. Nam ad scelera, ac facinora aptum videri, nefarij penitus, perditique est hominis. Quamquam is, qui turpem cum alieno damno, & iniuria, quæstum instituit, in eo suum honorem situm esse autumat, ut habeatur ad lædendum idoneus. Nam cum mentiri, peierare, & fallere nouit, eligitur à sui similibus ad flagitia perpetranda, ex eoque artificio, quæstus causa nomen venatur, quod huiusmodi scelera ad finem perducere possit, ac velit. Lenam enim summa iniuria, doloreque afficeret, quicumque eam assereret nescire, aut non posse, vel etiam nolle, puellas ad vetitum amorem pellicere. Quod de cæteris turpe lucrum captantibus, pariter statuendum est. Nam cum ad id quoque societas sit necessaria, ad societatem autem contrahendam honor, qualiscumque ille sit, eum omni studio, ac diligentia conseruare coguntur, ut ad eas societas, vnde turpes, ac fordidos illos quæstus faciunt, apti, & idonei habeantur. Hic igitur honor non verus, sed falsus est, cum sit noxiarum virium, ad peruersam hominum voluntatem proportio, vel symmetria. Verus enim honor iustarum virium commensus, recte agentis voluntati videtur. Quo fit ut honor à virtute numquam seiungatur; nam cum principium sit bonum recte assequendi finem, eligit ac vult iusta, & honesta, æquis viribus respondentia, ac proportionata; honor autem huiusmodi responsus, & proportio est, non tamen ad ipsius agentis commodum; sed sociorum. Quamuis in eo etiam esse videatur, qui sibi soli agit. Nam qui actiones nostras obseruant, easque animaduertunt finem à nobis optatum minime assequi, nos conijciunt quæ eorum causa expetimus, neutiquam assecuturos: nostras enim vires voluntati, haud pares esse. Quamobrem qui exigua populo spectante non potest, contemni solet: ut qui in planitie ambulans labitur, vel exmansuetu equo decidit, vel loqui nescit. Nam omnino qui ea, quæ cæteri facile possunt, cum vult non potest, contemnendus videtur. De his autem paulo post. Nunc illud sufficiat, ex effectu, vel operis absolutione honorem referri, ut ex victoria præsertim cum difficile certamen fuerit, ut solus contra plures, vel validos pugnans, aut armis imparibus, aut opus exactum sit ab alijs frustra tentatum, & quod caput est, vtilissimum. Nam in certaminis facilitate, cum à pluribus aduersus vnum, validioribus armis res gesta sit, qui superauerint, contemnendi potius sunt, quàm laudandi. Neque enim, quæ exigebatur symmetria virium ad rectam voluntatem apparet, neque incepta ad optatum finem æquo Marte perducta sunt; hinc pulchre apud poetam Iuno Venerem incessens ait. *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis, tuque, puerque tuus, vna dolo diuum si femina victa duorum est.* Huic autem non absimilis inanis illa honoris ratio est, cum de alicuius fortitudine, vel audacia potius habetur opinio, ut ad se, suaque tyenda legum, aut magistratum ope non egeat; cum omnibus compertum sit, eum nullo pacto iniurias laturum esse, sed eas audacter suis viribus persecuturum. Quæ quidem opinio ab inimicitijs cum eo suscipiendis deterrere alios potest: nam cum maius ex ijs detrimentum, quàm emolumentum putent posse succedere, nullum ei negotium faceunt. Hic igitur honor in eo consistit, ut habeatur talis, qui læsus irascatur, & ad ultionem promptus sit: nam ut boni iure, ita

mali aliena fortitudine, & ferocitate in officio continentur. Ab ea enim opinio oritur cum iniurias (vt dictum est) non esse laturum, cum animo intrepido sit & vires habeat ad eas propulsandas aptas, & animo pares.

DE HONORE, VT EST ALIENÆ VOLUNTATIS possessio. CAP. VI.



ELIQUA est honoris species non parum à cæteris diuersa, quæ est amor alienus, siue alienæ voluntatis possessio, ob honorantis obligationem, siue ob opinionem quam habet, honoratum velle, & posse prodesse. Quamobrem qui suum honorem tuetur, possessionem tueri videtur, & tamquam ius, quod in aliorum bonis, vel voluntatibus habet, quod idem est. Qui autem honoré amittit, huiusmodi bona amittit; vnde fit, vt quilibet amari cõtendat, & vt gignatur amor, petat vt sibi aliquid imperetur. Hinc Massinissa apud Titũ Liuiũ *queritur, sibi à Romanis non imperari, sed se rogari, quasi non sit eorum possessio, prout esse desiderat.* Et qui nos honore prosequuntur, se nostros esse, nostrisque imperijs paratos affirmat, quod, & signis quibusdam honoris demoustrant. Nam caput aperientes, idem veteri Romanorum more significant, ac detracto pileo se seruos fieri. Alterius igitur amorem erga se, & honorem quoad eum amittere, minime differunt. Honore enim non indigemus, nisi ad commoda accipienda, eoque destituti, omnibus commodis priuamur, quæ ab alijs expectari possunt. Qui ergo non diligitur, vel per se, vel commodi causa, neque expectare, neque petere bona ab alijs potest. Itaque qui alium honore prosequitur, se illi obligatum ostendit, ac debere; & vna cum suis viribus, ac bonis quasi possessionem illius esse. Vt autem frustra possidemus bona, quibus non vtimur; ita etiam alienas voluntates. Quod si honor voluntatis locij possessio est, societas mutua possessio erit, amicitia itidem mutua quidem possessio, sed perfecta, sine vlla nimirum exceptione. Quamobrem amicorum omnia sunt communia, qui enim voluntatem alterius possidet, cuncta eius possidet bona. Mutua verò possessio, & vnio idem videntur; nam ipse ideo dicor ego, quia meam foelicitatem, ac perfectionem desidero, & assequi cupio: cum igitur tu eandem desideras, idem prorsus mecum euadis, quo fit, vt ego, & tu quod ad animum, & voluntatem attinet, idem, & dicamur, & simus. Nam quod ab Aristotile dicitur non diuersum est, mutua scilicet beneuolentiam amicitiam esse, cum beneuolus ea agere velit, quæ is expetit, cui bene vult. Qui verò beneficio alios afficit, non vt eorum voluntates possideat, sed tantum, vt ipsis bene sit, non honoris sed honestatis gratia agit, cum ea possessione vti velit. At beneficio affecti, vt eorum gratitudo appareat, non suam tantum obligationem exterioribus signis ostendere debent, verum etiam opportune ei, vel inuito bona cõtrudere, & cum prope cõgere, vt illa sumat, ne suarum voluntatum, suorumque bonorum possessionem repudiet. Verum cum hæc, mutatis voluntatibus immutentur, mutabilis quoque possessio erit, non solum ad possidentis mutationem, sed illius etiam cuius possidetur voluntas, statim enim atque opinionem immutat, aliena desinit possessio esse. Hinc apud Ariostum amans puella amantem accusans, inquit: Conqueror immitis de re, quod feceris olim Te meum, & inde mihi te perfide surripuisti. Pro mensura igitur, & quantitate honoris, est amor honorantis, & desiderium ad honorati commodum, & beneficium; itemque præ amoris magnitudine, voluntatis eiusdem ius, & possessio; ita vt is, cui honor habetur, honorantis bonis

Plutar. in prebl. & in Craffi, & Pompei vita. Senec. epist. 65. in fin.

Ethic. lib. 8. cap. 2.

bonis ad suam felicitatem adipiscendam, non secus, ac proprijs, vti possit. Sed cum de communis honoris speciebus, satis dictum sit, ad eas, quæ in singulis societatibus reperiuntur accedamus, & primum ad eam, quæ est in iuridica.

DE HONORE IN IURIDICA SOCIETATE.

• CA P. VII.



10 **DORRO** in iuridica societate, honor est opinio de aliquo, quod sit iustus; qui enim societatem inire parat, nisi opinetur aliquem, nunc, & in hoc iustum fore, hoc est paria ijs, quæ acceperit relaturum, abstinere ab ea contrahenda. Nam primæ propositiones, ad huiusmodi honorem pertinentes sunt, quod quis sciat, velit, & possit æqua referre, quod sit contentus iusto, quod diligat ius. Atque hæc postrema vtramque superiorem complectitur. Sunt autem hæc immediatæ propositionis constitutiua, quod paria accipere dignus sit, in qua eius honor consistit, nempe quod alij illum dignum commodis putent. His autem propositionibus multæ opponuntur: quæ
 20 verò immediate, vel etiam mediate aduersantur, dignitatem, vel quod idem est, opinionem de dignitate extinguunt. Qui enim aliquem affirmat ad negocia, quæ agenda sunt ineptum esse, vel stolidum, aut inertem, scientiam aufert. Qui ferum, aut agrestem, voluntatem. Qui inopem, aut ignaum, potentiam. Qui verò iniquum, aut acceptorum beneficiorum immemorem, immediate indignum ostendit. Similiter qui illius acta commemorat, videlicet quod alias iusto non acquieuerit, pauciora tradiderit, bis idem accipere tentauerit: demum, quod visus sit aliquo modo à iure alienus, semper opinionem gignit; ab ea diuersã, quæ honori est eadẽ, nimirũ quod iure, & æquitate nõ delectetur, & ex consequenti non sit societate dignus. Quæ si in apertũ, ea iam inita, proferã
 30 tur, illum socio suspectum reddunt. Huiusmodi autem rumores non minus fidei, quam honori detrahunt: honor enim amittitur, quatenus sua dare nolunt, fides quatenus accipere aliena recusant. Cum igitur huiusmodi honor, opinio sit, vel ab opinione pendeat, quod quis sciat, possit, & velit, si non potest, quamuis sciat, ac velit, in societatem iuridicam non admittitur; in benefica verò, etiam deficiente potentia, voluntas, & scientia non sunt contemnendæ, sed cum gratuito tradere velit, in bonam partem accipiendæ; quamquam nõ æque obligant ac si adsit potentia. Qui non potest, & nescit, & tamen vult, eodem modo repudiatur, cum sit etiam magis ridiculus. Qui non potest, & nescit, neque etiam vult, solitarij loco habendus est, neque enim contemni debet, neque de
 40 eo bona haberi opinio potest, sed vt inutilis prætereundus, perinde ac si non homo, sed diuersum animal esset. Qui non potest, & non vult, licet sciat, reijciendus. Qui potest & scit, sed non vult, contemnendus quidem non est, sed aut flectendus vt velit, aut relinquendus. Qui potest, sed nescit, & non vult, flectendus simul, ac docendus, aut dimittendus. Qui potest, & vult, sed nescit, similiter docendus, vel negligendus. At qui potest, scit, & vult; cum nobis esse vtiles possit; vicissim & nos conari decet, vt ei vtiles simus. Et omnino ita affecti esse debemus, vt paria referre cupiamus, si posteriores in agendo sumus; aut, quòd idem est, paria accipere, si priores, aut si simul agimus. Nam cum huiusmodi homine, tum contrahenda societas est, tum seruanda; cum bona de eo haberi opinio debeat, quæ eius, quo ad hanc societatem attinet, vere est honor; de quo plura dicere non necesse est, sed ad ea quæ sequuntur trãscũdum.

DE HONORE IN BENEFICA SOCIETATE.

CAP. VIII.



N societate igitur iuridica, opinio quod tales sint socij, qua
 les supra ostēdimus, eorū est honor, qui quidē in utroq. so-
 cio eiusdē rationis est, propterea quod ipsi sunt vnus gene-
 ris. Verū in benefica cū diuersi generi rem socij sint, & eorū ¹⁰
 actiones natura diuersæ, diuersum quoq; eorū honorū esse
 necesse est. Quamobrē primū de Benefici, dcinde de Inopis
 honore dicemus. Honor igitur benefici, in opinione inopū
 consistit, quod honestatis gratiā tradat, quōdq; accipientis obligatione, gratitu-
 dine & commodis dignus sit, eodemque modo est ipsius opinionis, & obligatio-
 nis signum, & dependentiæ inopis, excellentiæ autem, & perfectionis ipsius
 benefici. Nam qui alienis bonis indiget, & paria referre nequit, si ea accipit
 obligatus remanet, & dependet; ab alio enim, quā ab ipso, eiusque viribus,
 ipsius pendet beatitudo, est igitur illi virtute inferior. Itaque benefici honor,
 inopis etiam opinio est, de ipsius benefici dignitate, nempe quod signo dignus ²⁰
 sit, ostendente ipsum inopem obligatum esse, ac dependere; & cum aliud ne-
 queat, ei suæ voluntatis possessionem tradere; ita vt beneficus voluntatum,
 possessione, præstantia, & principatu sit dignus. Quamobrem qui honore pro-
 sequitur, si minus verbis, saltem corporis motu testatur, se debere, & gratiæ re-
 ferendæ occasionem appetere, eademque opera significat, quantum ab alterius
 dignitate sua dignitas superetur. Cum enim loco cedit, & manus osculatur,
 aut pedes, se nullius propemodum precij esse præ illo ostendit, quem quasi Deum
 quemdam colit, ac veneratur. Apparet autem in benefica societate, non so-
 lum honorem duplicari, verū etiam fidem, virtutem, ac dignitatem; vt quem
 admodum benefici honor ab inopis honore differt, ita, & cæteræ qualitates. Sed ³⁰
 cum de benefici honore satis dictum sit, de inopis nunc honore dicamus. Est
 autem inopis honor, benefici opinio, quod dignus sit, in quem bona gratuitò
 conferantur; & quod idem est, fortunæ culpa indigeat, & non abundet; nec
 peteret, nisi indigeret, neque gratuitò acciperet, si quod retribuere haberet.
 Et omnino opinio de eius virtute, bonisque moribus mediate confert, sed opi-
 nio de eius dignitate ad gratuitò accipiendum, ipsius inopis vere est honor. Di-
 gnus autem beneficio videtur, qui non sua, sed aliorum causa eget; qui solitus
 est beneficentia vti, & operam dedit, vt prodesse posset; eique pro sua condi-
 tione, & gradu beneficium congruit. Non est autem opinio, quod sit gratus,
 & cum poterit, paria sit relaturus: nam hoc modo inter eos iuridica societas es- ⁴⁰
 set. Verumtamen si beneficus sciret, eum esse ingratum, aut non sumere cum
 aliquo doloris sensu; & stimulo paria referendi, neutiquam ei honeste trade-
 ret. Non quod retributionem vllam capere, aut expectare debeat, sed quod
 inops ita dispositus, aduersari humanitati videretur. Qui enim paria reddere
 quod ad se attinet non desiderat, iniquus est: nam plura, quā debeat appe-
 tit, cum humanitate ad largiendum incitetur. Quin si plura sponte capiat,
 quā quibus indiget, reprehensione non caret; quoniam vt in iuridica, vtriq;
 socio communis honor, opinio est, quod ius diligant, ita in benefica, commu-
 nis benefico, & inopi honor, est opinio, quod diligant honestatem. Qui au-
 tem est honestatis amator, bonus tum vir, tum socius in benefica est societate ⁵⁰
 habendus. Quamquam in inope largiendi principium, aut gratiam referen-
 di, fortunæ (vt diximus) culpa impeditum est, non quidem quoad scientiam,
 & volun-

& voluntatem attinet, sed quo ad vires. Itaque illius etiam honor opinio est, quod beneficus esset, si per vires, potentiamque liceret.

DE HONORE IN HERILI SOCIETATE.

CAP. IX.

IN herili autem societate id, quod in benefica diximus, considerandum est, videlicet non simplicem honorem, sed duplicem esse; cum diuersi generis socij sint dominus, & seruus, eorumque actiones, vti talium natura diuersæ; propterea honor Domini absolute serui opinio est, quod præstabit ei seruire, quàm perimi. Et quod eius imperium huiusmodi erit, quod seruum non pænitebit, seruari maluisse, quàm mori. Honor verò serui, opinio Domini est, quod melius se cum agetur, si eum seruet, quàm si interimat, cum commoda, quæ ab eius seruitute prouentura sint, huiusmodi fore sperentur, vt quamuis iure belli eum interficere possit, & eius fortasse interitum, vt hostis, expetat, numquam tamen pænitentia capietur, quod seruauerit. Quæ de ijs quoque, qui emuntur, deque ijs, qui serui nascuntur, similitudine quadam dici possunt. Nam de ingenuis qui sponte seruiunt, vt in aulis fieri videmus, alia ratio habenda est. Inter Christianos enim, quibus seruos habere non licet, ingenui sponte seruiunt, præsertim in Principum aulis. Qui igitur seruiunt sponte, mercede conducti, aut spe certa remunerationis, iuridicam societatem sequuntur; qui verò honestatis causa, beneficam. Si enim amore, reuerentiaque adducti in eam seruitutem se mancipauerint, & diligenter, liberaliterque, non tam ad proprium commodum, & emolumentum, quàm Dominorum inseruiant, amicorum, beneficorumque numero habendi sunt, eorumque honor dominorum opinio erit, quod fideliter, non necessitatis, sed honestatis gratia seruorum muneribus perfungantur. Vicissim autem huiusmodi dominorum honor, eorumdem seruorum opinio erit, quod erga se benigni, & liberales sint, seque potius paterno affectu, quàm herili amplectantur. Actum in victui necessaria subministrando, tum in beneficijs gratitudinis causa conferendis, & fideli opera remuneranda, quoties se occasio offerat, munificentissimè prosequantur, ita vt eos libertatem deferuisse, & tempus, atque operam consumpsisse pænitere non possit.

DE HONORE SOLITARIJ ET HOSTIS.

vel de eo, quod illi proportionè respondet.

CAP. X.

HONOR solitarij, vel quod illi proportionè respondet, est opinio nostra, quod tam commodis, quàm incommodis sit indignus, cum prodesse, vel nesciat, vel nolit, vel nequeat, cumque etiam nolit, nocere. Hæc autem opinio ad eum relata, honoris ipsius priuatio est, sine quo nihil prorsus sperare ab alijs licet. Hostis autem honor non simplex, sed duplex esse videtur, uidelicet, quoad pugnandi concordiam & quo ad pugnam ipsam, vel ad pugnandi animum. Nam quo ad concordiam attinet, est opinio quod seruabit promissa pugnandi, loco, & tempore constituto, & armis definitis. Quo verò ad pugnam, vel pugnandi animum, est opinio nostra, quod nobis cupiat nocere, quæ quidem ad eum relata, est non honor ipsius, verum oppositum honoris nomine carens. Ac

Bb 3 vt ipse

vt ipse honor est opinio de aliena dignitate, ita quæ de hoste habetur opinio, est de eius dignitate, & meritis poenæ, vel quod damna, & incommoda mereatur. Et vt honor est opinio, qua inuitamur ad bona tribuenda, ita illius contrarium opinio est, qua ad contrarium, nimirum ad lædendum impellimur; hæc autem ex alia opinione orta est, quòd nobis nocuerit. vel nocere desideret, & quòd saltem quo ad nos attinet, improbus sit; nec ius, nec honestatem diligat. Cum igitur hæc nobis de eo insit opinio, quod bonis indignus sit, malis verò dignus, profecto nisi impediamur, ad eum lædendum procliuus erimus, præsertim cum simul opinionem de eo fidei oppositam habeamus, qua illum, si poterit, nobis nociturum timemus.

10

NUM HONOR VIRTUTIS PRÆMIUM SIT.

C A P. X I.



VNCTIS igitur honoris speciebus, tam communibus, quàm proprijs explicatis, considerandum videtur, quidnam ipse honor homini profit, & quod demum ei emolumentum afferat: cum enim tam ardentè ab omnibus appetatur, vt nemo fere paulò generosior sit, qui vel vitæ ipsi illum non anteponat, magnum sane bonum esse necesse est, & non leue ad nostram felicitatem momentum afferre. Inuestiganda ergo nobis tantæ illius in omnibus cupiditatis causa, & quorsum tendat, quærendum est; quod à nemine eorum, qui hæctenus de honore scripsere, factum fuisse mirari conuenit. Nam qui virtutis præmium esse affirmant, illum quidem aliquid esse censent, quod in studiosi, atque honorati commodum redeat, quid autem sit minime exprimunt. Cum tamen cæteri agentes, suorum operum præmia quidnam re ipsa sint, ostendere possint. Negant verò vtile quidpiam esse, aut iucundum, sed vel honestum esse asserunt (licet quid honestum sit, non explicent) vel beneficiæ electionis signum. Verùm de hoc etiam quæri potest, num sit vtile nec ne, & cur tantopere huiusmodi signorum gratia sit laborandum. De his igitur nihil dicunt, sed dumtaxat quærendum honorem esse, quantum, quando, & quomodo oportet, aliaque huiusmodi; quæ adeo clara, & aperta sunt, vt nullius opera egere videantur. Primum ergo indagandum est, num honor virtutis præmium sit, deinde quodnam, quantumque sit bonum. Verùm ante omnia scire oportet, quid præmij nomine intelligatur, constat autem illud pro fine, & cuius gratia sumi, aut pro mercede, & compensatione operis, & laboris, qua tradita, obligationi satisfactum est. Itaque si pro fine sumatur, ad ipsam potius virtutem spectat; si pro mercede, ad eum, qui virtute præditus est, non tamen vt talis. Vt in arte etiam apparet: medicinæ enim finis, ac medici, vt talis, bona valetudo est, præmium verò operæ, ac lucrum, non medicinæ, neque medici vt medicus est, sed vt homo ea arte instructus, & egens. Si igitur pro fine sumatur, nullo modo honor, sed felicitas, & honestas, & vera voluptas virtutis præmium erit; quod etiam Aristoteles sensit, qui post traditam felicitatis definitionem, præmium, finemque virtutis, optimum, & diuinum quiddam, ac beatus videri dicit. Et alibi sæpe honestatem virtutis finem appellat, quam licet numquam definierit, tamen vbique eamdem fere esse cum felicitate demonstrat, quemadmodum, & veram voluptatem. At honorem virtutis quidem esse præmium dicit, ac bonis hominibus tribui, non tamen finem appellat, ne illum videatur felicitatem esse asserere, quod Ethicorum initio aperte negat, vbi finem fere ciuilis vitæ, non facultatis eum dicit esse. Nos autem honorem nullo

Ethic. lib. 1. cap. 9.

Ethic. lib. 8. ca. 8. & 14.
Rhet. lib. 1. cap. 11.
Ethic. lib. 1. cap. 5.

nullo modo, neque ut finem, neque ut mercedem, virtutis esse præmium dicimus, cum eius tum finis, tum verum præmium non honor sit, qui auferri potest, sed (ut dictum est) felicitas, animique perfectio, cum virtus sit habitus animi, ad honestatem, felicitatemque perducens. Quod si honor finis statueretur, omnia illius causa fierent. Sed neque etiam virtutis præmium est, ut merces, aut remuneratio operis, & laboris: ea enim soluta obligationi satisfactum esset, quæ tamen semper remanet. Nam licet colamus, & veneremur beneficium, & laudibus in cælum feramus, nihilominus obligatio soluta non est, cum ingentis beneficii prædicatio, non gratiæ relatio sit, sed potius actio.

- 10 Præterea qui honestatis gratia agit, hanc mercedem nequaquam desiderat, sed dignis dumtaxat bona largiri cupit; qui verò beneficio afficiuntur, se dignos aliter ostendere nequeunt, quàm si se obligatos significant, hoc autem honore efficiunt, nempe signis eam opinionem testantibus, quam de beneficii virtute, ac dignitate habent, qui internus est honor. Quamobrem neque ut finis, neque ut merces, virtutis præmium honor est, verum indicium, & significatio alienæ virtutis, & meritorum beneficii testimonium, quod vnum tradere inops potest, eoque beneficium contentus est, & in gratiarum fere actione consistit, ac nisi eo contentus esset, desineret esse beneficium. Quin plerique ne ambitiosi videantur; id quoque recusant, neque ipsam gratiarum actionem admittunt. Quamobrem tamen inopes priuandi non sunt, sed cauendum, ne nos ipsi beneficia à nobis collata efferamus, quod penitus ad inanem gloriam spectat, cum non honestatis gratia, & per se nos egisse demonstrat, sed honoris, & gloriæ. Cuius causa qui agit, ea omnino sit indignus, cum tumidum se esse ostendat, & non tam alienum commodum, quàm suum splendorem appetere. Patet ergo ex his, virtutis præmium honorem non esse, sed honestatem, ac felicitatem. Verum ut in emptione, absoluto iam contractu, & motu, arrha dari solet, qua emptor ostendit se venditori pretium, sibi verò illum rem debere, ita qui beneficium accipit, & sperat, honore ostendit debere se, & cupere gratiam referre, & à benefico etiam sperare commoda. Dum enim beneficium honore profsequitur, eadem opera plura efficit: nam se dignum, & obligatum, gratumque ostendit, & eum, qui dat, honestatis gratia largiri, non autem quod sibi paria referri cupiat. Facit præterea, ut ille se honeste egisse, & beneficium recte collocasse intelligat, & ut cæteri illius virtutem cognoscant, & ad petendum ab eodem, quæ sibi necessaria fuerint, inuitentur. Demum se gratiam pro viribus relaturum significat.

HONOREM HOMINIBVS MAGNUM BONVM ESSE.

C A P. XII.



- 40 LVRA à nobis in superioribus dicta sunt, ex quibus apparere potest, quàm magnum bonum sit honor, quorum quædam hoc loco commemorare fortasse non erit inutile, præsertim cum illum alienæ voluntatis possessionem diximus esse. Inops enim bona accipiens opinionem concipit de benefico, sibi eum posse, ac velle prodesse; quo fit, ut eum amare incipiat, & suæ voluntatis possessorem constituat; ita ut inopis amor, sit benefici honor, suæque voluntatis possessio. Qui igitur se dicit honorem suum tueri velle, hanc possessionem tueri vult, & ius illud, quod in aliorum bonis, ac voluntatibus habet. Non enim illum, ut alienam opinionem de se, quamvis veram, sed ut rem sibi utilem conseruare

seruare contendit. Vel etiam opinionem illam suæ utilitatis gratia. Honore autem potissimum indigemus, ad bona accipienda, eoque destituti, omnibus, quæ expectari ab alijs possunt, prohibemur. Nam opinio quod, quis virtute præditus, ac dignus sit, quæ quidem (vt diximus) est honor, causa est, vt societas contrahatur, & conseruetur, & vt officia inter socios, & promissa præstentur, & præterea commoda tradantur, quæcumque ab alijs tradi possunt. Quamobrem sine honore nullum ab alijs commodum percipi, aut expectari potest. Eo enim ablato, quamquam re ipsa dignitas non extinguitur, opinio tamen de ea ex hominum animis aufertur. Cum verò dignus quis non habetur, in societatem nullam admittitur, eique commoda tradere omnes recusant, cum eo principio 17 careat, quod alios ad tradendum inuitat. Præterea cum honor de cuiuspiam virtute, vel dignitate opinio sit, ad illius commodum vergens, de quo habetur; fides autem eadem omnino sit opinio, verum ad illius commodum vergens, qui eam habet; qui honorem amittit, fidem simul amittat necesse est, cum re idem sint, sed ratione dumtaxat differant; ab eo verò, qui fidem amiserit, accipere homines nolent, propterea alijs bona conferre impediatur. Non enim medici, aut cuiusquam artificis, & agentis opera vti volet, qui ei fidem non habet. Itaque sine honore accipere ab alijs commodum immediate non licet, & mediate non licet tradere; ita vt omnino qui honore caret, cū alijs hominibus quo ad voluntatem versari nequeat. Cū igitur ab hominum societate excludatur, à qua 20 humana felicitas pendet, à felicitate quoque excludi illum necesse est. Hinc ergo dilucidum fit, quàm magnum sit bonum honor, cum eo præditus cuncta bona, quæ à societate proueniunt, sperare possit, & felix fieri; eo verò destitutus, nulla nisi mala expectare valeat, cum omnibus insensus sit, eique prorsus omnibus commodis, & felicitate ipsa interdicitur.

HONOREM CVR APPETAT BENEFICVS.

C A P. XIII.



VM autem paulò superius dictum sit, beneficium nequaquam honorem desiderare, deinde eundem dixerimus eo contentum esse, quem ei inopes defert, nunc videndum est, qui fiat, vt idem simul honorem repudiare, & admittere valeat. Honorem igitur, vt opinio de virtute est, cum magnum hominibus bonum esse demonstratum sit, meritò omnes pluri- mi facere iam exposuimus. Vt verò illius opinionis signum est, non omnes eodem modo appetunt. Nam reip. gerentes, & ambitiosi, illius auidi sunt, & auram popularem captant, vt magistratibus, & publicis muneribus potiantur, quibus auctoritas, & sibi, suisque opitulandi potentia inest. 30 At probi, & benefici, non ambitionis gratia illum affectant, sed vt ex ipso honore, quo inopes eos prosequuntur, de eorum dignitate iudicium ferant. Nam cum honor accepti beneficii signum sit, sæpe autem qui tradit, nesciat, an acceptum fuerit; videtur beneficium desiderare, vt certior fiat, beneficium acceptum esse, eo præsertim animo quo traditum est: nam qui accipit commodum, & se putat accepisse incommodum, aut sibi debitum fuisse, aut eum, qui tradit, maiora vicissim commoda postulaturum, tradentem honore dignum non censet. Cum igitur beneficium sollicitus sit, vt quæ tradit, eo animo capiantur, quo ipse tradit, honore affectus, hoc ipso gaudet, quod se non animo tantum, sed re ipsa beneficium fuisse intelligit: beneficium enim vt gratuitum acceptum 50 esse, & se in egentem dignum, gratumque id contulisse. Præterea cum prodesse non possit, nisi eius voluntas iuuandi bonos cognita sit, honores cupit, vt

ijs indicantibus beneficus ab alijs habeatur; si enim fidem habent, & bona sperant, ac petunt, & occasionem beneficij conferendi offerunt. Nam omnino quæcumque in conferendo commodo beneficus cupit, ipsum etiam honorem conferendi commodi causa cupit, & ut bene sit bonis. Non igitur qui magistratus, aliaque huiusmodi amicis relinquit, magis se diligit, & sibi maximum bonum seruat, honorem videlicet, aut honestum (ut Aristoteles putat) sed cum videat maius commodum, aut splendorem, aut voluptatem eos inde percepturos, suum iure cedit, ut lætitia illos afficiat, & bonis augeat. Pars ergo diuina honore gaudet, ut signo certo, suum desiderium expletum esse. Si enim aut non capitur beneficium, aut non ut gratuitum, sed ut debitum, angitur; non quod inde honorem venerit, sed quod se in dignum id non contulisse cognoscit. Nam ut beneficus vere ipse sit, & munus honeste collatum, digno tribuere oportet. Qui autem beneficium tamquam sibi debitum accipit, eo penitus indignus est. In iuridica enim societate, ut par sit utilitas, & ut qui commodum accepit se accepisse cognoscat; opus est ut paria tribuat. At in benefica, qui tradit, eo animo tradere debet, ut nihil profus sibi reddi, vel deberi cupiat, ne honorem quidem: nam si donaret honoris causa, & sibi deberi illum putaret; aut si quereretur habitum sibi non fuisse, vel non actas gratias; iam non gratuito, neque honestatis, sed sui commodi, suæque voluptatis causa ageret; non secus ac si saltatoribus, aut scurris largiretur. Etenim qui gratis dat, omnem penitus retributionem excludit. Neque vllum omnino emolumentum admittere, salua honestate, potest, præter amorem, ac benevolentiam inopis, & ex eius commodo voluptatem. Cum autem honor bonum sit, & inter externa maximum videatur, si quis sibi pro beneficio honorem peteret, non largitio illa, sed permutatio dicenda esset. Beneficus igitur priusquam tradat, inopem dignum iudicat; post traditionem autem sequi aliquid congruum est, ex quo se sua opinione minime deceptum intelligat, neque id mercedis cuiusquam loco, sed cumtaxat ut alienæ dignitatis, meritique inditium. Hic verò est honor, hoc est obligationis, & memoriæ, & accepti beneficij significatio.

NUM HONOR SIT IN HONORANTE, AN IN
honorato. C A P. XIII.



NUM verò in honorate, an in honorato sit honor, quorundam Aristotelis verborum occasione, qui honorem honorantis esse affirmat, dubitari solet. Ac Possseuinus, licet ex se manifeste pateat, demonstrare tamen contendit, honorem potius in honorante, quam in honorato esse. Nam existimat eum formaliter honorato inesse, ut albedo essentialiter est in pariete, quod nobis verum non videretur. Etenim vltimæ accidentium formæ, non id efficiunt, ut huiusmodi accidentia ijs substantijs insint, verum causæ sunt, ut accidentia sint, & perinde ac substantiæ, esse habeant. Quamuis enim Eclipsis, luminis in lunæ corpore defectus sit, ob terræ interpositionem; tamen dici non potest, eum formaliter terræ inesse: nam nemo terram, vel deficientem, vel obscuram dixerit, sed defectus, aut obscuritatis lunæ causam esse. Honor igitur ab honorato veluti à principio pender, quod opinionem honoranti ingenerat, à qua ad honorati virtutem significantam impellitur. Quod autem dicit agentem patiente nobiliorem esse, & voluptatem maiorem capere, & propterea honorantem digniorem esse, & maiore voluptate perfundi, quam honoratum; risu profecto dignum est: omnes enim operam dant, ut honorentur. Præstantiorem verò honorante honoratum esse, ex ijs quæ diximus patet, nempe honorem signum esse, quo honorans hono-

Ethic. li. 9
cap. 8.

Ethic. li. 1.
cap. 5. lo.
Bap. Possse.
in libr. de
hon.

honoratum superiorem, se vel eo inferiorem demonstrat, & confitetur. Neque igitur honorans honorato præstantior est, neque ex honore quem defert, maiorem voluptatem capere potest. Honor autem non magis honorato inest, quàm qui de eo sermo habetur; quòd si inesse dicatur, dedecus quoque, ac contemptus cum suis signis, dedecore affecto inerunt. At verò cum voces plura significant, non ipsæ, sed res, de quibus agitur spectandæ sunt. Nam si honor signum est, in eo quod significat, non in eo, quod significatur signum esse oportet. Si enim suspensa hedera vinum in domo vendi significat, hedera quidem in pariete est, vinum verò in cella vinaria. Eodem modo, si honor virtutis est signum, virtutem in honorato esse satis est. Si quis autem diceret honorare dignius esse, quàm honorari, idem seruire affirmaret dignius, & eligibilius esse, quàm seruis uti. Denique hæc opinio ab omni ratione, sensuque communi abhorret. Nam licet quis beneficium, dignumque honorans recte agat, eoque lætetur, tamen honoratus dum ei honos habetur, voluptatem percipit non vulgarem, quòd bonos iuuerit, quòd suas actiones prospere successisse, & in bonam partem acceptas videt; quòdque honorantem gratum esse cognoscit. Demum ut creditor dum ei debitum soluitur, debitore solvente superior est, ita is, cui honor habetur, eo, qui illum habet, alioqui solvens ex ipsa solutione, eo, cui soluit, ditior fiet, quod est absurdum. Proportio enim apte quadrat: nam honor si minus est præmium, & merces virtutis, est tamen id, quod ab honorante solui, & veluti debiti loco tribui potest. Qui igitur honorat, debitum persolvit, quòd si honorans, dum honorat, plus honoris assequitur, debitor, dum debitum soluit, soluta pecunia fit auctior. Vnde sequeretur, cunctos beneficia petere, non tradere oportere, ut accipientes beneficis honorem haberent: nam maior inde honor ad honorantes, quàm ad ipsos beneficos perveniret. Quod quidem ridiculum est: omnis enim, qui ut honorem assequatur, laborat, id eò facit, ut pluri fiat ijs, qui ei honorem sunt habituri. Alioqui inopes diuitibus honore anteibunt, serui dominis, ac summi Principes quos nemini honorem habere decet, honore ab omnibus superabuntur. Sit igitur honor in honorante, ut sermo in loquente, & amor in amante, non in eo de quo sermo habetur, vel eo qui amatur; & denique ut omne signum est in significante, non in eo, quod significatur. Ac si quo modo est in honorato, in eo est, ut effectus in sua causa; non formali quidem, sed aut efficiente, cum ab honorati virtute, & dignitate prodeat; aut finali, cum honorati virtus, & dignitas honorantem ad eum honorandum inuitet. Nec obstat, quod quilibet dicat honorem suum amare se, nec eum amittere velle, quo significari videtur, eum in honorato esse. Nam licet de nobis in alijs bona opinio sit, vel eius signum, est tamen (ut supra diximus) nostrum bonum, & nobis utile. Ac quamvis honor in honorato, veluti iniuria, aut læsio in iniuria laceffito, vel læso esset, non honorantis signum esset honor, sed qualitas, quæ in honoratum ab honorante introduceretur. Verùm signa, & quæcumque significant, non sunt huiusmodi: qui enim de quopiam loquitur, nihil profus in eo sua oratione imprimit. Si igitur honor signum esset, ut cicatrix, quæ illatum vulnus significat; potius in honorato esset, quàm in honorante; verùm genuum inflexio, aut capitis detectio non huiusmodi signa sunt, sed tantummodo honoratum significant probum virum, ac dignum esse. At verò Possuinus cum non honorem in honorante, vel in honorato esse affirmat, sed voluptatem, tum denique confundit omnia, & omnino decipitur: multi enim haud libenter honorant, & nonnulli cum honorantur, erubescunt, & ægre ferunt, ut mulieres. Iraque statuendum profus est, honorem in honorante esse. Ac statux quidem, aliaque huiusmodi honores sunt, non ut statux, sed ut signa perpetua virtutis eorum, in quorum honorem sunt positæ, ideoque signa appellantur, ut honoratorum virtutis indicia.

Verùm

Verum etiam honorantium signa sunt, qui eas posuerunt, quibus significatur eorum de honoratorum virtutibus opinio, & demonstratio, licet tam honorantes, quam honorati forte occubuerint. Verba igitur interpretanda non sunt, nisi ut sonant, cum honor signum sit, quod factum est, aut sit ab ipso honorante. Cum verò Aristoteles honorem honorantis esse affirmat, in illius non in honorati potestate esse significat honorem deferre. Sed de his haec tenus. Ethic. lib. 2
cap. 5.

NVM FELICITAS SIT BONVM HONORABILE.

10

CAP. XV.



OST traditam felicitatis definitionem, quaerit Aristoteles an ea bonum honorabile, an laudabile sit, constare enim dicit ex potentijs illam non esse. Potentias autem appellat, quibus bonus bene, malus verò male uti potest, ut robor, diuitiæ, cæteraque huiusmodi. At qui laudem ex ijs esse dicit, quæ per relationem efficiuntur, eaq; laudari, quæ ad bonum aliquod referantur.

Ethic. l. 1. c. 12.


Virtutis enim illam esse, qua ad honestas res agendas idonei fiunt propterea optimorum non esse laudem, sed maius aliquid, ac præstabilius. Felicitatem igitur tamquam principium, & causam bonorum, non laudabile, sed honorabile quiddam, & diuinum esse, Et hæc quidem Aristoteles. Unde apparet differentia, quam inter honorem, ac laudem ponit: illum enim finium esse vult, hanc verò habituum, qui ad fines ducunt. Verum cum nos, honorem opinionem de aliena virtute, ac dignitate, itemque signum esse dixerimus, cumque laus oratio sit virtutem, dignitatemque significans, existimamus laudem ab honore prout signum est, nequaquam differre, nisi quod aliquem honorantes, nos ei debere ostendimus, & bonis eum dignum ducere, & cupere in eum conferre commoda, & cum eo societatem inire. Cum verò eiusdem merita in nos laudamus, idem penitus significamus, verum laus ad alios emanat, & diffunditur. Ita ut honor, ut opinio est, nos ad honorandum signis, ac laudandum inuitet, sed honorantes animum nostrum ipsi honorato potissimum aperimus, laudantes autem, eius merito alijs indicamus, ut ei faueant. Atque ita laus idem cum honore esse videtur, laudato enim honorem affert, dum opinionem de eius probitate gignit, quæ quidem opinio (ut supra demonstraui) eius est honor. Cum verò laus sit oratio virtutem significans, itidemque honor opinionis index, virtutis signum sit, felicitas autem virtutis sit finis, honori, ac felicitati nihil commune esse videtur, quemadmodum neque laudi, cum honor, æque ac laus, illius habitus signum sit, qui hominem ad felicitatem perducit. Nam si felici honorem habemus, id quidem non ut felix est agimus, sed ut virtute præditus, qua vel potest prodesse, vel profuit. Itaque felix prout talis, imitandus sane, atque obseruandus videtur, non tamen honorandus, nisi ut beneficus consideratur. Laus igitur ab honore minime seiungenda est, bonis enim habitibus æque conueniunt: nam licet honor aptius dignitati, quam virtuti tribuatur, laus item dignitatem, easque actiones significat, quibus digni homines redduntur. Verum tam honor, quam laus significare bonum videtur, honor quidem, id quod homini præcipuum inest, ut probitatem ipsam, ac dignitatem; laus verò etiam quod cæteris rebus. Hoc autem est aut secundum, quid, quod ad singulos fines, aut simpliciter, quod ad finem vltimum confert. Nam sine posito, reliqua (ut ait Aristoteles) eo bona dicimus esse, quod finis causa existant. Laus igitur, & honor ad ea pertinent, quæ ad finem vltimum, nimirum ad felicitatem conducunt. Felicitas verò neque laudabile

Ethic. ad Eud. lib. 1. in fin.

dabile, neque honorabile bonum est, fortasse etiam neque bonum, sed nobilius quiddam, atque diuinius, & propter quod, cætera omnia dicuntur bona; quippe quæ ad illius adeptionem aliquo modo conferre possunt.

DE LAUDE EIVSQUE DEFINITIONE ALIA

consideratio. Cap. XVI.



Retho. l. 1.
cap. 9.

VM igitur honor, aut opinio sit de nostra probitate, & 10
virtute, (de quo satis dictum putamus) aut huius opinio-
nis signum; hoc autem, aut verbis fiat, aut actibus quibus-
dam exterioribus, de eo quod fit actibus, post dicemus;
de eo autem, quod verbis fit, quæ quidem est laus, non-
nulla hoc loco adijcienda censemus, ut quid vere sit lucidius
fiat. Itaque; (ut paulo superius exposuimus) laus ab Aristotele
dicitur esse magnitudinem virtutis ostendens oratio. Verumtamen, si in laudis defi-
nitione oratio generis loco ponatur, eius essentiã (ut nobis quidem videtur, nõ sa-
tis commode enucleabit. Primum enim partes orationis, laudis esse partes oportet,
quod minime vero consonum est. Deinde magna laus, quæ proprie magni 20
tudinem virtutis ostendat, erit magna oratio, quod similiter falsum videtur,
cum breuissima etiam oratione, maxima quæque laus explicari possit. Præterea
cum virtus proprie sit habitus animi, quo recte operatur homo; si ita de-
finietur laus, non videbitur nisi ad hominem, eiusque habitus bonos
pertinere. Verum cum videamus cætera omnia, quibus aliquod bonum
inest, illius boni causa laudari; aptiorem laudis definitionem fore arbitramur,
si bonum ostendere, quàm si virtutem dicatur; ut eius definitio sit, boni quod
est in re qualibet, verbis expressa significatio. Sic enim & virtus comprehen-
detur, & reliqua bona non excludentur. Quandoquidem quælibet res pro mo-
do, & ratione boni, quod in ea est, vel cuius illa est particeps, laudari solet. 30
Atque hoc aut secundum quid, aut simpliciter, & absolute. Nam bonum se-
cundum quid, respectu particularis cuiuspiam finis dicimus, ut bonum ad inci-
dendum cultrum, bonum ad scribendum clamum; at bonum simpliciter illud
est, quod ad finem vltimum confert. Quæcumque igitur ad veram voluptatem, ac
felicitatem conducunt, simpliciter dicuntur bona, & quæ talia, laudanda sunt om-
nia, non antem sola virtus, ut Aristoteles arbitratur. Vnde apparet, tam ad irra-
tionalia, quàm ad rationalia, & tam ad inanimata, quàm ad animata, laudem
pertinere: Itaque laudari videmus, non homines tantum, vel eorum virtutes, &
actiones, sed & equos, & canes, aliaque animalia. Quin & plantas, earumque
fructus, & cætera, quæ bonorum nomine comprehenduntur. Quamquam & 40
mala quoque a nonnullis laudantur, ut febris, pestilentia, iniquitas, quorum-
dam tamen bonorum ratione, quæ inde aliquo modo provenire videntur. Ho-
mo verò tum honoratur, cum de eius probitate, ac virtute significatur opinio:
nam boni quantitas, quæ in eo est, opinione comprehenditur, qui quidem est
honor, eademque opinio verbis expressa est laus, qua apertius indicatur
quantum quilibet sciat, velit ac possit, vel horum aliquid, ad bono-
rum virorum commoditatem, aut voluptatem. Quod dum exercet,
ipse quoque agens, ex aliena voluptate à seipso rationali facultate allata,
voluptatem percipit, quæ dum quæritur moderate, & sine cæterarum potesta-
tum impedimento, vera, & præcipua voluptas est, & humana felicitas. Ut au- 50
tem sanitas non dicitur salubris, ita voluptas, vel felicitas non dicitur pro-
prie bona, sed ut sanitatis ratione salubria omnia appellantur, ita voluptatis
vel

vel felicitatis respectu omnia bona. Cùm verò non laudentur nisi bona, quæ ad ipsam felicitatem, voluptatemue referuntur; voluptas, aut felicitas ipsa, laudem nullam videtur admittere: sed cum agentis, ac viuentis perfectio sit, amanda dumtaxat, & optanda, omniquè studio quærenda est. Nam honor, quem illi Aristoteles tribui vult, nullo modo ei competit, cum enim alienæ bonitatis, & virtutis opinio vel signum sit, aut cum laude idem est, aut in eodem, & circa idem cum illa versatur. Hoc tantum interest, quod cùm laus significatio bonitatis rerum omnium sit, & earum pretium, & æstimationem verbis indicet; honor (vt supra dictum est) in homine, & omnino in rationali natura, æstimationis, & pretij loco succedit, vel aliquo modo illud indicat. Deus autem, cùm in infinitum sciat, possit, ac velit omnia omnibus conferre bona, & omnium omnino sit causa, vnde cuncta omnibus modis pendent, & perficiuntur, præsertim homo, qui naturam ab eo diuinitatis cuiusdam, & eximie perfectionis participem est consecutus, cuique ille summum bonum est, & in eo, & ab eo summa bona sunt omnia, ita summe ab ipso laudandus, honorandus, & glorificandus est. Quod omnium gentium vsus, & consensus testatur, & omnis religio demonstrat. Et vt laus, & honor respectum illum, qui est inter diuinam eius beneficentiam, & nos declarant, vel verbis, vel signis exterioribus, vel impressione sensuque interno, ita *μακαρισμός*, vel *ἰουδαϊσμός*, summam in eo perfectionem, & æternam indicat beatitudinem. Neque verò laudes, quæ ei tribuuntur, ridiculæ videri (vt ille ait) cuiquam possunt. Quid enim tribui maius, vel concipi potest, quàm vniuersi opificium, æternitas, summa prouidentia, sapientia, bonitas, omnipotentia, & perfectio? Quæ cum à nobis diuino numini tribuuntur, ipsum honoramus, & laudamus, non quidem ex merito, cum maius omni laude, & infinitum sit, vireque transcendat humanas; at saltem pro captu ingenij nostri, supra cætera omnia, quæcumque humano animo concipi possunt.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.





ADOVARDI GVALANDI

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS
DE CIVILI FACVLTATE

Liber Decimus quartus.



DE GLORIA, ET FAM.A. CAP. I.



VM autem de honore, ac laude, satis dictum sit, nunc de gloria, fama que dicamus; videntur enim congenae esse, neque differre inter se, nisi secundum magis & minus: nam ut cuiuspiam honor, nonnullorum hominum opinio est, quod sit beneficus, & sciat, possit, ac velit reliquis hominibus prodesse; ita cum in omnium vel, plurimorum animis opinio insederit, quod quis in patriam, magnamue reip. veluti Christianam, vel in omnes homines maxima cōtulerit beneficia; ea opinio, ut honoris terminos, ita etiam appellationem transgredi videtur, & non honor, sed gloria nuncupari. Quæ quidem absolute Deo debetur, à cuius diuina beneficentia, (ut paulo ante dictum est) bona omnia omnes habent, & potius de summa eius scientia, potentia, & bonitate, deque ineffabili dignitate, quædam cognitio, & certitudo, quàm opinio dicenda est. Cum nemo sanus umquam fuerit, qui, quodcumque bonum est consecutus, non illud immensæ eius benignitati, uti primæ causæ acceptum retulerit. Quod verò ad hominem attinet, gloria est de ingenti eius beneficentia, vel de scientia, potentia, ac voluntate iuandi homines, & vnà de præstanti dignitate omnium, aut plurimorum communis opinio. Idcirco à Græcis *δόξα*, & *ἰδοξία*, hoc est opinio, & bona opinio appellatur. Ab honore igitur, non essentia, & definitione, sed tantum opinantium numero, & beneficiorum magnitudine differt. Verumtamen, cum honor ad omnes hominum societates pertineat; gloria nullo modo ad iuridicam, aut ad herilem, sed ad beneficam dumtaxat pertinet; neque in conuentionibus vlla

vlla est de ea mentio facienda. Nam vt absolute Deo debetur, ita homini, qua-
 tenus in benefica societate Deum imitatur, ea nimirum potestate, quæ diuini-
 tatis cuiusdam est particeps, & qua fit homini; quasi Deus, cum tamquam sui
 ipsius oblitus, nihil aliud quam hominum genus iuuare contendit. Quo fit, vt
 ab omnibus vicissim colatur; & alienorum animorum, & voluntatum possessor
 euadat. Vt quicumque fere gloriosus est habitus, nempe summa præditus vir-
 tute, & beneficentia, ac dignitate, apud veræ religionis ignaros diuinos ho-
 nores sit consecutus. Ipsa enim gloria honoris illius excessus est, qui debetur
 benefico. Propterea, qui honorem gloriæ anteposit, communi omnium homi-
 num iudicio aduersari videtur, nec animaduertere, honorem ab vno etiam, &
 omnino à paucis deferri, gloriam verò ab omnibus. Et neminem bonum esse,
 qui honore careat, gloriam omnino paucis, & raro contingere verum est. Et
 honor ijs debetur, qui raro, & in quibusdam profunt; gloria verò ijs, qui sem-
 per, atque in maximis, qualis absolute est solus Deus. Et quamuis honor,
 statuis quoque, arisque significetur, gloria non ijs tantum signis contenta est,
 sed ipsa hominum corda sibi deuincit, ac deuota possidet. Et facile quis hono-
 rem se suis operibus adeptum, aut meritum dixerit; gloriam fortasse nemo:
 nam impudentiæ argueretur. Ac Marcus Tullius, qui se alicubi, plusquam
 satis est gloriæ audum confitetur; tamen alibi gloriæ cupiditatem cauendam
 esse affirmat; cum animi libertatem eripiat; & cum de sua gloria verba facit,
 vt inuidiam imminuat, vocem quoque ipsam gloriæ minuit. Luceium enim
 rogans, vt matureret historiam de rebus à legeſtis litteris tradere, id se demum
 cupere affirmat, vt viuus sua gloriola perfrui possit. Quamquam vbi eam defi-
 nit, potius pro excessu quodam laudis, & famæ, quam honoris, vt opinio est,
 capere videtur. Nam cum in Marcum Antonium inuehitur, eam dicit esse lau-
 dem recte factorum, magnorumque in Rempublicam meritorum, qua cum optimi cu-
 iusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobetur. Cum verò Cæsari pro Mar-
 cō Marcello restituto gratias agit, eam appellat illustrem; ac peruagatam mul-
 torum, & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fa-
 mam meritorum. Magnam igitur laudem, aut famam gloriam esse asserit. In
 Rhetoricis verò vtramque coniungit, cum gloriā frequentem de aliquo famam dicit
 esse cum laude. Non enim eam definit, vt de ingenti virtute, ac beneficentia,
 & de eximia dignitate opinio est, sed vt huiusmodi opinionis signum, con-
 grua verborum celebratione expressum, quæ similiter gloria dicitur. Ac de
 laude quidem dictum est supra: fama verò, tam in malam, quam in bonam par-
 tem accipi solet: cum autem in malam partem sumitur, idem atque infamia est;
 at cum in bonam, ab ipsa laude non nisi magnitudine differt. Nam vt laus ad
 honorem, ita fama ad gloriam se habet. Hinc Seneca, gloria (inquit) multo-
 rum iudicij constat, claritas bonorum & ad gloriam, & famam, non est satis vnius
 opinio: consensus multorum exigitur. Aristoteles autem dicit, gloria verò est cum
 cunctis virtute præditus existimatur; aut id habere putatur, quod omnes, vel plures,
 vel probi, vel prudentes expetunt. Nunc dubitari fortasse posset. An beneficium
 gloriæ audum esse conueniat; & an Marcus Tullius probandus sit, qui sibi hanc
 audum inesse declarat. Verum hanc dubitationem, tum soluisse videmur,
 cum de honore agentes, ipsum non sui cōmodi causa à benefico expeti diximus;
 sed inopis; nempe vt maior inde occasio conferendi beneficii offeratur. Quod
 si honoris adipiscendi causa beneficium esse non licet, sed beneficia honestatis
 tantum gratia conferenda sunt, hoc est, vt ei bene sit, in quem conferuntur,
 qui ijs dignus esse cognoscitur, longe minus gloriæ causa beneficium esse li-
 cebit. Cum enim honore præstantior gloria sit, qui gloriam pro beneficio
 expeteret, non inopis causa largiri, sed sui ipsius videretur; & ex sua beneficen-
 tia maius etiā expectare præmiū, quam si honoris gratia largiretur. Non igitur

Possu. in l.
 de Honor.

Fam. Epist.
 lib. 5. Ep.
 12.

Ep. 103.

Reth. lib. 1.
 cap. 5.

Lib. 13. cap.

recte dictum est, accendi debere omnes ad studia gloria, cum nullo modo, illius causa, à benefico agendum sit, sed (ut sæpius diximus) ut bona bonis, dignisque impartiantur, & honestatis, hoc est communis boni, & paritatis commodorum gratia. Et illi rectius sensisse videntur, qui gloriam veluti Crocodilum quendam esse dixerunt, quod quidem niliacum animal, illos qui se fugiunt persequi dicitur; illos vero fugere, qui se persequuntur. Solidam enim esse gloriam adipiscitur, qui eam spernens, alienum beneficium quærit; ille inane, qui aliena negligens, propriæ laudis, & commodi causa in beneficio conferendo sollicitus fuisse videtur. Atqui pulchre Seneca, gloriam virtutis esse umbram affirmat: nam ut corpus opacum, in sole umbram facit, ita virtus in hominum luce, gloriam parit. Et ut, nisi lumini corpus obijcias, frustra umbram quæras, ita, nisi in societatibus hominum virtute utaris, gloriam. Eam tamen si exerceas (ut idem ait) vel inuitum gloria comitabitur.

DE REVERENTIA, ET OBSERVANTIA.

CAP. II.



AT vero honor, non solum in prædictis societatibus, & concordijs reperitur, sed etiam in mistis: nam qui cupit socius esse, & beneficus, vel dominus, utraque eget opinione. Qui igitur reuerendus dicitur, non simplex est quidam, sed videtur ex socio, benefico, dominoque compositus, & mistus esse. Reuerens enim eodem reuerentiæ actu ostendit se dependere, inferiorem esse, cæteraque, quæ de honorante dicta sunt; præterea se diligere ut socium, & gratum decet; postremo ut seruum timere. Ac, ut socius, veretur ne paria referat; ut gratus, ne parum videatur dignus; ut seruus, ne parum obediens. Quæ timoris species, in eo sunt omnes, qui iustus est. Nam qui debet, nec soluit ut socius, vel gratus esse non vult, vel obediens, timere debet, ne ut iniustus cogatur, neue habeatur ingratus, & indignus bonis. Reuerentiæ autem honor est, ut simul socius, & beneficus, ac dominus probus, & laudabilis habeatur. Ita ut reuerens eum dignum ducat, quem ut socium diligit, ut beneficium gratitudine prosequatur, & ut Domino, pareat sine timore. Sane honor minor reuerentia non est, eo excepto, quod reuerentia supponere seruitutem videtur, honor vero nequaquam. Nam qui honorat, se quidem obligatum significat, eaque de causa seruire velle, non tamen se esse seruum. Ita ut reuerentia sit actus mistus, conueniens socio, seruo, & beneficiis affecto, qui quoquo modo grati animi specimen præbere cupiat. Dominis autem honor, ac timor debetur, specie tamen ab eo diuersus, qui debetur beneficiis; hic enim voluntarius est, ille coactus. Etenim quo ad dominum attinet, illum timemus, ne nos lædat; quo vero ad beneficium, ne nos imprudenter eum lædamus, & illi parum satisfaciamus. Qui timores, licet extrinsecus nihil differant, intrinsecus tamen valde diuersi sunt; cum domini præsentia horrorem incutiat; beneficii autem aspectus exhilaret. Porro societatis signum, amoris etiam signum est, cum res inter pares agitur. Idcirco socios salutantes, læti, ridentesque excipimus. At inter dispares congruum est, ut minor, non amorem tantum, sed & suam humilitatem, & alterius excellentiam significet. Quamobrem non salutatione sola, sed honore etiam opus est, ut capitis apertione, genuflexione, aut similibus. Verum, qui se in societate minorem agnoscit, & confitetur, necessario alterum in se munificum fuisse ostendit, quo sit, ut, qui in societate maior est, sit etiam beneficus. Ei vero, qui potestate

tate præditus est, obedientia debetur; ita vt exterioribus signis cogamur ostendere, nos primùm huiusmodi hominem diligere, deinde vt superiorem agnoscere, postremo vt præditum iubendi auctoritate vereri. Tales ergo sunt reuerendi, ita vt reuerentia sit signum amoris, inferioritatis, vel gratitudinis, & vnà metus, & obedientiæ. Quæ omnia qui in congressibus aptius, & dexterius declarare possunt, vt aulici, elegantiores, & amabiliores habentur; ita vt prope retulisse gratiam videantur. Nam præterquam quod huiusmodi signis, gratus animus reuerentis exprimitur; reuerendi quoque auctoritas, & beneficentia cunctis indicatur. Reuerentia igitur in reuerendo, testatur amorem, excellentiam, & potestatem. In reuerente autem, cum amore, gratitudinem, & inferioritatem, seu inferioritatis, obedientiæ, & seruitutis confessionem, quibus quidem plures actus, motusue reales non reperiuntur. Itaque qui reuerendum non reueretur, primùm boni socij officio deest, cum amorem ei debitum neget; deinde grati, cum beneficium erga se non agnoscat; præterea boni serui, cum debitam domino obedientiam subtrahat. Apparet autem reuerentiæ imminutio, cum non paret, vel honorem non habet, vel non sponte, sed inuitus, vel ostendit se non putare eius sibi profuturum imperium. Reuerendi igitur non socij tantum, sed & benefici, & domini habendi sunt; non huic, aut illi, sed simpliciter; ac si quando egeant, omnibus bonis dignissimi sunt existimandi. Huiusmodi autem sunt parentes, patria, & boni Principes; quique his auctoritate sunt propiores. Nam benefici qui potestate carent, non reuerendi, sed tantummodo honorandi sunt, socij verò dumtaxat cari, dilectique habendi. At reuerendis ipsi quidem reuerentes, non secus, ac filij cordi esse debent, & sua ipsorum causa corrigendi sunt, ac cogendi, si sit opus, beneficia accipere; illi contra non solum parere, metuerre, honorare (sicuti dictum est) ac diligere debent, verum etiam obseruare. Est autem obseruare, aliorum actiones accurate inspicere, vt eis similes in agendo esse, eosque imitari possimus. Nam illi obseruandi sunt, qui in suis actibus prudenter se gerunt, & non aberrant. Et obseruatio videtur motus, quo habitus imitandi acquiritur, qui motus reuerentiæ annexus est. Vt enim facilius cognoscimus, vel probamus aliquid proportionem, quàm ex principijs; ita commodius particulares actus, quàm vniuersales regulas, & præcepta addiscimus. Actus autem reuerendi sunt exempla ad bene viuendum conducentia. Ita vt reuerendi, non solum amandi, honorandi, ac verendi sint, sed etiam obseruandi. Denique ipsis reuerendissimis, omnes omnium societatum perfectiones insunt. Præstat enim socium superiorem, quàm inferiorem esse; beneficium, quàm inopem, dominum, quàm seruum, ad hæc, prudentia, & auctoritate præditum, & obseruantia dignum haberi. Præterea multi diligendi sunt, qui non sunt honorandi; multi honorandi, qui potestate carent; multi potestatem habentes, qui non sunt timendi. Qui verò simul amandi, honorandi, & verendi sunt, proculdubio sunt etiam obseruandi, atque imitandi: hæc tales, & nos esse vellemus. Ac mihi quidem reuerendissimi, iidem atque perfectissimi videntur, hoc autem appositum optimo Principe dignissimum est; sed apparet religiosos antistites illud occupasse, cum tamen religionis causa, augustioribus digni essent, nempe cultu, veneratione, & adoratione, de quibus nunc dicendum videtur.

DE CVLTV, VENERATIONE, ET ADORATIONE.

C A P. III.

DEVM rerum omnium auctorem, ac Dominum esse, nemo
 vmquam sanus negavit: hoc enim homini interius ex ijs, quæ
 apparent mente concipere, & exterius tum verbis, tum qui-
 busdam corporis actibus, motibusque testari, ingenitum est. 10
 Haud autem iniuria hominis animo, hic de summa eius sapien-
 tia, bonitate, & potentia, conceptus innascitur, cum præter
 mundi totius, & cæterorum, quæ in eo continentur opificium, & gubernatio-
 nem, se quoque ipsum, & cuncta quæ habet, quæque sperat bona, diuinæ il-
 lius liberalitati accepta referat. Quamobrem æquum est, vt pro ingentibus
 meritis, summaque auctoritate (quod omnium supremus sit dominus) eum
 immenso amore, & gratitudine, ac simul timore prosequatur. Quem quidem
 interiorum mentis ita compositum; mistumque affectum, ad Dei ipsius gloriam,
 suamque gratitudinem significandam, ijs actibus exterius conatur exprimere,
 qui simul diuinam immensitatem, & suam humilitatem, summamque erga il- 20
 lum obligationem, deuotionemque testatur. Hi autem sunt cultus, venera-
 tio, & adoratio. Qui quidem actus Deo primùm, proprieque conueniunt;
 deinde etiam hominibus, præsertim ijs, qui Dei ministri sunt, eiusdem ministe-
 rij causa. Vt enim plura sunt nomina, quæ ad vnum dicuntur, veluti à Philo-
 sophis ens, à medicis salubre, & à nobis superius alia nonnulla dicta sunt, quæ
 primùm de vno quoque prædicantur, deinde, ipsius causa, de alijs plurimis; ita
 etiam hi sunt, exteriores hominum actus, quibus huiusmodi interiores affectus
 indicari diximus, qui Deo primùm, & proprie, deinde, illius respectu, etiam ho-
 minibus exhibentur. Non solum igitur honoris, gloriæ, & reuerentiæ signis
 hominis dignitas declaratur, sed & ijs longe magis, quæ humana merita exce- 30
 dentia, ad Deum ipsum pertinere videntur, quibus tamen ad maximorum ho-
 minum beneficentiam, præstantiamque demonstrandam, beneficio affecti vt
 solent. Nam colere, venerari, & adorare in eundem fere sensum dicimus.
 Spectare autem primùm, & proprie ad Deum, diuinaque has voces, non so-
 lum auctorum vsus, sed & quarundam ex ijs deriuatio ostendit. Cultum enim
 Deo ab omnibus tribui, manifestum est. Adorare autem ab adoro deducunt,
 frumenti genere, quo in sacris veteres utebantur. Venerari verò dicunt, qua-
 si veniam orare, quorum vtrumque ad Deum pertinet, & eius causa, ad sum-
 mos sacerdotes, atque Pontifices, quos vt præcipuos Dei ministros, tam cor-
 poris gestu, quàm verbis summis honoribus prosequimur, eosque colendos, & 40
 venerandos, aut venerabiles dicimus. Cum autem cultus, veneratio, & ado-
 ratio, exteriora signa sint, conceptus, affectusue, qui in animo latent aperien-
 rentia; licet eodem penitus gestu fiant, tamen longe diuersum conceptum,
 affectumque animi exprimunt, & significant, cum Deo ipsi, ac cum eius respec-
 tu hominibus exhibentur. Deo enim exhibiti illum supremum esse omnium
 auctorem, Dominumque testantur; hominibus verò, eos Dei ministros esse, &
 virtute, ac dignitate cæteris hominibus antere significant, & ijs quasi Deos
 quosdã sua eximia auctoritate, ac beneficentia esse. Quippe qui absolute be-
 nefici, & diuina ferenatura non humana sint præditi. Vnde apparet, quanta
 probitate, quàmque egregia virtute, decoratos esse eos oporteat, qui diui- 50
 nis etiam honoribus digni habentur, & quasi dij quidam coluntur in terris,
 quantaque necessitas eisdem incumbat ea agendi, quæ Deum quemdam dece-
 re quo-

re quodammodo videantur; præsertim cum ab ijs omnium suarum actionum ratio, non hominibus tantum, sed Deo ipsi reddenda sit, quem existimare par est, in quos benignior pater, ac munificentior fuerit, in eosdem seueriorem, grauioremque iudicem fore. His igitur meritò post Deum, & ipsius causa, summus honor, reuerentiaque debetur. Non enim aliquando, & in quibusdam, sed semper, atque in omnibus, & in maximis maxime profunt; qualis simpliciter, & exacte est Deus. Hac ergo ratione homines Deum sequentes nõ solum honorandi, & reuerendi, sed & colendi, venerandique redduntur, cum erga cæteros homines summa, & assidua beneficentia, & humanitate vtantur. Nam

20 sanctitatis appellatio, quæ summo Pontifici tribuitur, non in operationibus tantum erga homines consideratur; verum etiam, ex animi propensione erga Deum, videlicet cordis puritate, summi numinis amore, reuerentia, & obedientia. Quæ tamen omnia, nulla alia re significari apertius possunt, quàm de ipsis hominibus bene merendo. Nihil enim ab homine Deum exactius postulare credendum est (cum nullius omnino sit rei indigus) quàm vt ipsum imitetur; diuinam, quam ei indidit imaginem, & humanitatem exerceat, eique similis fiat; nimirum pro suæ naturæ captu perfectus: hoc autem fit, tum Deum ipsum sincere colendo, tum cæteros homines diligendo, eosque iuando; ita vt in cunctis, non humanitati dumtaxat, verum etiam diuinæ voluntati satisfiat, cuius opera omnes ad beatitudinem, tamquam ad finem humanæ naturæ proprium, geniti sumus. Summus ergo Pontifex, cum propius cunctis ad Deum accedat, & eius vicem gerens diuina fungatur in terris auctoritate, tam præceptis, quàm vitæ institutione, & exemplis, non solum dux fit hominibus ad æternam beatitudinem, sed ad eam consequendam adiutor; quo quidem beneficio nullum excogitari ab homine maius, aut diuinius potest; præsertim cum vt à tanta obligatione omnes liberet, præclare, & supra omnem humanitatem seruorum Dei seruum se esse profiteatur, quamuis illius Vicarius sit, & omnium primus minister. A quo tamquam à capite, in vniuersum Ecclesiæ corpus, hoc est in omnem Christianã Remp: spiritus influunt, cælestium gratiarum sensum, fructumque præstantes, & efficacem motum ad sempiternam beatitudinem. Meritò igitur sanctissimus, ac beatissimus dicitur, & à cunctis veram religionem profitentibus, quasi Deus quidam adoratur, & colitur.

DE OPPOSITIS HONORI, AC DIGNITATI.

C A P. IIII.



40 VM verò de honore, cæterisque dignitatem significantibus satis dictum sit, de oppositis quoque nonnulla dicenda videntur, vt ea etiam innotescant, ex quibus vel hominum improbitas declaratur, vel eorum dignitati detrahitur. Opinionem igitur, quam de hoste habemus, honori contrariam esse, superius explicatum est. Dedecus autem decori, quod honorem significat, non contrarie, sed priuatiue opponitur: ei enim qui dedecore, & ignominia affectus est, non vt hosti sumus infensi, sed versari cum eo recusamus, cum nobis de eo insit opinio quod iusta, vel honesta agere nolit. Inter honorem autem, ac dedecus media quædam dispositio est, quæ neutrius est particeps: qui enim nihil agit, cum

50 cessare licet, sibi neque honorem, neque dedecus comparat. At qui lædit immeritum, aut merentem non iuuat, aut promissa non seruat, aut quoquo modo officio deest, dedecore ignominiaque afficitur. Itemque si boni quid, aut mali

mali aggressus est, quod perficere minime possit: vtrumque enim probro datur, sed illud magis, agere boni quid posse, sed nolle. Nam cum honor sit opinio, quod quis sciat, velit, ac possit prodesse; dedecus illi opposita opinio erit; vel omnino, quod nesciat, nolit, aut nequeat, quæ scire, velle, aut posse deberet. Et vt honor est opinio de aliena probitate, & virtute; ita dedecus, de aliena malitia, & vitio; & quod quidpiam iniustum; aut inhonestum, fecerit, dixerit, aut meditatus sit. *Dedecorant enim bene nata culpa* (vt ait Horatius) culpa autem est errati causa. Et quoniam ambigentes sæpe bene opinantur, & iudicant, videtur dedecus in quadam cognitione, potius quam in sola de cuiuspiam facinoribus opinione consistere. Nam cum occulta scelera vulgantur, & palam fiunt, dedecorare dicuntur, atque vnà pudori esse ei, qui illa admisit. Proinde à nostris dedecus, pudor appellatur, quæ in re lucidius patet, quod superius de honore dicebamus, nimirum illum, non hominum commentum, sed humanæ naturæ proprium esse. Vt enim ex probis aliorum operationibus, de eorum probitate, & virtute gignitur in nobis opinio, qui eorum est honor; ita ex flagitijs, opposita opinio de improbitate, & malitia, quod eorum est dedecus, & ignominia. Pudor verò in eo ipso est, qui flagitia illa admisit. Etenim eadem turpis actio, quæ in alijs opinionem gignit, quæ dicitur dedecus, in agentis animo, gignit affectum, cuius vi, sanguis e corde ad superficiem fusus, ipsius faciem velat, quasi eum à cæterorum hominum subtrahere aspectu contendat, qui humanitatem deseruit. Is autem motus in ijs potissimum apparet, qui humanitatem exercere consueuerunt; sed aliquo errore, vel affectu impulsus à recta semita abducuntur. Nam qui humanam naturam exuerunt, eaque nihil aut parum mouentur, impudentes redduntur: neque enim pudorem vllum sentiunt, aut agnoscunt, quem nobis natura indidit; vt metu infamiae humanum animum ad honestatem formatum, à turpiter agendo reuocaret. Itaque dedecus, siue opinio sit, siue de aliena indignitate cognitio quædam; cunctis fere honoris speciebus aduersari videtur, eiusque effectus ijs, qui honorem sequuntur effectibus sunt oppositi. Nam & societatem impedit non contractam, & eam dirimit, quæ contracta est, sociique benevolentia, & commodis omnibus priuat, quæ ab eo proueniebant; quippe quod dignitatem extinguat, vel extinctam indicet, cuius impulsu ad beneficentiam inuitabatur. Probrum autem, atque opprobrium dedecori eadem videntur, cum honori contrariam opinionem significant. Gloriæ verò, cæterisque opinionibus de summa virtute, nullum oppositum nomen habemus, quo significetur de eximia improbitate opinio, qualis tyrannica impietas, & feritas, ac sæuitia est. Nam infamia, famæ opponitur in bonam partem acceptæ, itemque ignominia; cum nomen etiã pro fama sumatur. Vituperium autem, & contumelia laudi opponuntur. Signa verò dedecoris, & opprobrij, parum discrepant à signis, quibus contemptus, & ludibrium significatur.

DE CONTEMPTU.

CAP. V.



VE M A D M O D V M in superioribus demonstratum est, honorem, tum opinionem esse de aliena virtute, & dignitate, tum etiam significationem ipsius opinionis; ita etiam contemptus, est opinio, non de alieno vitio (hoc enim ad dedecus pertinet) sed de alienæ virtutis, ac dignitatis defectu, & vnâ opinionis huiusmodi significatio. Nam opinio quod quis sit iustus, & studiosus, est honor, quod

quòd iniustus, & vitiosus, dedecus, & ignominia; quòd autem decipiatur, & putet se posse quæ non potest, aut scire quæ nescit, tam proprii commodi causa, quàm alieni, non malitia, sed ingenij tantum hebetudine, & tarditate adductus, contemptus est. Qui igitur est ineptus ad bona conferenda, vt in vniuersum dicamus, tum demum contemnendus videtur, cum societatem cupit inire, & se posse, & scire autumat, & omnino vult bona tradere, sed vel ipsis bonis, vel tradendi scientia caret. Nam si societatem non quærit, & se nescire, vel ege re cognoscit, aut gratis petit, non est contemnendus. Cum enim honorem in proportione voluntatis ad vires consistere dictum sit, qui ea vult, quæ assequi ne quit, virtute careat oportet, à qua ea proportio pendet. Nam cum virtus sit aliquo modo principium recte assequendi finem, illum autem non assequatur, qui ea non cognoscit, quæ ad ipsius assecutionem sunt necessaria; consentaneus est, eum, qui suas vires non meretur, nec perceptas habet, finem non assequi, & virtute destitutum esse, & ex consequenti honore, ac dignitate carere. Ita vt contemptus sit indignitatis mēsurā quædā; non tamen quòd poena dignus sit, qui contemnitur: nam dedecus opinio est de prauitate, idemque de indignitate, vel etiam de dignitate poenæ; nempe quod quis vitiorum, & scelerum causa poena dignus, & malis sit, aut indignus bonis. Irrisio autem nihil aliud est, quàm contemptus cum risu, qui quidem tunc excitatur, cum quempiam magna perefalli videmus, & vel in minimis ineptum esse, quæ contraria admirationi videtur. Etenim, vt in latitudine earum opinionum, quæ de ijs habentur, qui benefici, & digni sunt, ea est, quàm de ijs habemus, quorum vires, & scientia expectationem hominum, & mediocritatem plurimum excedunt, quæ admirationem parit, ita in latitudine earum, quæ ijs opponuntur, ea est, quàm de ijs habemus, qui viribus, & scientia valde infra mediocritatem consistunt, quæ risum excitat. Honori igitur contemptus, & irrisio aduersatur, non tamen in cunctis agendi principijs, quæ quidem ad honorem concurrunt. At in eo, qui contemnendus est, scientia prorsus, & vires desunt; voluntas autem adest, quamquam inefficax; cum inani, falsæque de proprijs viribus opinioni sit coniuncta, quæ frustra conantem ridiculum reddunt, & despiciendum. Vt autem honor aliena opinio est ad commodum honorati, ita contemptus ad damnum, atque incommodum eius, qui contemnitur: qui enim contemnit nocet: nam societatem impedit, & honorem aufert, ac dignitatem. Quo fit, vt contempti in ijs, quæ plurimi faciunt, maximè irascantur: vt cum contemnitur artifex in sua arte: nam priuatur auctoritate, commodisque omnibus, quæ ab illa proueniunt. Siquidem vt honore prosequi probare est, ac laudare, ita contemnere est improbare, ac vituperare; & interdum deterius, cum plerumque ea improbantur, ac vituperentur, quibus ad perfectionem nonnulla desunt: ea contemnantur, quibus omnia; quippe quæ nihili penitus sint facienda. Itaque contemptu oēs honoris effectibus contrarij effectus sequuntur. Et licet cunctis honoris speciebus oppositus sit, præcipue tamē eius opinio, & significatio, illi honoris speciei contraria videtur, quæ à nobis supra hominis æstimatio dicta est: præterea illi, quæ virium ad voluntatē, est symmetria. Differt autē à dedecore, quòd dedecus, vt plurimū est bona cognoscere, & agere posse, sed nolle; contemptus, nec scire, nec posse, sed tamē velle. Illi igitur voluntas deest, vires adsunt, huic vires desunt, voluntas adest, vel potius conatus irritus: nō. n. cognoscit deesse vires; at ille cognoscit, præter voluntatē, adesse cætera. Ad hæc, dedecus est: tantū circa personas, quo hoīe appellamus homines, conditionū capaces; contemptus verò etiā circa personarū actiones, & opera, quibus dicta quoq; , ac cogitationes comprehendimus. Non enim minùs contemnimus orationem ineptam, quàm oratorem; neque imperfectum calceum, quàm sutorem: flagitia verò, & scelera non dedecore, & probro afficimus, sed agentibus probro, & vitio vertimus. Verum, cum de honore eiusque

eiusque congenis, quibus hominum dignitas declaratur, & de oppositis, quibus illa, aut imminuitur, aut aboletur satis dictum sit; nunc ad dignitatum inter se comparationes accessuri, prius de Fide, quam honori eandem re esse, ratione tamen differre ostendimus, nonnulla dicemus, quæ tum nihilo illis minus, quæ hæcenus exposita sunt in rebus agendis exiguntur, tum ad ipsam dignitatem acquirendam, & conseruandam fortasse magis, quàm cætera omnia sunt necessaria.

D E F I D E C A P. V I.



QUOD igitur ciuilis fides cū honore eadē re ipsa opinio fit, facile hinc patere potest: nam cum societate inter se ineunt homines, necesse est vt vterque alterum opinetur scire, velle, & posse prodesse, vel communis boni causa agere, vel omnino promissa seruare; alioqui numquam conuenient. Hæc autem opinio vtriusque socij commodum respicit; videlicet tam eius, de quo habetur, quàm eius, qui habet, & inter eos reciproca est. Aegrotantis enim opinio, quod eum medicus sanare sciat, possit, & velit, medici est honor; quod ipse incolumitati ab eo restituetur aegrotantis fides. Contra, medici opinio, quod aegrotans sciat, possit, ac velit officio suo satisfacere, & sananti præmium soluere, aegrotantis est honor; quod verò ipse præmium feret, est medici fides: & in cæteris eodem modo. Vnde apparet in societate contrahenda, honore; fideque opus esse; honore quidem, vt cognita socij dignitate, pro eius commodo occupemur; fide autem, vt credamus eum pro nostro debere occupari. Atque hæc primùm in societate iuridical reperiantur, deinde proportione quadam in alijs. Quærit enim quis bona aliena ope, & auxilio assequi; at hoc minime succedet, nisi habeatur dignus; dignus verò non habebitur sine honore, cū idē penitus sit, ab aliquo bonis dignū haberi, & ei in honore esse; honorē aut sine fide frustra inquirat, & deniq; fidē sine virtute, cum hæc omnia (vt diximus) in eadē serie, & quasi cognatione sint, & ab eodem principio pendeant, eundemq; fere finē spectent. Quo fit, vt ita inter se coniungantur, vt disungi vix queant; de vno sermo fieri possit, quin simul & nec de cæteris fiat. Itaque cum eadem opinio, non minus honori, quàm fidei inseruiat, idem re esse, mirum non est; licet, cum ad diuersa referantur, aliquo modo differant. Semper tamen sibi respondent, seque, inuicem consequuntur. Nam qui quempiam iudicat scire, posse, & velle, quæ ad commune commodum pertinent, eum facile in societatem admittit, & modo aliquid non impedit, aut opinio falsa non fuerit, semper inde sequitur boni quippiam vtrique commune. Quamobrem quilibet eadem opera fidei satisfacit, & honorem seruat; ac qui sibi socium adiungit, illius commodum, & suum cupit: qua igitur suum cupit, eique credit, fidem habet; qua verò illius, honorem. Itaque honor in causa est, vt alij nostram societatem cupiant ad nostrum commodum, fides, vt ad suum: eademque opinio vtrique appetitui satisfacit. Vulgo autem homines fidem parui facere videntur, honorem plurimi; sed honorem tueri nullo modo possunt, quin fidem tueantur, neque eam violent. Ex fide verò spes oritur quæ aut venturi boni opinio est, aut aliquid ei valde annexum. At honor non ex fide oritur, sed vnà cum illa ex virtute, quæ cōmunis vtriusq; est mater. Cum autem fidei oppositum nomine vacet, eius loco timoris nomine vtimur, qui proprie non fidei, sed spei opponitur. Nam oppositum fidei opinio est, secundum quam nocituros nobis alios existimamus, quæ prorsus cum timore coincidit. Quamquam verò virtus, tam honorem, quàm fidem parit, nihilominus (vt dictum est) honor proprie de dignitate opinio, & dignitatis mensura est. Fides autem

autem est de virtute opinio, & mensura virtutis. Vt enim honor dignitatem metiens, adtribuendum digno pro ea mensura impellit, ita fides virtutem metiens, ad sperandum, ac sumendum à studioso pro mensura virtutis illius adducit.

SOLVTIONES DVBITATIONVM QVARVM DAM
de fide, quod non sit opinio. C A P. VII.


70 **T** verò dubitare quis posset, fidem nullo modo opinionem esse, cum opinio vera, vel falsa dicatur, fides autem neque vera, neque falsa, sed certa, vel incerta, vana, vel solida. Præterea fides dari, & accipi ab hominibus dicitur, vt apud Poetam. *Accipe, daque fidem.* Quæ opinioni repugnant, cum nec dari, nec accipi possit, sed referri; velut etiam fidei deesse, opinioni verò nequaquam. Ad hæc, fidem rumpere, vel frangere dicimus, aliaque huiusmodi, quæ opinioni minime congruunt; ex quibus inferri potest, fidei genus opinionem non esse. Verum diligentius consideranti, contrarium apparet. Primum enim fides, quæ opinio, est vera, vel falsa, at quæ promissa seruantur, vel non seruantur, & res traduntur, vel non traduntur, est vana, vel solida, certa, vel dubia. Deinde opinio mea de te, quod promissa seruaturus sis, tuus est honor; promissa autem seruare non potes, nisi scias possis, & velis. Ac voluntas quidem adest, quoniam in promissis continetur; cum tuum promissum sit obligatio tuæ voluntatis, pro collatione boni ad meum commodum, cum quid te rogo. Est etiam animi determinatio, & voluntatis, secundum voluntatem, & assensum rogantis; cum enim is, cui promittitur non assentitur, non videtur promissum; & cum promittimus quidpiam, nobis aliud necessariò repromittitur. Est igitur honor tuus (vt dictum est) mea opinio, quod præstabis promissa, vel si promitteres, præstares: hoc autem ad inuendam societatem, illud ad conseruandam confert; atque etiam ad quamcumque concordiam: nam & hostes, cum promissa seruatum iri existimant, paciscuntur. Fides autem tua non solum opinio est, quod ego tibi promissa sim præstaturus; verum etiam tuæ voluntatis determinatio est, ad promissa mihi præstanda; quæ quidem determinatio, honori, & fidei communis est, cum re non differat (vt iam diximus) quæ enim promissa seruare statuis, vt tuæ dignitati consulas, honor; quæ verò vt mihi prospicias, fides dicitur. Quod ita esse argumento est, quod cum promissis non stas, ego meum incòmodum inde acceptum respiciens; perfidum te, vel fidei desertorem appello, notam autem ignominiaè spectans, quæ tibi ex eodem actu inuritur, te tuum honorem neglexisse affirmo: nam simul, & fidem violas, & honorem amittis. Verum vt honor, tam honorantis opinio est, quàm eiusdem opinionis signum; ita & fides, tam fidentis opinio, quàm eius opinionis signum est. Nam quidam dexteraè pollicem, quidam indicem, nonnulli etiam totam manum tollentes, vel pectori admouentes, vel socio porrigentes, suam appellant fidem, eamque dicunt dare se alteri, & vicissim ab altero eadem ratione accipere. Hoc autem indicium videtur reponendi actiua principia, suamque potentia, quæ (vt superius dictum est) manu significatur, in illius manu, & potestate, cui fides datur; vel sumendi ea, quæ illius sunt, cuius fides accipitur. Itaque fides in eo, qui confidit, est opinio, quod is, cui fidit, absq; vlla dubitatione promissa præstabit; in eo verò, cui fides habetur, voluntatis determinatio est ad promissa præstanda, quæ tū dari, tū accipi potest; præsertim per exteriora signa, 40 quib. indicatur: licet opinio nec dari, nec accipi possit; vt recte dubitatū, & obiectum est. Ad hæc, ille cui fides habetur, tum fidei deest, vel eam deserit, cum ab ea voluntatis determinatione discedit, & promissis non stando, se deserere 50 illam

illam testatur. Postremò, cum inter promittentem, & eum, cui promittitur, quædam obligatio, & voluntatis religatio intercedat: suam enim voluntatem promittens obligat, & quasi vinculo, & nodo quodam deuincit, atque connectit cum eius voluntate, cui obligatur; dum promissa præstat, vel facta promissis æquat, fidei satisfacere, & obligationem soluere dicitur, quasi quemdam animi nodum, ac vinculum soluat; neque illi præterea, cui obligatus fuerat, ob id teneatur, cum iure satisfecerit. Cum verò promissis non stat, obligationem, & nodum neutiquam soluit, sed lacerat; quod alij fidem ipsam rumpere, quasi laqueum quemdam, aut ansam; alij frangere dicunt, quasi contritu facilem, vt si ex vitro, aliaue huiuscemodi materia constet. Quæres, si quis me moneat, ne tibi fidem habeam, quod dignum te esse neget, cui credi debeat, quem nostrum irasci æquum sit; te ne, cui fides videtur adimi; an me, qui commodum amitto, quod ex ea fide eram percepturus? Atqui dubium non est, te potius irasci conuenire; non tamen quòd tibi fides, sed quòd honor aufertur. Ego verò, cum me ea monitione beneficio affici credam; non irascar, nisi eum mendacem esse intelligam, vel tu mihi amicus sis, cuius me beneuolentia priuare ille niteretur. Immediate enim nos lædit, qui nobis honorem aufert; mediate verò, qui aufert fidem, & operam dat, ne nobis credatur. Verùm etiam immediate nos lædit, qui nos impedit ei fidem habere, qui nobis emolumento esse potuisset. Atque hæc de fide sufficient; nunc ad dignitatum inter se comparationes veniendum est.

FINIS LIBRI DECIMIQUARTI.



ADOARDYS



AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Decimus quintus.



DE MAIORI DIGNITATE, SIVE DE
excellencia, & Principatu. CAP. I.



VID sit dignitas, & quocumque, & quibus modis ab hominibus comparari, & amitti possit, in superioribus dictum est, Verum cum necessarium sit ei, qui est beneficia collaturus, ex pluribus, qui illa accepturi offeruntur, nosse quis dignior sit iudicandus, ne in eorum collatione fallatur, & desinat eius actiones honestae esse; ac praeterea ne posthabitis detur iustae querimoniae locus, & seditio in rep: excitetur; idcirco nunc

40

de digniori, ac praestantiori agendum videitur. Quod quidem penitus idem censemus, ac de excellentia, & principatu agere. Nam qui in rep: excellere quaerit, aut se socio anteferri postulat, eo digniorem, ac praestantiorem se habendum contendit. Enim vero post hominum memoria, apud omnes gentes, non legimus solum, sed & ipsi audiimus, ac vidimus saepe graves, & periculosas de principatu controuersias ortas esse. Neque id omnino ab re; primum, quonia ubi multitudo est hominum, vitandi tumultus, & confusionis causa, ordinem inter eos esse necesse est. Nam licet summa caeteris in rebus statuatur aequalitas, tamen tum procerum, ac magistratum, tum sexus, aetatis, & graduum cognationis, quaedam habere rationem oportet; alioqui a brutorum gregibus, aut armentis, ciuiles societates nihil different. Deinde quoniam excellendi libido, multas fortasse animan-

D d tium

tium species comitatur; ab humana certe natura diuelli non potest. Eam autem animis nostris frustra ingenitam existimare non decet; præsertim cum aperte conferre ad plurima intelligamus; ut in cunctis hominum societatibus, & concordijs patet. Etenim si nobis iuridica societas cum altero ineunda sit, aut beneficium, & commodum conferendum, aut gratia habenda; ex pluribus, qui offeruntur, eum, qui dignitate, meritisque excellat præferemus. Sic etiam inter dominos excellit mitior; inter solitarios, ad societatem aptior; inter hostes, qui minus nocuit. Ex his igitur, quid excellentia conferat, manifestum est. Verum de ipsa excellendi ratione, tam varia hominum iudicia sunt, ut nihil omnino maiori admiratione, vel risu potius dignum inuenias, quam si consideres, quantum in ea re omnes, vel plurimi decipiantur. Nonnulli enim se cæteris anteferri æquum putant, si cunctas prorsus perpetiantur iniurias; alij, si nullam ferant, sed leuiter etiam lacescentes grauissimè viciscantur. Ut nuper, qui in singulari certamine plures ciues interemisset cunctis penitus antefere, & beatissimè propemodum annumerari videbatur. Alij si castissimè degant; alij verò eo magis se excellere censent, quo pluribus mulieribus consueuerint; alij si in pecunijs corrogandis excedant; alij si in largiendis. Denique omnes, si ijs, quibus delectantur, cæteros superant, meritò excellere se arbitrantur. Qui enim summum bonum in crapulis, ac libidinibus ponunt; non iniuria se excellere putant, si alios in iurgitatione, & stupris exsuperent; & ijs, qui in huiusmodi certaminibus vincunt, sponte concedunt. Qui in diuitiarum magnitudine; eos admirantur, qui sunt ditissimi. Qui in sonis, & cantibus; eos, qui in illis præstant, cunctis anteponunt. Neque verò solum in ijs præferendis, & in excellentia iudicanda aberrant homines; sed & in bonis, atque honoribus distribuendis, & in vitæ genere deligendo idem iudicium sequuntur. Nam, qui illum foelicem ducit, qui cæteros bibendo vincit, cum eum necessariò excellere inter homines autumet; illum maximis bonis, & honoribus dignum putat: cumque omnes ad diligendam, quærendamque excellentiam rapiamur; cogimur ea appetere, in quibus illam reperiri censemus, eosque æmulari, qui in ijs vincunt, & ad eorum mores nostros componere. Sanè verò, si ijs, qui iniurias acriter persequuntur, irascibilis facultas sola inesset, laude profectò digni essent habendi, quòd secundum eam facultatem, quam illis natura vnicam tribuisset, perfecti euadere niterentur. Eademque ratione, qui vino, & veneri totos se dedunt, si sola concupiscibili præditi essent; atque item, qui vtraque tantummodo pollerent, iure vituperandi non viderentur, si vtriusque actiones quàm maxime possent exercere, & in ijs locatam excellentiam existimarent. At homo, cui præ cæteris facultatibus, & vnà cum cæteris, indita ratio est, qua sola est homo, quaque sola suam perfectionem, & foelicitatem consequi potest; si eam vnà ociosam dimittit, ac negligit, & reliquis subijci finit; non animaduertit, se humanæ naturæ diuinitatis cuiusdam participi, brutorum naturam anteferre; & dum cæteris hominibus antecellere conatur, à brutis ipsis, quæ sensitiuæ potestatis viribus plurimum præstant, longè superari. Ab homine igitur, humana, non ferina quædam excellentia quærenda est; & principatus inter homines ab nulla alia facultate, quàm rationali, & ab humanitate ipsa petendus. Quod tamen non, ea claudicante, & sensui deseruiente, tentandum est; ut qui pecunias, & alia, quæ diximus impotentius appetunt; sed valida, & exulta: veris enim illius principijs innixi, ad veram hominis inter homines dignitatem, atque excellentiam, ad quam aspirare omnes videmur, sunt peruenturi; & ex iisdem principijs eos quoque dignoscere poterunt, qui ad id fastigium iam peruenere, & inter

& inter huius laudis competitores, non penitus alienam, aut iniquam sententiam ferre. At enim existimare quis posset, nos (vt aiunt) actam rem agere: nam iurifconsultorum hanc curam esse, eosque in huiusmodi controuersijs componendis, præsertim inter Principes, & magnæ authoritatis viros, assidue occupari, & suis responsis, huic vel illi aduocatos adesse, & principatum adiudicare. Quæ quidem omnibus sunt explorata. Verùm acrius examinanti apparebit, hanc disceptationem nihilo magis ad iuris prudentiam pertinere, quàm ea, quæ de virtutibus, deque dignitate, & honore superius à nobis exposita sunt, quæ ad ciuilem philosophum spectare, nemo non videt. Sed cum hanc ciuilem facultatis particulam philosophi hætenus incultam, desertamque reliquerint, & quasi agrum sterilem, cultuique ineptum neglexerint; iuris consulti, tamquam in vacuam possessionem ingressi, eam colere conati sunt. Verùm principijs, atque instrumentis ad eam rem aptis destituti, licet egregiam operam nauauerint, parum tamen promouere potuerunt: eam enim dumtaxat partem elaborarunt, quæ ab ipsis ad Possessorium pertinere dicitur, quæ iuris limitibus continetur, quos transgredi iurifconsulto non licet; cum illius, ac iuridicæ societatis sint fines. *Neque enim* (vt ait Apelles) *futor ultra crepidam*. De ea autem parte agere non potuerunt, quæ ad Petitorium attinet, in qua Principatus, & excellentiæ causæ sunt diligenter examinandæ. Quam ad rem speculatio de honestate necessariâ est, quæ beneficæ societatis, & Philosophi ciuilem est opus.

DE MAIORIS DIGNITATIS, ET EXCELLENTIÆ
causis. CAP. I I.



NONIAM igitur illum ex meritis dignum esse iam, diximus, qui iuuat remp. vel eius partes, aut iuuat actu, vel potestate, eum profecto qui iuuando superauit, aut superat, aut etiam superare potest; eo, qui superetur digniorem esse dicemus. Cum autem iuuenus agendo; ad omnem verò actionem, cognitio, appetitio, & potentia requiratur, vel scire, velle; & posse, quæ (vt dictum est) sunt agendi principia: nam sine his agere, vt par est hominem, nullo modo licet: cognitio enim ad intellectum refertur, appetitio ad voluntatem; potentia, ad corporis, & externa bona, quibus remouentur impedimenta, & quæ ad opus necessaria sunt suggeruntur; qui horum quopiam, vel pluribus alterum superat, procul dubio expeditius aget, ad reip. commodum, & magis proderit, vel prodesse poterit. Quamobrem altero dignior censendus erit; quippe cum in ea re omnis excellentiæ, & Principatus ratio in ciuili societate consistat. Recte enim Aristoteles *illum minimè in rep. honorari asserit, qui nihil boni reip. præstat; cum id quod publicum est, ei tribuatur, qui in reip. beneficia confert.* Idemque affirmat, *beneficentiam agendi gratia; ciuilem esse societatem, non autem gratia simul viuendi: propterea, qui cumque ad huiusmodi societatem plus conferunt, ijs plus iuris in ciuitate competere, quàm ijs, qui libertate, ac etiam genere pares sunt, vel maiores, sed virtute ciuili sunt impares; & quàm ijs qui diuitijs superant, virtute verò superantur.* Et apud Xenophontem Socrates Glauconem admonens; *pater* (inquit) *si honorari velis, vtilitatem aliquam ciuitati reperire debes.* Scire autem primùm in speculatiuis habitibus consideratur, quæ idcirco scientiæ dicuntur, quòd in sola rerum cognitione occupentur; neque in ijs præterea velle, aut posse locum habet. Deinde in actiuis, cum semper cognitio boni præcedat, appetitionem, vt in prudentia; cunctisque virtutibus. Postmodò etiam in effectiuis, videlicet in artibus, in

Ethic. lib. 8
cap. vii.
Polit. lib.
3. cap. 6.

De Fac. &
dic. Socr.
lib. 3.

quibus scientia determinatur ad operationem, Theoria scilicet ad præxim. Nec sola sufficit: nam etiam experientia quædam in cunctis, & potentia necessaria est, ut opus sequatur. Possit autem in viribus, & fortitudine, & in opibus, ac dominatu consistit; velle vero præsumitur: omnes enim, qui artem profitentur, aut vi quapiam, vel potentia pollent, nisi contrarium constet, eam ad Reip. & civium commodum exercere velle existimantur. Quod in ipsa prudentia, & in ijs virtutibus clarius patet, quarum essentia videtur in iuvandi voluntate reposita esse. Inter hæc autem principia, primum locum voluntas obtinet: nam, quamvis scientia, & potentia adsint, ea tamen deficiente, nihil fit; secundus potentia tribuendus videtur; postremus verò scientia. Nam difficilius est potentiam, quam scientiam comparare. Ac scientia quidem sine potentia, nihil operatur; potentia autem sine scientia, non prohibetur aliquid agere. Præterea potenti non difficile est nancisci aliquem, qui scientiam suggerat; at scienti non tam facile est inueire, qui agendi potentiam subministrat. Qui verò cum scientia voluntatem, aut potentiam coniunctam habent, aut cum voluntate potentiam, aut simul omnes, pluribus nominibus (ut diximus) sunt digniores, & data in cæteris paritate, præcellunt. Verum cum hæc agendi principia, actiua, civilisque vitæ finem, & commodam spectare necessarium sit, quæ ijs indiget, & pro ijs honorem civibus distribuit; non autem contemplatiua, quæ in sola speculatione occupata hæc non curat, sed superflua, & inania ducit; ante omnia considerandum videtur, vtra dignior vita, atque alteri anteferenda sit, actiuane, an contemplatiua. Etenim rationi consentaneum est, eum qui digniorem sequatur, digniorem fore. De ijs autem vitæ generibus nobis sermo est, de quibus ab Aristotele, cæterisque philosophis agitur, quæque homines dum in terris degunt, pro suo arbitratu eligere, & colere possunt, hullo præterea lumine nisi naturali adiuti, ad communem civitatis, reique publicæ utilitatem, & publicum generis humani commodum. Absolutè enim, & simpliciter contemplatiuam actiua præferendam esse non dubitamus.

DE DIGNITATIS INTER AGTIUAM VITAM, 30
& contemplatiuam comparatione. CAP. III.



MAGNAM inter veteres philosophos, de contemplatiua actiuaque vitæ nobilitate, & præstantia, controuersiam fuisse, vtra esset alteri anteferenda; & neutri earum magni nominis aduocatos, & defensores defuisse accepimus. Omnes enim ante Socratem vni cõtemplationi operam dedisse, & re ipsa, potius quam verbis, cõtemplatiuam exulisse, vixi sunt; ipsum autem ætiori ingenij vi, mentisque acumine exiguam utilitatem, ac fructum, qui inde sequeretur, & humanæ naturæ conditionem, finemque spectantem, cõtemplandi diligentiam; ad animi cultum, & ad morum, actio numque studia reuocasse. Quamobrè philosophiã e cœlo in terras deduxisse dictus est; eamque rem non illi solû ætati, sed & cæteris, quæ consecutæ sunt, maxime utilem fuisse, etiã oraculo comprobatû affirmant, à quo omnium sapientissimus iudicatus fertur. Post illum autem Plato, atq. Aristoteles, hic quidè Peripateticorum, ille verò Academicorum princeps, licet verumque studium simul coniungerent; atq. illustrauerint, nihilominus à rati præceptoris semita diuertentes, actiua vitæ cõtemplatiuã lógo interuallo prætulere. At Stoici, & Epicurei, post illorum prope extitæ disciplinas; diu celebres; & vnâ cæteræ philosophantiun sectæ, ab eodem fonte manantes, contrariam fere sententiam sunt secutæ. Verum compluribus ab hinc sæculis, cum Peripateticæ doctrina quas diuinitus restituta, cæteris suo ingenti splendore tenebras offuderit, Aristotelis de hac re opinio, plurimum

rimum præstare alijs credita est. Vtrique nimirum vitæ felicitatem æque finis loco propositam esse, eamque secundum virtutem perfectam esse operationem. Hanc autem perfectam virtutem, in vita actiua prudentiam statuit, nempe habitum cum recta ratione agendi; in contemplatiua verò sapientiam, videlicet habitum superiores causas intelligendi, præcipue primas, quales Intelligentias, Deumque ipsum esse affirmat, quique ab ijs effectus prodeunt. Atque hanc ex intellectu, scientiaque constantem, scientiarum omnium reginam esse; & quo cæteras intellectiuas virtutes nobilitate antecellit, ac præcipue ipsam prudentiam, eo etiam huius finem illius fini anteferri: itaque felicitatem, finemque prudentiæ, boni videlicet adeptionem, hominis esse, quæ est homo; sapientiæ verò felicitatem, ac finem, veri scilicet cognitionem, hominis esse, quæ diuinitatis est particeps. Idcirco actiuam vitam, qua ad eum finem peruenitur, qui in actionibus consistit, humanam esse; contemplatiuam autem, qua ad eum, qui in speculationibus, diuinam, ac propterea longe actiua nobiliorum. Verum qui actiuam vitam in voluntate, veluti actionum domina; contemplatiuam verò in intellectu, vt speculationum principio collocatam esse dixere; tantum hanc vitam illi cedere iudicauerunt, quantum voluntati intellectus cedit, potestati (vt superius dictum est) præstantissimæ, ac fere animæ ipsius gubernatrici. Neque verò aliud existimari potest Aristotelem ad contrarium statuendum adduxisse, quàm quod morales virtutes, tamquam in proprio subiecto, in sensitiuo appetitu, nempe in concupiscibili, & irascibili potestate locauit; quæ tamen (vt suo loco demonstraui) aptius, & congruentius in intellectu

10

30

30

40

50

60

70

80

90

100

110

120

130

140

150

160

170

180

190

200

210

220

230

240

250

260

270

280

290

300

310

320

330

340

350

360

370

380

390

400

410

420

430

440

450

460

470

480

490

500

510

520

530

540

550

560

570

580

590

600

610

620

630

640

650

660

670

680

690

700

710

720

730

740

750

760

770

780

790

800

810

820

830

840

850

860

870

880

890

900

910

920

930

940

950

960

970

980

990

1000

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1100

1110

1120

1130

1140

1150

1160

1170

1180

1190

1200

1210

1220

1230

1240

1250

1260

1270

1280

1290

1300

1310

1320

1330

1340

1350

1360

1370

1380

1390

1400

1410

1420

1430

1440

1450

1460

1470

1480

1490

1500

1510

1520

1530

1540

1550

1560

1570

1580

1590

1600

1610

1620

1630

1640

1650

1660

1670

1680

1690

1700

1710

1720

1730

1740

1750

1760

1770

1780

1790

1800

1810

1820

1830

1840

1850

1860

1870

1880

1890

1900

1910

1920

1930

1940

1950

1960

1970

1980

1990

2000

2010

2020

2030

2040

2050

2060

2070

2080

2090

2100

2110

2120

2130

2140

2150

2160

2170

2180

2190

2200

2210

2220

2230

2240

2250

2260

2270

2280

2290

2300

2310

2320

2330

2340

2350

2360

2370

2380

2390

2400

2410

2420

2430

2440

2450

2460

2470

2480

2490

2500

2510

2520

2530

2540

2550

2560

2570

2580

2590

2600

2610

2620

2630

2640

2650

2660

2670

2680

2690

2700

2710

2720

2730

2740

2750

2760

2770

2780

2790

2800

2810

2820

2830

2840

2850

2860

2870

2880

2890

2900

2910

2920

2930

2940

2950

2960

2970

2980

2990

3000

3010

3020

3030

3040

3050

3060

3070

3080

3090

3100

3110

3120

3130

3140

3150

3160

3170

3180

3190

3200

3210

3220

3230

3240

3250

3260

3270

3280

3290

3300

3310

3320

3330

3340

3350

3360

3370

3380

3390

3400

3410

3420

3430

3440

3450

3460

3470

3480

3490

3500

3510

3520

3530

3540

3550

3560

3570

3580

3590

3600

3610

3620

3630

3640

3650

3660

3670

3680

3690

3700

3710

3720

3730

3740

3750

3760

3770

3780

3790

3800

3810

3820

3830

3840

3850

3860

3870

3880

3890

3900

3910

3920

3930

3940

3950

3960

3970

3980

3990

4000

4010

4020

4030

4040

4050

4060

4070

4080

4090

4100

4110

4120

4130

4140

4150

4160

4170

4180

4190

4200

4210

4220

4230

4240

4250

4260

4270

4280

4290

4300

4310

4320

4330

4340

4350

4360

4370

4380

4390

4400

4410

4420

4430

4440

4450

4460

4470

4480

4490

4500

4510

4520

4530

4540

4550

4560

4570

4580

4590

4600

4610

4620

4630

4640

4650

4660

4670

4680

4690

4700

4710

4720

4730

4740

4750

4760

4770

4780

4790

4800

4810

4820

4830

4840

4850

4860

4870

4880

4890

4900

4910

4920

4930

4940

4950

4960

4970

4980

4990

5000

5010

5020

5030

5040

5050

5060

5070

5080

5090

5100

5110

5120

5130

5140

5150

5160

5170

5180

5190

5200

5210

5220

5230

5240

5250

5260

5270

5280

5290

5300

5310

5320

5330

5340

5350

5360

5370

5380

5390

5400

5410

5420

5430

5440

5450

5460

5470

5480

5490

5500

5510

5520

5530

5540

5550

5560

5570

5580

5590

5600

5610

5620

5630

5640

5650

5660

5670

5680

5690

5700

5710

5720

5730

5740

5750

5760

5770

5780

5790

5800

5810

5820

5830

5840

5850

5860

5870

5880

5890

5900

5910

5920

5930

5940

5950

5960

5970

5980

5990

6000

6010

6020

6030

6040

6050

6060

6070

6080

6090

6100

6110

6120

6130

6140

6150

6160

6170

6180

6190

6200

6210

6220

6230

6240

6250

6260

6270

6280

6290

6300

6310

6320

6330

6340

6350

6360

6370

6380

6390

6400

6410

6420

6430

6440

6450

6460

6470

6480

6490

6500

6510

6520

6530

6540

6550

6560

6570

6580

6590

6600

6610

6620

6630

6640

6650

6660

6670

6680

6690

6700

6710

6720

6730

6740

6750

6760

6770

6780

6790

6800

6810

6820

6830

6840

6850

6860

6870

6880

6890

6900

6910

6920

6930

6940

6950

6960

6970

6980

6990

7000

7010

7020

7030

7040

7050

7060

7070

7080

7090

7100

7110

7120

7130

7140

7150

7160

7170

7180

7190

7200

7210

7220

7230

7240

7250

7260

7270

7280

7290

7300

7310

7320

7330

7340

7350

7360

7370

7380

7390

7400

7410

7420

7430

7440

7450

7460

7470

7480

7490

7500

7510

7520

7530

7540

7550

7560

7570

7580

7590

7600

7610

7620

7630

7640

7650

7660

7670

7680

7690

7700

7710

7720

7730

7740

7750

7760

7770

7780

7790

7800

7810

7820

7830

7840

7850

7860

7870

7880

7890

7900

7910

7920

7930

7940

7950

7960

7970

7980

7990

8000

8010

8020

8030

8040

8050

8060

8070

8080

8090

8100

8110

8120

8130

8140

8150

8160

8170

8180

8190

8200

8210

8220

8230

8240

8250

8260

8270

8280

8290

8300

8310

8320

8330

8340

8350

8360

8370

8380

8390

8400

8410

8420

8430

8440

8450

8460

8470

8480

8490

8500

8510

8520

8530

8540

8550

8560

8570

8580

8590

8600

8610

8620

8630

8640

8650

8660

8670

8680

8690

8700

8710

8720

8730

8740

8750

8760

8770

8780

8790

8800

8810

8820

8830

8840

8850

8860

8870

8880

8890

8900

8910

8920

8930

8940

8950

8960

8970

8980

8990

9000

9010

9020

9030

9040

9050

9060

9070

9080

9090

9100

9110

9120

9130

9140

9150

9160

9170

9180

9190

9200

9210

9220

9230

9240

9250

9260

9270

9280

9290

9300

9310

9320

9330

9340

9350

9360

9370

9380

9390

9400

9410

9420

9430

9440

9450

9460

9470

9480

9490

9500

9510

9520

9530

9540

9550

9560

9570

9580

9590

9600

9610

9620

9630

9640

9650

9660

9670

9680

9690

9700

9710

9720

9730

9740

9750

9760

9770

9780

9790

9800

9810

9820

9830

9840

9850

9860

9870

9880

9890

9900

9910

9920

9930

9940

9950

9960

9970

9980

9990

10000

Verum eiusdem sententia est, immensæ illius Maiestatis substantiam cognosci ab homine nullo modo posse. Atque tamen eodem reuoluitur; nimirum sapientiam (quæ nihil fere aliud pollicetur, quàm primarum causarum cognitio nem) diuinam esse virtutem, nostramque veram felicitatem ab ea provenire; quamvis illius ope nihil demum aliud consequamur, quàm nonnullas tanti numinis proprietates; nempe Deum primum esse motorem, immobilem, æternum, ab eoque rerum omnium essentiam, conseruationemque pendere. Magnas quidem illas, quis neget? quarum tamen cognitio fere cuiilibet ingenta est, qui Deum animo concipiat, vt perfectam substantiam, & primum totius esse principium. Neque verò quisquam futurus est, qui non magnopore admiretur, vel fortasse rideat, si intelligat, quàm parum, eximij philosophi communem hominum de Deo, diuinisque rebus cognitionem transcendant; quandoquidem ipsimet fateantur, quidnam Deus sit, se nequaquam posse comprehendere, sed tantummodo quid non sit: cum enim omnium rerum sit causa, quas cognoscunt, necessarium est eum quiddam à suis effectibus diuersum esse, quod non cognoscunt. Quamobrem lucidissime apparet, philosophicæ speculationis, nostrique intellectus naturalis infirmitas. Neque difficile est perspicere, postquam is, qui nos quales sumus condidit, nullum præterea aliud naturale instrumentum nobis largitus est, quo ipsum opificem, cæteraque intelligentias, & causas superiores cognosceremus, quàm intellectum tam inualidum; illum eas à nobis exacte cognosci, minime voluisse. Neque igitur nos ad eum finem genitos esse censendum est, vt naturali lumine eas contemplemur; cum Dei perfecta sint opera, nec natura quicquam frustra efficiat. Non enim secus esset, ac si quis cæcos assereret, ad colores speculandos genitos esse. Nam actiuam felicitatem dicere ad nos pertinere, quæ homines sumus, contemplatiuam verò (ad quam nobis aspirare non licet) quæ inest nobis quiddam diuinum, perinde est, ac cæcum dicere cætera cognoscere sensibilia, vt sensitiuum; colores autem, quatenus in eo occulta quædam virtus est, sensibus omnibus longe præstantior. Si quidem ipse colorem, neque sonum, neque saporem esse intelligit, neque aliam sensibilem qualitatem sibi notam, ita, & longe etiam minus, homo (vt dictum est) intelligentias, Deumque cognoscit. Et hanc speculationem, dimissis actionibus, sequi velle, idem prorsus est (ne ab eodem exemplo discedamus) ac si cæcus, dum operam dat vt colores perspiciat, cæteris sensibus, qui sibi perfecti insunt vt non curet; sed eos negligat, atque contemnat.

ACTIVAM VITAM IN CIVITATE CONTEMPLATIUE PRESTARE. CAP. IIII.

De rar. lib.
1. cap. 5.



X ijs, quæ hætenus dicta sunt, patet, quàm imbecilla nostra sit speculatio, quamque illud exiguum sit, quod à nobis de primis causis naturaliter cognosci potest. Quia de re licet sæpe quærat Aristoteles, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam, amplius nos oblectari dicit, quàm cum hac inferiora cuncta tenemus; quemadmodum quamlibet partem, minimamque corporis nostrarum puella deliciarum, vidiisse iucundius est, quàm cæterorum hominum membra tota perspexisse, & contrectasse. Quod si diceret, ex ea quàm libet leui cognitione, nos maximū fructum percipere, ferri sane facile posset; verū affirmat eā nulli penitus vlui esse, sed cætera eius esse gratia, eiq; famulari. Neq. erat nescius, eundem sapientissimū Socratem (vt est apud Xenoph.) amētes eos appellare solitum, quibus, cum in res vitæ utiles esset incumbendum, inanibus

inanibus illis operam darent. Ac profecto admiratione dignissimum est, hominem, cum naturali lumine ad summam sapientiam peruenerit (quod, si modo cuiquam contigit, Aristoteli contigisse credibile est) felicitatem, & perfectionem humanam profiteri in quibusdam speculationibus consistere, alieno quidem iudicio inanibus, suo verò inutilibus; cumque ab eo, quasi à sublimiori quadam natura, graue aliquod, & salubre consilium, aut etiam subsidium humanis miserijs expectaretur, eo se peruenisse affirmet, vbi (quasi per insomnium, Deus quidam euaserit, vel Deo similis) humanitatem deposuerit; & nulla præterea ab eo hominum ratio habeatur. Paulominus igitur quàm inanis, & omnino inutilis Philosophica speculatio esse dignoscitur. Et cum nullum hominibus commodum afferat, qua in re collatam esse honestatem ostendimus, haud etiam honesta dicenda est: nam honesti naturam in meliorem partem illam nõ transgredi, ipsa inutilitas conuincit. Verumtamen hanc sententiam actiuz vitæ contemplatiuam anteferendi, verbis tantum, Aristotelis ipsius esse, re autem ab ea longe illum abfuisse, censendum videtur; cum fortasse nemo reperitur, qui naturæ lumine, maiora humano generi beneficia, diuino illo homine attulerit. Propterea eius acutissimi interpretes Simplicius, & Auerroes rem potius, quàm verba sequuti, sapientiam prudentiæ ministram esse, & contemplationem actionis demonstrant; cum à naturæ, primarumque causarum cognitione, voluntatem nostram ad operationes tamquam vltimum humanæ scientiæ finem, dirigi ostendant. Etenim si veri contemplationem, boni cognitio non sequatur, inanis curiositas putanda est. Licet enim mens (vt idem Aristoteles dicit) nihil moueat, decet tamen illam ea speculari, quæ voluntati oblata, eam ad vtiliter mouendum inuitent; cum cognitio boni, tempore quidem, actione prior sit, natura verò posterior: nam cognitionem (vt saepe diximus) appetitio sequitur, hanc autem operatio, cuius causa sunt cætera. Si igitur mens sola operetur, & homo in ipsa cognitione consistat, suum finem humana natura non adipiscitur. Præterea cum in hominis anima cognitarum rerum imagines imprimantur, eaque ratione quodammodo fiat omnia; cum Deum non nisi negatiue intelligat, diuinam in ea imaginem imprimi putandum non est. Neque igitur quodammodo Deus, neque Deo similis fit; & vt maxime fiat, tantum in sua anima thesaurum ociosum latere, ferre non debet; sed vt bona à diuina intellectuione fluunt omnia, ita eum conari oportet, congruis suæ naturæ operationibus, illum imitari, eique pro viribus similem reddi. Artificem autem non imitamur, neque ei similes reddimur, eum dumtaxat cognoscentes, & quid, aut quomodo operetur considerantes; sed vt ille agit agētes. Quamobrem intelligentiæ, quæ Deum cognoscunt, atque amant, illi etiam assimilari cupientes, orbem mouent præcipua ipsarum, Deique ipsius instrumenta; vnde omnes in ijs inferioribus effectus, ad hominum maxime commoda consequuntur. Quid igitur homini aliud agendum esset, si ad tantam perfectionem perueniret, quàm Deum cognitum amore prosequi, & pro sua exiguitate imitari; & hæc inferiora ad commune omnium beneficium, eorum potissimum, quæ inter ipsa nobiliora sunt, mouere? Præsertim quòd diuinorum principiorum essentiam, operationesque speculantes, alienas causas speculamur; at operantes, nos ipsi alijs bonorum, & felicitatis causæ euadimus. Causæ verò, & principia bonorum (eodem Aristotele teste) diuina sunt, præcipue si in nobilioribus, ac perfectius summi opificis in terris opus, qui procul dubio homo est, benefici simus, eique quasi Dij quidam fiamus. Quod si ignobiliora nobiliorum gratia sunt, omnia inferiora hominis causa condita esse oportet. Ijs igitur qui rerum omnium cognitionem venantur, eam cognoscere fortasse præstaret, cuius causa sunt omnia; vt ad eius beneficium, & perfectionem referri cætera possent. Accedit quod cum homo (vt omnes affirmant) paruus quidam sit mundus, & ad diuinam imaginem conditus

In proemio
Phyfic.

Ethic. li. 6.
cap. 2.

Ethic. lib. i.
cap. 12.

conditus, qui ipsum speculatur, in eo quasi viuo quodam speculo, diuinam (vt fas est homini) cernit imaginem. At si speculandum sit, & abstrusa veritas indaganda, quid speculatione dignius inuenire potest homo, quàm sui ipsius proprias & veras causas, quæ naturæ lumine paulò minus, quam penitus ignotæ sunt omnes, præsertim forma ac finis? Qua ex ignoratione maximi semper errores, & humano generi perniciosissimi prouenere, illis enim ignotis, quas actiones cedere illum conueniat, ignorare necesse est. Hinc apud veteres, illud celeberrimum oraculum habitum fuit, quo seipsum quisque cognoscere iubebatur. Cum autem hæc ita se habeant; ad cætera, quæ Peripatetici quidam obijciunt, haud difficilis responsio est. Nam quod contemplatiuam vitam actiuæ præstare affirmant, quia eius partis hominis est, quæ proprie est homo, & circa sua obiecta, quæ sunt intelligibilia retrahitur; actiua verò circa exteriora diffunditur; primum dicimus actiuam voluntatis esse, quam intellectu, quoad hominum actiones, nobiliorem esse, iam demonstrauius. Deinde actiuæ obiecta ipsos esse homines, qui eiusdem speciei sunt, non exteriora illi, sed propria: est enim actio proprie hominis cum homine. Quod verò dicunt contemplationem assiduam esse, actiones autem interceptas, ipsi Aristoteli aduersari videntur, qui nihil magis assiduum dicit, quàm virtutis exercitationem. Illud item, quod iucundior sit, & magis puras, ac sinceras voluptates habeat; cum idem Aristoteles in problematibus contrarium probet. Quod autem ex se sufficiat, paucisq; admodum extrinsecis indigeat, notare imperfectionem videtur; cum perfectiora (vt idem ait de sapientia) indigere pluribus videantur. Quod verò in ocio, & quiete consistat, sed actiua in turbatione, & negotio; bellum autem ob pacem, & negotium ob ocium fiat; non minus operari in ocio actiuam dicimus, quàm in negotio Deum imitantem, qui, dum se speculatur, perpetuò efficit; nostra autem speculatio, nisi actionis gratia sit, inanis erit. Denique quod contemplatiua tamquam finis sit, & per se appetatur, actiua verò propter illam; hoc quidem naturæ aduersatur, quæ in omni negotio præcedere cognitionem voluit, quod intellectus est opus voluntati parentis, quæ certior reddita, id bonum esse, appetit; eamque appetitionem sequitur actio, cuius gratia reliqua sunt; idcirco nobilior. Cum enim nos natura actionis causa genuerit, cognoscendi nobis facultatem, & speculandi indidit, quæ actionem præcedit, quasi voluntati facem præferens; quo appareat, quid ab illa sit appetendum. Cum autem, vt cætera facultates, sui sit finis in infinitum, non minori eget moderatione, quàm cætera. Actionis autem gratia genitum, non contemplationis hominem esse, illud etiam argumento est, quod supra diximus, quod cum homines iuuat, & in eos comoda confert, qui actiuæ vitæ finis est, tum, vt ad eum finem à natura formatus, bonus absolute dicitur. Omnia enim ad ea comparata, quorum gratia facta sunt, bona dicuntur. Vnde apparet, naturaliter loquendo, hominem ad actiones, non ad speculationes natum; eiusque finem actiuam vitam, non contemplatiuam esse; cuius respectu, non absolute bonus, sed bonus speculator dicitur. Quod quidem & ipsi fateri coguntur, cum Aristoteles asserat, actiuam finem quidem esse hominis, vt homo est, contemplatiuam verò, quatenus in eo est, quoddam diuinum. Illud sane recte, hoc autem neutiquam admittendum videtur; cum nihil in homine reperiatur ipsa humanitate diuinus, quæ in operando non sui subiecti, sed alieni tantum comoda spectat. Nulla enim re, ipsa indigens, indigentibus opitulatur; vt propriam perfectionem, & felicitatem consequi possint. Nam sic homo fit homini Deus; cum nec Deus ipse in hac vita hominibus præstantius quicquam largiatur. Quod profecto non humanum, sed verè diuinum est, & Dei ipsius, præ cæteris, quæ in eo sunt, imaginem exprimit. Qui cum nihilo prorsus indigeat, abunde omnibus bona largitur. Verum dimissis alijs, quo pacto non absurdum sit; perfectionem, finemque hominis dicere

Ethic. lib. 1
cap. 10

Probl. sect. 30. probl. 6

10

20

30

40

50

cere in contemplatiua vita repositam esse, ad cuius absolutam exercitationem, post hominum memoriam, vnum dumtaxat, aut alterum peruenisse credi par est, cum difficillima sit; non autem in actiua, ad quam cuiuslibet, pro sua conditione accessus patet. Consequens enim erit hominem paulominus quam frustra genitum, si illum ad eum finem natura produxerit, ad quem peruenire ex multis millibus vix vnus ætate iam exacta potest. Cum actiuæ perfectionis, ac finis, quilibet (modo recta voluntate præditus sit) cuiuscumque sexus, & fere ætatis, ac gradus, particeps fieri non prohibeatur? Ac tum verè ciuili societati, cunctisque hominibus benè est, & ab omnibus tranquille, beatèque degitur, cum actiuam vitam omnes exercent. Quod si omnes contemplatiuam exercere velint, non modò male erit omnibus, sed nulla omnino ratione viuere poterunt. Vt cumque sit, constat contemplatiuæ vitæ, non solùm actiuæ comparatione principatum in ciuitate non deberi, sed ne honorem quidem vllum deferendum esse, cum se ipsam Reip: inutilem confiteatur. Omnis autem honor publicus (vt superius Aristotelis, & Xenofontis testimonio patuit) ei qui in Reip: beneficia confert sit tribuendus. Hæc igitur de ea speculatiua vita à nobis dicta sunt, quam philosophi (præsertim Peripatetici) ad cælum ferunt, cum hominum cœtibus (de quibus sermo est) penitus inutilem arbitremur. Nam eam, quam religiosi sequuntur, Deum verum à sancta Ecclesia diuina reuelatione cognitum contemplantes, pro merito extolli posse non credimus. Quamquam non simpliciter speculatiua sit appellanda, cum actiuam adiuctam habeat, ea longè nobiliorem, quam nos in hoc opere profitemur; cumque vitam cælitibus dignam in terris degant, omni sunt veneratione dignissimi. Etenim assiduam erga Deum pietatem exercent, ei sacra facientes, illum summis laudibus celebrantes, illi gratias die noctuque agentes; eique sua sanctitate amicitiam, ad eum in publicis calamitatibus, feruidis orationibus; & sacrificijs confugientes, pacem populis, & tranquillitatem impetrant; cunctosque homines ardentem caritate complexi, eos optimis disciplinis, præcipuè sacris, instruere, & Dei verbum paterno affectu, diuinoque spiritu inflammati, ad eorum salutem publicè prædicare non desinunt. In priuatis verò colloquijs iuuentutem, populumque omnem à vitijs, ac peccatis, in quibus humana fragilitas perpetuò volutat reuocantes, cælestique virtute expiamus, ad veram, æternamque beatitudinem dirigunt. Vt populi qui huiusmodi religiosi abundant, eosque colunt, & reuerentur, verè beati dicendi sint, cum eorum potissimum ope Deo grati fieri, & diuinam eius misericordiam in præsenbi, ac futura vita consequi possint.

DIGNITATIS COMPARATIONEM, INTER
membra eiusdem societatis, & Republicæ esse.

C. A. P. V.



M autem de dignitatis comparatione, & de principatu agatur, manifestum est hanc controuersiam, ad homines tantum pertinere, cum soli propriè sint dignitatis, meritorumque capaces, & subiecta propria; quamquam inter animalia improprie, & similitudine quadam, dignitatis ratio habetur, non secus, ac societatis, cuius inter illa, velut vmbrae quadam videmus. Nam in apologis, quadrupedum regnum leoni; auium aquilæ attribuitur, propterea quod generositate quadam, & robore, reliquis omnibus antecedunt. Et in apum quidem specie, aliisque nonnullis Regem, & naturalem quadam gradus differentiam cernimus, quasi ludentis naturæ opus, vel quoddam homini regiminis specimen præbentis.

Eodem-

Eodemque modo plantis, cæterisque rebus tam simplicibus, quam mixtis præstantia quædam ascribitur; non tam autem vti natura, propriaque perfectione huiusmodi, quam vt ad hominum vsum relatis, & pro ea, quam illis afferunt commoditate. At dignitas, quam quibusdam fluuijs poetæ tribuunt quibus reliquos fingunt aquarum tributa persolvere, ad principatum propriè pertinet; cum pro ea quam perfluunt prouincia, eiusque incolis sumant. In equestribus quoque ludis, aut scenicis (si proportio consideretur) verus est dignitatis ordo, & gradus, inter personas, quæ producuntur; pro vt etiam in latrumculorum ludo. Temporibus autem, ac locorum quædam dignitas, aut fama, itemque infamia est, nempe commodorum, aut incommodorum ratione, quæ hominum generi in ijs prouenere; aut virtutum, vitiorum uè, quæ in pretio eisdem fuerunt. Inter habitus autem, scientias scilicet, virtutes, & artes; cum quæritur, quænam excellat; ea arte, aut habitu præditi intelliguntur: quod quidem semper locum habet, cum artis, aut habitus nomen pro accidentali forma capitur, quæ artifici inest. At cum pro artificum numero eum habitum profitentium sumitur, propriè sumi videtur; cum eorum ordines societatis sint partes. Dignitas igitur, & principatus ad personas spectat, veluti eiusdem societatis membra, earumque gratia ad eas quoque, quæ vicem illarum obtinent, vt sunt vicarij, aut legati, pariterque ad eas res, quibus tam personæ ipsæ exprimentur, vt statuarum, aut imagines, quam earum dignitas, & auctoritas. Quæ res inter se differunt; & vel ipsæ ab hominibus, vel homines ipsis feruntur: ab hominibus quidem, mitra, corona, ac pileus in capite fertur, aliaque huiusmodi; manu verò sceptrum, aut vexillum, & olim scutum cum pictis insignibus, quæ idcirco ab Italis arma appellantur. Ipse autem homo, terrestri itinere, maiestatis gratia, sede vehitur; in aquis verò triremi, aut alia naui. Quæ simul etiam componuntur: nam mitra, vel corona insignibus, hæc autem sedi, vel naui, aut vexillo imponi solent, atque eandem positionem inter se exigunt, quam personæ ipsæ, earumque dignitates, quæ ipsis significantur. Quapropter Pontificia insignia mitra imposta, itemque sedes, ac Regia triremis reliquis antecedent, eodemque modo cætera. Cum igitur inter personas propriè, atque inter societates hæc controuersia intercedat; videndum est, quæ nam earum species, & differentia sint, vt conferri commodius queant. Verum prius animaduertendum est, quod cum inter societatis, vel Reipublicæ membra hæc dicatur esse collatio; societas ipsa, vel Resp: proportionem ab animalis corpore sumpta, quasi corpus quoddam consideratur ex diuersis membris, aut partibus constans, quæ natura, propria uè electione, iuris, honestatisque, ac religionis vinculis coniunctæ, ad eundem finem tendunt; quæ totius est corporis salus, & communis felicitas, ex qua cuiusque membri particularis salus, & felicitas pendet. Ad huius autem finis adeptionem, singula membra diuersis potestatibus, muneribusque funguntur, diuersasque in corpore positiones, ac dignitates obtinent; perinde ac in humano corpore, caput, & pedes partes sunt inter se diuersæ, non minus officio, & potestate, quam loco, & honore. Et vt corporis humani partes, quædam simplices sunt, vt digitus; quædam compositæ, aut complexæ, vt manus, aut etiam magis brachium; ita inter societatis partes, quædam simplices sunt, vt personæ singulæ, siue indiuiduæ; quædam compositæ, vt particulares, minoresque societates. Simples, & indiuiduæ, ita partes sunt, vt corpora, vel societates esse non possint: compositæ verò partes sunt, & vnà etiam corpora, & societates. Corpora quidem, propterea quod plures partes, nempe singulares personas, aut societates minores continent; partes autem, quoniam in maioribus corporibus, vnà cum aliis similibus continentur. Nam familia, quæ respectu personarum, quas vti partes comprehendit, corpus quoddam est vel societas, cuiusdam vrbs portionis pars est, quæ plures continet, pro vt ab vrbe

vrbe continetur; hæc a prouincia; ea autem à regione, quæ fortasse alicuius est regni pars; & hoc demum magni alicuius imperij, vel reip: qualis olim Romana, nunc verò Christiana est. Itaque singulæ immediatè suæ societatis particularis partes sunt; mediatè verò, eiusdè Christianæ reipublicæ, quæ societas quædã vniuersa est, & ita absolutum corpus, & cõmunis salutis, ac felicitatis gratia simul coactum, vt alterius societatis pars esse non possit; nisi forte societatis totius humani generis, qua pariter cæteræ, naturæ communis causa, comprehenduntur; licèt finibus inter se differentes, nonnumquam etiam sibi aduersantes, vt olim Græci, & Barbari; Romani, & Pharthi; nostra verò ætate, prætet ipsam

- 10 Christianam Rempubliam, infidelium congregationes, quæ forma reip: quædam, ac religionis continentur. Inter ipsas autem societates, ea differentia est quod in ijs quidem, quibus proponitur finis, quod cunctorum sociorum bonum commune est, quasi quibusdam perfectis corporibus, partium dispositio, proportioque spectatur ratione operæ, quam singulæ ad ipsius finis præstant consecutionem; vnde eorum dignitatis, ac meritorum mensura sumitur, in qua principatus ratio consistit. At inter ipsas societates, & corpora vniuersa, quæ à se inuicem seiuncta, & quorum diuersi fines, & capita sunt, non partium situs spectatur, neque principatus vllus inquiritur; sed quædam fieri comparatio, tum finium inter se, tum capitum potest; idque anteponi æquum est, cui dignius
- 20 caput sit, & nobilior finis, ad quem per nobiliora media, certiusque perueniatur. Et inter vnius ex huiusmodi corporibus vniuersis, & alterius partes, eadem, quæ inter corpora ipsa, eorumque capita, seruari proportio, & comparatio debet. Hinc patet quàm longo interuallo, Christiana Ecclesia, & respub: cunctas alias resp. non modo iam constitutas, verùm etiam in posterum constituendas exsuperet; quippe cui Dei filius caput sit; finis autem, non modo terrestris, ac temporalis beatitudo, sed cælestis etiam, & æterna. Huiusmodi autem vniuersorum corporum comparationem inter se, ad principatum non pertinere, illud, præter cætera, indicat, quod neque eiusdem corporis partes sunt, neque eundem iudicem habent, quod vnicum esse caput, & vnius corporis oportet;
- 30 in ijs verò corporibus suum cuique adest, cui cæteræ partes respondent. Propterea inter plura huiusmodi corpora, haud verus iudex est, cui ferendæ sententiæ, & suum cuique locum tribuendi inest auctoritas; sed hoc iudicium vulgus usurpat, & qui rerum memoriam litteris mandant; vt T. Liuius, dum magnum Alexandrum Romanis comparat, suoque arbitrato diiudicat, quem illius in Italiam aduentus habiturus exitum fuisse. Et apud eundem Hannibal, dum in remilitari eidem Alexandro primas, Pyrrho secundas, sibi autem postremas tribuit; Scipionem verò omittit, quasi Imperatorem incomparabilem. Quam quidem virtutis imperatoris collationem, Lucianus ad principatus legem reuocat, cum eos apud inferos fingit in eadem societate, coram Minoe communi iudice.
- 40 Itemque Etruscus poeta, cum in Famæ triumpho, cunctos diuersarum ætatum, & rerum publicarum illustres viros, in vnum quasi societatis corpus, & imaginarium ordinem congregat. Atque huiusmodi quidem vniuersorum corporum capita, societatumque principes; aut numquam, aut rarissimè congregiuntur. Quòd si quando eorum legati, aut partes præcipuæ in eundem locum

forte conueniant; cum iudex communis absit, & necessaria positio sit; eorum quilibet suam dignitatem tueri nititur, & ce-

dere alteri primas renuit. Propterea Conon

(vt refert in eius vita Probus)

ne suæ patriæ splendori

officeret, ve-

nerari Artaxersem

recusauit.

Eorum

EORVM DIVISIO, INTER QVOS DE
Principatu certari potest. CAP. VI.



Comm. de
bello Gal.
lib. 5.

VM autem excellere sit bono quopiam, vel bonis alterum superare; principatum verò obtinere sit ad reip. commodum eius principis iudicio excellere; patet de principatu controuersiam inter eos dumtaxat locum habere, qui sunt mediata, vel immediata corporis vniuersæ cuiuspiam reip. partes, qualem esse Christianam diximus. Nam qui de principatu inter se certant, nihil demum querere aliud videntur, quam sibi in communis reip. corpore, dignioris membri locum attribui. Idcirco de loco, & vter alteri anteferatur, contendere inter se dicuntur; vt T. Pulio, & L. Varenus apud Cæsarem; quasi ad illius beneficium plus conferant, aut contulerint, aut etiam conferre sint apti; quod (vt in animalis corpore videmus) præstantioris membri officium est. Christianam autem rempublicam, siue Ecclesiasticam, ex huiusmodi vniuersis, & absolutis rebus publicis esse vnam dicimus; vniuersam quidem, propterea quod innumerabiles personas, ac societates particulares comprehendit; vnam autem, quoniam vnicum finem habet (vt dictum est) & vnicum caput, quod in militantis Ecclesiæ corpore, summum Pontificem esse asserimus, ipsius Christi Vicarium, qui totius corporis mistici, tam militantis, quam triumphantis Ecclesiæ caput est, diuinitatis quidem ratione primarium; humanitatis autem secundarium. Nam veluti terrestri Ecclesiæ, ita etiam cælesti suam quodammodo corpus ascriptum est, diuersis ordinibus, gradibusque distinctum, qui in cælo (Dionysio Areopagita teste) spiritibus Angelicis, & vnâ beatorum animabus altiores, aut humiliores, pro earum perfectionibus, tribuuntur. Quæ quidem, ex vniuersalibus supplicationibus sanctæ Ecclesiæ diuinitus inspiratæ, perspicuè apparent. Inter Dæmones autem, siquis est ordo, eum esse par est, qui eorum naturæ (quæ est etiam nunc reliqua) statui congruit; prout olim in supernorum Angelorum choris, pro statu nondum confirmatæ gratiæ, distincti fuerant; vnde immoderata excellentiæ cupiditate turbati, in infernas sedes sunt delapsi; vbi natura superiores inferioribus imperant. At inter damnatorum animas nullus est ordo, sed poenarum tantum, pro singulorum delictis, quædam proportio. Hæc autem vniuersalis Ecclesiæ ordinum, graduumque distinctio, à veteribus gentilibus adumbrata fuisse sub figura quadam videtur. Nam ex inanibus illis dijs, alios maiorum gentium appellauerunt: vt Iouem, ac Iunonem; alios vero minorum; vbi liberum patrem, & Herculem, aliosque, qui fuerant (vt ait Horatius) *Ob ingentia facta, Deorum in templa recepti*. Verum in Elysij campis, quam beatorum sedem existimabant, suum cuique locum, pro vitæ meritis, tribuebant. Itaque Maro *Museum ante omnes* locat; alij Homerum; & præterea alios. Quamquam Lucianus suo more ludens, Achillem cum Archilocho querentem inducit; & Menippum, inter Therpsitem, ac Nireum, statuentem nullam inter defunctorum animas principatus rationem haberi, sed honoris tantum æqualitatem. Inter eiusdem reip. ciues iam vita functos, non secus ac si viuerent, quæri potest: quodnam dignius fuerit communis corporis membrum: licet enim illos mors ab ea societate resciderit, nihilominus eorum merita in hominum animis diutissime viuunt. Quamobrem boni, præter funebres pompas, statuis, ac titulis decorantur; improbi verò reiiciuntur, eorumque memoria damnatur. Inter viuos, mortuosque comparatio, haud magnopere ab ea differt, quæ tantum sit inter viuos; quàmuis maximo viuentium præiudicio fiat; tum quod horum actiones

actiones nondum absolutæ sint; tum quod inuidia premantur. Nam & Hercules ipse (vt idem canit Horatius) *repperit inuidiam supremo sine dornari*. Propterea Demosthenes in suorum meritorum in patriam æstimatione, petebat, se non mortuis, sed viuentibus comparari. Longe autem deteriori conditione, quàm mortui habentur, qui propria culpa, & inania, ab Ecclesiæ corpore sunt diuulsi. Idcirco, vt abscissa, vel demortua membra, nisi resipiscant, & restituantur honoribus, nullum in ea locum habent; ob facinora itidem, sceleraque damnati, omni dignitate, ac meritis carent. Quandoquidem nemo, nisi bonus, ac liber, dignitatis, ac principatus est particeps. Fœminarum inter se, vel etiam cum maribus, fieri comparatio potest, cum virorum conditionem, patrumue sequantur, vel prout viri considerentur: nam de Regina imperante, non secus ac de Rege, sermo habetur. Cum igitur ostenderimus veram principatus rationem non nisi inter corporis partes esse societatis cuiuspiam; vel particularis, vel vniuersæ; reliquum est, vt videamus, quænam, & quot earum differentiæ, & species reperiuntur; vt conferri inter se commodius possint. Itaque corporis animalis cuiuspiam, velut hominis, eandem proportionem sequentes, dicimus itidem corporis societatis, vel reipublice partes, aut similes, aut dissimiles esse. Similares ex sunt; quarum particulæ, natura, & nomine, ipsi toti similes sunt; vt in animalis corpore caro, & neruus: omnis enim carnis particula caro est, & neruū neruus. Dissimiles verò, siue instrumentales, quæ ex ijs constant; vt oculus, & manus. Ita etiam in societatis, vel reipublicæ corpore, similes partes ciuiles ordines erunt; nempe senatorius, equestris, plebeius; itemque monachorum regulæ, & artificum congregationes. Nam, quælibet senatus particula, senator est; & militaris artis, miles: in cæterisque similiter. Dissimiles autem erunt cunctæ indiuiduæ personæ, eximia quapiam qualitate insignes; vel minores societates; vt oppida vrbes, regna, quæ sunt distincta quædam totius reip: & perfecta membra. Hæ autem partes, publicæ, vel priuatae esse possunt; ecclesiastica, vel temporales: eiusdem particularis societatis, vel diuersæ; eiusdem qualitatis, & gradus, vel diuersi, & coniunctim similis: ecclesiastica, & publica, vel priuata; itemque temporalis publica, vel priuata: eodemque modo dissimilares. Cum igitur duarum partium species explicatæ sint, inter quas hæc controuersia vertitur, antequam ad comparisonem inter ipsas accedamus, necessarium est indigare, partium hominis, & humanæ animæ, potestatum inter se ordinem; ac dignitatem; tum, vt huius subiecti particulæ innotescant; tum verò, vt ad eorum differentiæ, & æstimationes, quæ hominis eiusque potestatum commodis, ac perfectioni inferuiunt, deuenire possimus.

DE DIGNITATIS INTER HOMINIS PARTES.

animeque humana potestates comparatione,

40

CAP. VII.



HOMINEM igitur, in ipso fere operis huius initio, iam dictum est, ex anima, corporeque constare; ipsamque animam quinque genericis potestatibus præditam esse, nempe intellectiua, appetitiua, sensitiua, vegetatiua, ac motrice. Intellectum autem, aut speculatiuum esse, aut actiuum, aut effectiuum. Appetitum verò diuidi in intellectiuum, quæ quidem voluntas est, & sensitiuum; atque hunc in irascibilem, & concupiscibilem, qui sunt affectuum omnium fontes. At sensum in interiorem, & exteriorem. Interiorem autem, in sensum communem, imaginationem, & memoriam. Exteriorem in visum, auditum, odoratum, gustum & tactum. Cæteris igitur, quæ ad animæ cognitionem spectant

50

E e dimissis

dimissis, quæ in præsentia minime sunt necessaria, supponendum est, quod ut ipsa anima toto corpore, tamquam proprio instrumento utitur, ac propterea longè illo dignior est; ita quælibet eius potestas, illius partibus, velut instrumentis particularibus, suas operationes exercet; è quibus partibus, ea sit dignior, quæ digniori potestati inseruit. Nam intellectus licet nullo corporeo instrumento utatur, nec sedem in corpore ullam habeat; tamen, cum eius operatio non sine phantasmatis fiat, eam partem digniorem reddit, in qua phantasmata imprimuntur, tamquam ad suas operationes necessaria: quod non minus de voluntate statuendum est, cui ipse intellectus ministrat. Nunc inter ipsas potestates dignitatis comparatio indaganda est. Itaque, cum summus opifex in hoc I 0 admirabile hominis opificium, quasi paruum quemdam mundum (ut diximus) omnes congerere perfectiones voluisset, quæ in hac rerum vniuersitate dispersæ sunt; postquam illius simplicitatis compos esse non poterat, quæ in cælestibus spiritibus reperitur, cum non ex anima tantum, sed ex corpore quoque constaret, eas animæ illius potestates, quas enumerauimus contulit, quarum opera, corporeorum instrumentorum auxilio, tum omnium rerum imagines, perinde ac viuo quodam in speculo, in ipsa anima imprimuntur, uti quodammodo fiat omnia; tum, ob multiplices ipsarum potestatum operationes, quæ propriorum obiectorum ad eas applicatione exercètur, perfectiones, quas diximus, cõsequatur: quæ quo digniores sunt, eo illæ potestates sunt digniores, quæ ipsis perficiuntur. Inuestigandum est igitur, quænam ab homine perfectio cuiusque potestatis opera cõparetur. Perfectiones autem potestatum, vel secundum ipsas operantium, ac uiuentium (ut iam diximus) ex sunt voluptates, quæ per ipsas ab homine percipiuntur. Voluptates verò, ac perfectiones, ipsas potestatum functiones, actionesque sequuntur: sunt enim hæ, illarum gratia: Nam omnem cognitionem in actiua vita, appetitionis gratia esse demonstratum est: si quidem ex cognitione animo bonum offerretur; ex boni autem oblatione, appetitio sequitur; ex illius verò appetitione, operatio. Cum autem id sit nobilius, & dignius, cuius gratia cætera; operationem cunctis his digniorem esse, cum eam voluptas, & perfectio consequatur, & primo loco statui necesse est; secundo verò appetitionem; tertio cognitionem: 3 0 eodemque ordine potestates procedunt. Nam cognoscentes, appetentium; appetentes autem, agentium gratia esse oportet. Agentes verò eadem appetentibus sunt: cum enim appetunt, statim, nisi impediuntur, agunt. Vegetatiua igitur (ut à minus dignis ordiamur) potestatum infima statuenda est, & inter eas prorsus bruta; cum neque cognoscat, neque secundum cognitionem appetat; sed naturaliter tantum, & cæteris omnibus substrata, earumque sit gratia, cumque actiones, quæ ab illa perueniunt, non spontaneæ, sed naturales sint; proinde cum plantis communes. Huic ignobilitate proxima est facultas secundum locum motrix, quæ fere omnibus, tam appetitiuis, quàm cognoscitiuis facultatibus famulatur: nam illas suis obiectis admouet, vel obiecta illis: primùm ut ea commode cognoscere, deinde appetere, si bona sint, & vel prosequi, vel fugere valeant. Sequuntur sensus exteriores, quibus primùm offeruntur obiecta; cum sint animi veluti fores quædam, per quas omnis cognitio ad eum infertur. Obiecta igitur ijs oblata eos mouent; ij verò ad interiores illorum imagines deferunt, qui oblatis bonis, & malis irascibilem, & concupiscibilem appetitum excitant ad sensitiua bona, malaque prosequenda, aut fugienda; & simul phantasmata offerunt, quibus à qualitatibus indiuiduantibus nudatis, intellectus verum, falsumque intelligat, bonum, & malum, eaque obiecta voluntati offerat; ut fungi suo munere possit boni intellectiui prosequendi, & virandi mali. Hæc igitur est facultatum animæ, & earum actionum series. Itaque, si inter eas dignitatis comparationem inquirimus, cunctis in actiua vita voluntas (ut iam dictum est) anteferenda videtur. Hanc sequitur intellectus, illum sensus interior, hunc irascibilis
deinde

deinde concupiscibilis appetitus; demum sensus exteriores. Nam motricem, & vegetatiuam postremas esse iam diximus. Hæc ira se habere, ex earundem potentatum perfectionibus (vt proposuimus) patet. Nā quæ ex voluntate aduenit, ea est, quam ex iuuandi homines voluptate percipimus, quæ quidem ipsa humana beatitudo est, supremusq. omnium rerū agendarum in hac vita finis. Hanc ea sequitur, quæ ab intellectu procedit, quo, vt speculatiuo, ad veri, falsique cognitionem (vt licet homini) peruenit; vt actiuo, ad boni, & mali, quod in actionibus est, vt effectiuo, ad eam boni, malique cognitionem, quæ est in artibus, aut inertia. Et vt speculatiuum non dimittamus, de quo satis superius dictum est; perfectio, quæ ex intellectu prouenit, ea est voluptas, quam sentimus, ex voluntatis directione, ne in actionum, aut affectionum electione fallatur, quo minus tūc, ac facillè perueniat ad optatum, quem diximus, finem. Hæ autem perfectiones propriæ hominis ambæ sunt, & eum, quatenus homo est, videlicet quoad rationalem partem, perficiunt. Nam quæ ab interiori sensu proficiscitur, communis homini cum brutis est; cum exteriori sensu monente, irascibili, & concupiscibili appetitui sensibile bonum, malumque offerat: eodem enim erga illos officio fungitur, quo erga voluntatem intellectus, vt illud effugiant, quod malū molestumue apparet; quod verò bonum, aut iucundum videtur, illud sequantur.

20 Quæ quidem perfectio, ac voluptas, licet a phantasmatum, quæ intellectui exhibentur subministratione maior aliquanto, puriorque reddatur; nihilominus, ab ea, quæ ex intellectu aduenit, tantum distat, quantum ea, quæ corpori admista sunt, ab ijs, quæ solius sunt animi. Huius autem potissimum ministerij causa, interiori sensum appetitui sensitivo præferendum censemus; cum idcirco ab Aristotele phantasia intellectus quidam appelletur. At perfectio, & voluptas, quæ ab irascibili appetitu manat, ei antecedere putanda est, quæ à concupiscibili prouenit; propterea quòd eius actiones rationem quamdam sapere, & ad eam propius videntur accedere, quam actiones concupiscibilis, quæ proprium subiectum non egrediuntur. Irascibilis enim in homine non vtiq. tantum propriæ lesionis querit, sed etiam alienæ; vt patriæ parentum, & amicorum. Neque vtiq. tantum lesionis, verum etiam beneficij gratitudinem, & remuneratorem (ad eam. n. spectare iam demonstrauimus) eamq. non beneficiorum in se ipsum tantum, sed & in eamdem patriam, suosque necessarios collatorum. Gratiitudo autem à beneficentia, quæ rationalis est, differt; cum in brutis etiam reperitur. Quæ verò ab exterioribus sensibus perfectio, ac voluptas prodit, cæteris quidem impurius est; quippe quæ cunctis magis est corporea, & materialis; proinde etiam vehemētior; velut ignea vis in carbone, aut ferro candenti, quam in flamma. Verum de sensibus exterioribus singillatim, postea dicendum est.

30 Motricis autem potestatis perfectio, & voluptas, in adiuuendis obiectis suis potestatibus, vel has obiectis (vti diximus) patet. Sed & hac necessitate adempta; ita apte natura iucundam animalibus esse, in suo singulis elemento, videmus; ijs præferim, quæ nullo fere, aut perexiguo labore mouentur. A vegetatiua verò, quamquam eam omnium infimam diximus, perfectiones, & voluptates quædam adueniunt, vt sentimus, cum rectè valentes eius particulares facultates probè exercemus: inter quas, quædam etiam nobilitatis differentia esse videtur. Nam cum ab ea alimentum, & augmentum ad indiuidui conseruationem adueniat, & generatio ad speciei propagationem, non dubium est, quin speciei propagatio fructu indiuidui conseruatione nobilior.

DE DIGNITATIS INTER EXTERIORES
sensus comparatione. CAP. VIII.



EXTERIOR autem sensus diuinus à nobis superius est in visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Quo quidem in ordine, ceteros, qui de ijs sermonem faciunt sequuti sumus, & (vt arbitramur) ipsam etiam rerum naturam, quæ, si præcipua tactus sedes manibus tribuatur, eorū sensorijs digniora in corpore loca, eodē ordine assignasse videtur. Licet enim primum tactus, & post eum gustus plus reliquis sint necessarii, quippe qui esse potius spectent, quam bene esse; & propterea imperfectioribus animalibus, æquē ac perfectioribus, ab eadem natura traditi fuerint; non tamen idcirco ceteris etiam digniores habendi sunt. Quin potius idem in ijs, quod in potestatibus euenire dicendum est: vegetatiuam enim, quamuis maximè omnium necessariam, cunctis aliis inferiorē statuimus; sicut etiam in scientijs, artibusque cōringere suo loco demonstrabitur: nimirum eam reliquis minùs dignam esse, quæ magis sit necessaria. Cùm igitur exteriores sensus, tamquam animi fores esse dixerimus, & omnis nostræ cognitionis, & voluptatis initia; eos inter ceteros digniores asserere æquum est, è quibus homini digniores cognitiones, & præstantiores voluptates adueniunt, & ad foelicitatis adæptionem ampliora subsidia. Itaque considerandum est, hominem visu tantum, & auditu disciplinæ capacem esse: visus enim beneficio ex se artes, & scientias inuenit, auditu verò discit ab alijs. Primaque cognitio, quam de Deo, atque Intelligentijs naturæ lumine adipiscimur, ipsius visus opera aduenit; ea verò, quæ diuina reuelatione habetur, auditus; cui etiam accepta referenda est utilitas, quæ homini à sermone provenit; prout visui, ea quæ à litteris, & scriptio-
ne; quæ fortasse ceteras omnes exsuperant, quæ ab ipsis sensibus afferuntur. Scriptio autem, non modò absque auditu non perciperetur, sed neque etiam formari posset. Nam vt animi sensa ipsarum rerum imagines sunt; ita sensorum verba; verborum scriptio, quæ ad auditum referuntur; unde alienus cernitur animus. Qua in re licet ab auditu visus vincatur, illi tamen ex aduerso præstat quòd litterarum opera, actionum, sententiarumque humanarum, temporum omnium, ac locorum notitiam affert; ex qua summa cum suauitate eximia prudentia comparatur, & earum rerum doctrina, qua facilius ad nostratam perfectio-
nem, foelicitatemque perducimur. Itaque à visu, audituque ingenia, atque innumera commoda, eaque assidua, non sine magna voluptate percipimus, quam nullus consequitur dolor; à reliquis verò sensib. longè pauciora, ac leuiora; cùm rationali potestati exiguum afferant adiuuentū; eorumque voluptates, licet vehemē-
tiores, longè tamē rariore sunt, ac breuiores, easque maximi plerumque dolores, morbi que comitantur; ac si plus æquo exercentur, mortem accelerant. Quòd si visus, vel auditus deficeret, præter eorum cognitionem, quæ ad sustinueris functionem scire hominem necesse est, ceterorum fere hominum consuetudine interdiceretur, ijsque commodis, magna ex parte, quæ tum ab illa, tum à rationali potestate procedunt, quibus minimè caretet is, cui quiuis ex alijs sensibus deesse fingatur; modò communem viuendi vsum nunquam desereret. Quā obrem nullum dubium est; visum, auditumque reliquis sensibus esse digniores; ex his autem, visum meritò auditui anteferri: nam præterquàm quod eo destitutus, sine aliena ope viuere nequit, & ipsam fere vitam odio habet, maiorem
(vt ait Aristoteles) nobis cognitionem affert; plures rerum differentias manifestat; nos ipsos, tum nobis, tum alijs reddit vtiores, & pluribus, maioribus-
que

que voluptatibus complet. Auditui verò secundus locus sine controuersia debetur; cæteri autem eo sequuntur ordine, quem exposuimus. Quod quidem ex eo patet, quòd odoratus, magis spiritualis est, proinde veluti duo priores etiam seiunctis obiectis, suo munere fungitur. Atque ij eo quoq. nomine digniores videntur, quòd communiores sunt, cum idem visibile, & audibile, itemque odorabile, eodem modo, eodemque tempore; plurimorum sensibus offerantur, quod neq. gustabili neq. tangibili vsu venit. Cum autè eorum sit operatio spiritualior, magis etià còtinua est, cù assidua sentientis delectatione, qui in eorù vsu parum lassatur, quod duobus reliquis haud contingit, qui in suis functionibus, labore, & societate facillè capiuntur; propterea nec diu perseverant. Quamquam eorum perseveratio horum vehementiori impressione pensatur. Itaque horum excessus, cum operationes materiales, brutæque sint, magis etiam damnantur, vitioque vertuntur: nam qui diutius illis incumbit, sæpe ad iuuandum cæteros fit ineptus, & non rarò sibi ipsi, atque alijs nocet, quod tribus prioribus non est tam facile. Idcirco eorum obiecta magis sunt obuia, nec in eorum comparatione, aptatione, & vsu æquè laboratur; quasi natura eorum sensuum operationes, qui sentientem ipsum magis lædunt, consultò difficiliore reddiderit, vt illis moderatiùs operam daret. Vehementes enim ipsorum voluptates clauis illi sunt, quos apud Platonem dicit Socrates, corpori animam affigere, neque eam extolli permittere. Ijs autem adiunctæ videntur, tamquam illectamenta quædam, vel præmia eorum laborum, quæ illius corporis partibus perferuntur, dum vegetatiuæ potestati opem ferunt. Priores enim sensus longè digniores censendi sunt, quòd dignioribus facultatibus opitulentur, præterquàm quòd eisdem magis cognoscit homo, quod sibi noxium, vel vtile est, quàm duobus reliquis, visu præsertim, in quo sensibilem ferè omnium obiectorum, quasi quoddam imperium residere videtur, vt in odoratu, eorum, quæ ad gustum, nec non etiam eorum, quæ ad tactum pertinent: his enim duobus sensibus, illum natura in brutis animalibus, quasi ducem quemdam constituit: nam cæterarum quidem rerum odoribus ad suas operationes vtuntur, non tamen vt illis delectantur. At homo quàmuis ob-

20

30

tusius cæteris animalibus, tamen ferè omnes sentit odores, & noxios, molestosque vitat, iucundis verò, ac suauibus oblectatur, quamquam rerum à gustu, tactuque alienarum; quibus sensibus (vt apparet) nobilior est odoratus. Tactum autem, gustus dignitate superat, cum sit quidam tactus, mollior autem, velut internus; & à magis sensitiuis partibus, & mollioribus exercitatus, & longiorem affert oblectationem. Tangibiliù voluptas, quæ ad venerem pertinet, non solius est tactus, sed absque visus approbatione vilis, ac neglecta est. Quod quidem formarum quarundam, colorumque, atque ætatum fuga, in illis congressibus indicat.

DE DIGNITATIS INTER POTESTATVM,

vel exteriorum sensuum obiecta comparatione.

CAP. IX.



ERVVM cum potestates, & sensus, operationis gratia, à natura tradantur, nam nisi operetur animal, nec voluptatem capere, nec perfici potest; operatur autem cum propria obiecta congruè potestatibus, admouet, vel potestates obiectis. Cum igitur de potestatibus, & sensibus dictum sit, nonnulla quoque de obiectis ipsis dicenda sunt, quæ tamen ad ea, quæ sequuntur vsui futura videantur, vt quæ ad exteriorum sensuum obiecta spectant: nam quæ ad cæteras potestates pertinent, præter ea quæ eorundem sunt sensuum exteriorum, reliqua non magnam differentiam habent. Exteriorum igitur sensuum obiecta, nimirum color, sonus, odor, sapor, & qualitates tangibiles suorum sensuum ordinè

sequuntur; eodemq. ordine alterum ab altero superatur, modò proportio inter illa seruetur, vt nobilioris coloris, ad nobiliorem sonum; idemque in cæteris. In plures. n. species singula diuiduntur, quas distinctè, exactèque explicare, minimè necessariū est; cum in præsentia sufficiat nosse, inter eiusdem generis, eiusdemq. sensus obiecta, ea nobiliora esse, quæ maiorē ipsi sensui voluptatem afferūt; quæ quidem ea sunt, quæ maiorem etiam cum illo proportionem habent. Hæ autem sunt mediæ species, nam extremæ inter se contrariæ, velut immoderatæ, & incōmensuratæ eum lædunt, & nonnumquam eiusdem temperiem soluunt; vt (ne lucem, vel tenebras afferamus) inter colores albus, & niger; cum hic visiuam virtutem vehementiùs congreget, ille disgreget. Medij verò colores, cum moderatè 19 quodam temperie sensorio offerantur, ipsum oblectant, atq. demulcent, ijque magis, qui vel artificio, vel natura aptiorem, quàm extremi, & moderatiorem temperiem sortiuntur; ita vt venustiores sint, & iucundiores, & visum recreent, & confirmant. Quamobrem natura benignissima mater, coelum, maria, & remotiora loca, colore cæruleo aspergit, terras verò viridi, qui quidem reliquos oēs colores iucunditate vincunt; vt etiam in Iride cernere est; & languentem animum, plus cæteris, à molestia, ac mœrore auellunt, moderato tamē splendore excepto, qui summè exhilarat; cuius rei testis est in publica lætitia ignis, qui non solum magnam cum oblectatione conspicitur; sed, vt formale obiectum, causa est, vt cætera etiā 20 conspiciantur. Idem autem in sonis euenit: Nam acutus sua celeritate peruasus; grauis verò tarditate obtundens, auditum lædūt; sed mediij soni ex extremis (vt diximus) conflati, ob suam temperiem, ac proportionem, remissiores sunt, & suauiores. In cæteris quoque sensibus idem contingit; nam à proprijs obiectis, cum extrema sunt, ita læduntur, vt à medijs oblectantur. Qua ratione dulcis sapor, nō videtur inter sapores (vt Aristoteles censet) extremum locum tenere posse, sed potius medium; neq. amarus medium (vt Galenus asserit) sed potius extremum; quamquam fortasse gustui sua qualitate minus molestus est, quàm acer, aut acidus, quos ille in extremis locat. In odoratu sane, non minùs quàm in cæteris sensibus, idem apparet; licet non tam exactus in homine sit, quàm in brutis: quæ quidem causa est, cur pleraque odorum nomina, ab ipso sapore mutuetur. Inter eos 30 verò mediij iucundi, suauesq. sunt; at extremi vehementiores; neque molesti modò, ac noxij, sed interdum etiam letales. Propterea hic sensus gustui, & tactui hoc quoque nomine anteire videtur, quòd ad vitandam perniciem, non mediocri nonnumquam præsidio esse videtur. Ipsi autem tactui maior cæteris varietas inest; cum ei, vnus generis obiectorum loco, plura insint, nempe calidum, & frigidum; humidum, & siccum, cum reliquis quæ ab ijs oriuntur. Horū autem generū clarior in primo extremorum læsio est, cum intenduntur; licet in cæteris quoque molestæ, iucundæque qualitates satis apparent; ita vt de illis pluribus agere nihil opus sit. Quod verò de simplicibus obiectis dicitur, de compositis æquè dictū intelligatur. Simplex appello, vt dulce; compositum autem vel mistum, vt dulce simul, & acidum, aut amarum. Quæ quidem obiectorum compositiones, quo ad diuersos sensus, diuersorū sunt opificū opera, quibus eorum temperies, ac perfectio cognita est; perfectior autē est iucundior. Auditus enim cantorem habet, qui sonos componit, & miscet, & de compositorum proportionibus iudicat, quos concentus, aut consonantias vocat, vt quintam, vel octauam: & hanc suauiore affert, quòd dupla sit, quæ mistio inter voces perfectior est; velut in numeris ratio duorum ad vnum; alterā minus suauē, quòd sit sexquialtera, minusq. perfecta, vt duorum ad tria: & ita in reliquis. Visus porro pictorem, atque infectorem habet, quibus colorum cognita mistio, ac perfectio est; vt odorum, saporum, & tangibilium alijs. Ad summam, ex sensibus obiectis, ea sunt ignobiliora, quæ lædunt, 50 ac propterea mala dicuntur; ea nobiliora, quæ delectāt, & voluptatem afferunt, ac dicuntur bona, vt bonus odor, aut sapor, itemque in cæteris. Quod autem

tem

rem in reliquorum sensuum obiectis bonum dicitur, aut malum; in visus obiectis propriè pulchrum dicitur, aut turpe. Non enim (vt nonnulli asserunt) pulchrum boni indicium est, sed huiusce sensus ipsum bonum. Quamobrem pulchritudo nihil aliud est, quàm visibilis obiecti quàm tale, bonitas, & perfectio, quæ (vt diximus) ex ipsius obiecti proportione, & commensu oritur ad visuam vim relato. Itaque ad auditus obiecta transfertur: sonora enim hominis, aut auis vox, aut etiam harmonia à nostris pulchra dicitur; vt in se ipsa, & cum auditus virtute proportionem habens. Transfertur etiam ad intellectus obiecta, & sensum aliquod, vel rationum, vel actio pulchra dicuntur

10 propriæ perfectionis respectu: nam cunctis perspectis, quæ insunt, proportionem quãdam, & commensum habent, quæ ratio ipsa, & intellectus, quasi animæ oculus oblectatur. De contrariis autem sunt dicenda contraria. Cum verò bonus dicitur color; non tam ad visum relationem habere intelligitur, quàm ad visibile; propterea quòd colores pro colorati natura sunt considerandi, vt carnis in carne. Atque ita homo bono esse colore dicitur; non quòd is color simpliciter venustus sit, sed illius naturæ congruens, & bonam colorati valetudinem arguens. Pulchrum igitur aut turpe visui, est veluti consonum, aut dissonum auditui. Vnde etiam visus obiecti præ audibili conisci differentia potest (ne nunc reliquorum sensuum obiecta referantur) nam, præterquam quòd plura pulchra

20 sunt, quàm sonora, eaque vt plurimum sine studio, solaque natura delectant; hæc verò artificio indigent, vt hominum instrumentorum, necnon etiam auium voces; certioresque illorum, quàm horum sunt impressiones; quæ nam vox, aut harmonia, cum visibili omnium rerum aspectu, præsertim cæli, ac stellarum, & admirabili hominis specie, ac pulchritudine comparari potest? Hæc igitur inter visibilia obiecta nobilissima sunt; sed ea videntur cæteris anteferenda, quæ diuturniorem voluptatem afferunt, & firmiorem, quæque plures simul potestates oblectant. Propterea magnus erga amicos, probosque liberos est hominum amor, & erga uxorem longè maior, forma, pudicitia, prudentiaque præstantem;

30 cunctas enim animæ potestates delectat, & veluti pars potissima est domesticæ felicitatis. Sed iam ad dignitatis comparationes, eamque primùm, quæ est inter artes, accedamus.

FINIS LIBRI DECIMIQUINTI.



AD O VARDI



AD O V A R D I G V A L A N D I

P I S A N I

EPISCOPI CAESENATIS

DE CIVILI FACULTATE

Liber Decimus sextus.



DE DIGNITATIS ARTIVM INTER SE
comparatione. C A P . I .



N superioribus dictum est, omnium nostrarum operationum finem voluptatem esse, & omnia illius causa ab omnibus fieri. Quamobrem sicuti gratia definiuntur apta deorsum tendere, levia sursum tanquam ad terminum; ita non solum homo, verum etiam omne animal, aptum ad voluptatem percipiendam definii potest: cum autem proprie (ut supra diximus) illius percipiendae principium sit, & aptitudo. Ut enim graua non nisi in imo, leuia in summo, ita animal non nisi in voluptatum perceptione quiescit. Ac licet complures dimittantur voluptates, & plurimi 40 assumantur labores; non tamen sumuntur hi, nisi illarum gratia; neque illae dimittuntur, nisi maiorum voluptatum percipiendarum, vel fugiendorum dolorum causa. Veluti graua altiore locum deserentia, quamuis praeter alio quopiam humilior sit, assidue profundiore inquirunt, leuia contra; ita & animalia, ac praecipue homines, ijs dimissis obiectis, quae minorem afferunt voluptatem, ea sequuntur, quae maiorem afferre solent. Ut igitur finis efficientis perfectio est, ita voluptas viuentis, & illius causa vita diligitur, quam odit quicumque voluptate omni destitutus est, vel dolore refertus, quasi suae miseriae capacitatem. Quae vero homini voluptatem afferunt, vel eius capiendae commoditatem, ea plerumque ad illum usum, ita sunt suapte natura inepta, ut ex accidenti potius, 50 & casu quodam, quam ad ipsius beneficium natura genita videantur. Ac nisi via, & ratione quapiam ea in suum usum componere, & parare curaret, vitam quidem

dem tueri vix posset, sed vt bene beatèque viveret, fieri nullo modo posset; quandoquidem ea vt plurimum obiecta, commodaque deessent, vnde non solum voluptas, sed viuendi commoditas aduenit, ac vt sponte affluerent, habitus tamen, & scientia bene illis vtendi sæpè deficeret. Quo fit vt ars sit necessaria, quæ, Aristotelis sententia vbi natura deest, supplere conatur. Artis autem subiecta materia (vt generatim dicamus) ea omnia sunt, quæ natura proueniunt apta, vt hominis vlti, ac foelicitati accommodentur. Cum enim natura res gignat, vt sint, & conseruentur; illa verò eas aptare ad suum commodum quærat, ineptas omnino, & inutiles, præterquam casu, esse necesse est; siue animatae sint, siue inanimatae; nisi aliquatenus immutentur, & nouam formam, atque aptiorem assumant. Quin etiam, cum is ipse minus nonnumquam idoneus sit, tam animo, quam corpore ad suum finem adipiscendum (quod varijs impedimentis, & præcipue ignoratione aliqua accidere solet) vias, rationesque indagare cogitur, quibus vtrumque emendetur, & ad beatitudinem dirigatur. Itaque artium opera, res naturales ad suum vsum accommodat, sequitur ipsum, vt rectè ijs possit, ac sciat vti, atque ita, quanto magis fieri potest, perfectus, beatusque reddatur, Deoque similis, qui sua essentia perfectissimus est, & beatissimus. Verum cum postremus finis vnicus sit, vera scilicet, honestaque voluptas, atque foelicitas; videtur aliquo pacto vnica ad eum perueniendi ars esse, ciuilibis videlicet facultas, neque alia præterea opus esse. Tamen cum innumeræ sint res, quæ dispositione, & præparatione egent; necesse est eam vel in multas distrahi, vel plures sibi ministras, & adiutrices asciscere ad suum finem adipiscendum, in quem illa immediatè tendit; & vt totius gubernatrix, & dux animæ nostræ potestatis, moderatur, vt obiecta appetant, ijsque vtantur aptè ad eiusdem finis consecutionem. Cæteræ verò suos particulares fines ad eum dirigentes, eique quasi famulantes, plurimas afferunt commoditates, sine quibus omnis esset profusus inanis labor. Nec vlla omnino est, cui finis loco, non sit aliquod propositum bonum, aut opus, quod ad voluptatem, foelicitatemque assequendam sit adiumento; alioqui artis nomine esset indigna. Nam quod videatur alicui malum aliquod esse propositum, id hominum malitia fit, qui in malum vsum boni conuertunt, quod pluribus quoque bonis à natura productis commune est. Quæ obrem, tradita à nonnullis artis definitio rationi consona videtur, nempe ad finem aliquem humanæ vitæ vtilem tendentium præceptorum congeries. Quamuis pro respectuum diuersitate, diuersas admittat definitiones, quæ quidem, vt sint exactæ, non minus respicere oportet potestatem, quæ cognoscit, quam quæ operatur; cum sit cognoscitiuæ partis virtus, quatenus effectricem ad finem aliquem dirigit, quo à scientia differt, quæ in veri cognitione terminatur. Idcirco Aristoteles vtrumque complexus, artem esse dicit habitum rerum faciendiarum cum vera ratione. Ad finis autem acquisitionem, necessarius est motus; rebus enim immobilis ad nullum finem perueniretur, & quiescens artifex operis auctor, causaque non esset. Nam si taceat orator, & Medicus ocio indulgeat; nec per suasio, nec bona valetudo consequi potest. Propterea dubium nullum est, quin hîdem termini motus, quibus suis in operationibus natura vtitur, etiam in arte locum habeant; quamquam illa internum principium est, hæc autem externum. Atque ij cum causis ferè concidunt, è quibus (philosophorum sententia) quatuor præcipue, ac per se sunt; nimirum Agens, Materia, forma, & finis; duæ verò sine quibus nihil fieri potest, locus, ac tempus. Etenim applicatio, quæ causas omnes ad actum de potestate deducit, cum nulli vsui nobis esse possit, in præsentia dimitteretur. De instrumentali autem, quæ cum agente numerari solet; vt plures simul agentes conferamus, qui diuersis instrumentis ad eundem finem vtantur, separatim a nobis mentio fiet. Hæc igitur causæ ad omnium rerum productionem concurrunt, quæ tam arte, quam natura fiunt; quippe quæ ad motum

Ethic. lib. 7
cap. 17. in

fin.

Ethic. li. 6
cap. 4.

tum sint necessariae, sine quo nec natura, nec ars quicquam operatur. Agens est artifex, is scilicet qui materiam mouet, & circa eam agit, ut formam in ipsam introducat, ac finem adipiscatur; ut Statuarius. Subiecta materia illa est, quae ab agente mouetur, motuque disponitur, ac formam accipit; ut marmor, aut aes. Forma perfectio est in materiam ab agente inducta; ut imago Principis. Finis idem est cum forma; eius autem est respectus diuersus: quatenus enim materiam perficit, rei que dat esse, quae Principis statua ab ea appellatur, forma dicitur; quatenus autem agentis motus in ea tetminat, eaque adueniente quiescit, finis. Locus, ac tempus sunt, ubi, & quando agentis motu in materiam forma, finisue introducitur. Instrumentalis ea adiumenta, ac media sunt, quibus ad materiam mouendam, formamque in illam introducendam ueitur agens; ut scalprum, ac malleus, caeteraque huiusmodi, quae pro materiae, aliarumque causarum diuersitate, diuersa sunt, tam animata, quam inanimata. Quibus omnibus ipse motus accedit, ea uidelicet effectio, qua agens utitur ad finem in materiam introducendum.

*FINEM RELIQUIS TERMINIS DIGNIOREM
esse solum tamen artem non constituere.*

CAP. I.



VNCTIS autem his terminis finis est dignior; tum quod digniorem reddit artificem, tum de potestate ad actum deducens; materiamque perficiens; tum quod operationum ipsius artificis regula est, ac mensura. Nam cum finis gratia cuncta fiant, is recte, artificioseque fecisse iudicatur, qui ita fecit, ut ad finis consecutionem oportuit. Ille igitur dirigit, & ab illo; pendent, illiusque gratia fiunt omnia. Quin ipse artis finis in artificis animo ita haerens, & quasi radicans, uti naturae semen in terra, ut gignere sibi simile possit, artificis forma est, & ars ipsa. Neque enim est aliud iuris prudentia, quam ius à Iuriconsulto probe perceptum, & firmiter animo eius infixum. Neque medicina, quam bona valetudo à medico exactè apprehensa, & in eius mente impressa. Verum & si finis tanto caeteris terminis nobilior est, non tamen solus artem constituit; ac licet duarum artium vnus prorsus idemque sit; nihilominus vnā reddere vtramque non potest. Si quidem eos, qui Statuariam, ac Picturam vnā artem esse dixerent, propterea quod idem essentialiter (ut ipsi loquuntur) vtriusque sit finis, non rectè sensisse arbitramur; tum quod earum finis, quamuis aliqua ex parte per similes, specie tamen vnus non est; cum vltimae vtriusque differentiae valde sint diuersae, atque ita subiectum; neque vnus esse finis possit, nisi eadem vnus generis subiecti forma, & perfectio sit; tum verò quod licet vnus esset finis, non tamen sequeretur duas illas artes vnā esse; cum tam diuersa sint media, quibus ad eum finem ab eisdem artibus pertuenitur. Quemadmodum nec ea medica ars, quae valetudinem aegrotanti verbis restituit, cum ea, quae medicamentis, est eadem. Nec ars Librarij, cum arte typographi; quamuis idem omnino sit essentialis vtriusque finis, idemque subiectum. Atque longe magis vnus (ut ita dixerim) acupictoris, stragulaeque vellis textoris finis est cum pictoris fine; sculptorisque, ac plastis cum fine statuarij, quam pictoris, ac statuarij fines inter se; et tamen artes sunt diuersissimae; quoniam vltimae finium illarum differentiae, medique quibus introducuntur diuersa sunt. Etenim eum ars (ut dictum est) sit praeporum ad vnum finem tendentium congeries; ubi eorum ratio diuersa est,

sa est, variari artem est necesse. Vt autem sit vna; cognoscitiuæ, & effectiuæ partis habitum vnum esse oportet, ac demū eamdem viam ad eumdem finē perueniēdi. Nā artem eamdem esse asserere, quoniam eundem finē habeat non secus esset, atque affirmare viam, qua ex occidente Romam peruenitur, cum ea, qua ex oriente eamdem esse. Statuariæ igitur, picturæque principia, communia esse verum est; quemadmodum plerisque etiam nobilioribus artibus, mathematicorum terminorum cognitio est necessaria, quos simul omnes sequuntur, donec ad eos deveniant, qui earum artium proprij germanique habentur: vnde ad suos singulæ fines diuersis itineribus, ac rationibus pergunt. Itaque, vt eadem principia sint, ac vt fines quoque ijdem esse concedantur: non tamen artes sunt eadem; cum media tam diuersa sint, viæque, ac methodi, quæ ad earum fines perducunt quibus propriè ars ipsa constat, quæ tum demum est vna; cum vnus est motus: nempe cum artificis operatio, præcipueque termini, quos supra tetigimus, sunt prorsus ijdem. Hæc autem consideratio huic tractationi est necessaria: qui enim è duobus artibus vnicam conflatur, omnem inter eas dignitatis contentionem extinguit.

DE ARTIVM DIVISIONE AD EARVM
dignitatis inuestigationem necessaria.

C A P. III.



30 **N** VNC, vt ad rationem conferendarum inter se artium accedamus, primū est earum explicanda diuisio, non quod cunctas sigillatim comprehendere propositum sit; tum quod minime necessarium est (cum non omnium comparatio à nobis quærat, sed paucarum exemplo illius indagandæ modus) tum quod fieri nullo pacto potest. Nam præterquam quod innumeræ sunt, præsertim præstantiorum ministræ; quodque artificia subiectorum varietate variantur (vt de pictoris tabula, & acupicto opere iam dictum est) diuersis locis, ac temporibus sunt diuersæ: earum enim complures varijs assidue casibus pereunt; quarum scilicet morus paucis artificibus cogniti cum eisdem intereunt; aliæ verò, partim hominum studio, & industria; partim casu, quotidie reperiuntur. Earum autem diuisio à cunctis, qui supra expositi sunt terminis sumi posset: verum nos, maioris commoditatis, ac perspicuitatis causa, in præsentia à fine sumemus, à quò, multo plusquā à cæteris, in ipsa comparatione veluti manu ducemur. Quoniam verò finis bifariam consideratur; realiter videlicet, atque formaliter: realem illum dicimus, qui ipsam rei essentiam, naturamque spectat; vt cum finem medici (quæ bona valetudo est) quatuor humorum temperiem esse, & rectam corporis partium structuram asserimus: formalem illum, qui civilem facultatem respiciens, quomodo illi ea ars famuletur, demonstrat, quodque ad humanam voluptatem, ac foelicitatem, afferat adiumentum. Vt cum eamdem valetudinem quæri à medico affirmamus, quo corpus, ad civiles exercendas operationes, animæ imperium exequi possit. Prior autem modus is est, quem operationum artificis diximus regulam, mensuramque esse; posterior verò, qui ad efficiendum excitat, inuitatque artificem; vt id bonum assequatur, quod confert ad foelicitatis adeptionem. Nos igitur à fine posteriori modo accepto, diuisionem sumentes artium, alias primarias, alias ministras esse dicimus. Primariæ sunt, quæ immediatè conferunt, vt medicina: ministræ quæ immediatè, dum primarijs inserviunt; vt medicamentaria. Ex primarijs, aliæ ipsum hominem ad honestam voluptatem capiendam disponunt; aliæ

alię parant obiecta, & eas, quas afferunt, commoditates alia remouent, impedimenta: alia locum aptant; aut tempus indicant, vbi, aut quando sit capienda. Hęc autem bona, illa sunt, quę humano labore, ac diligētia comparari possunt, supra à nobis in summam redacta: bonę enim operationes, & signa hęc sequuntur, quę hominem ipsum disponunt, vel animum curant, vel corpus: animum ciuilis facultas, qua vera voluptas ostenditur, mediaque, quibus illam homo consequi possit: corpus medicina, quę ipsum conseruat, valetudinique restituit, & actionibus, ac voluptatibus aptum. Quę obiecta parant, & commoditates, eorundem obiectorum diuisione diuiduntur, quę potestatum animę nostrę diuisioni consona est: ad ea. n. omnia referuntur; vt ijs voluptatē, & comodū adferat, & in suis actionibus opitulentur. Hęc autē esse diximus rationale, sensitiuā, irascibile, vegetatiuam, ac motricē. Artes rationali obiecta parantes, quę scilicet operam dant, vt homines de hominibus bene merentes, dignique honore reddantur, præter ipsam ciuilem facultatem, quę in vniuersum huius doctrinę magistra est, poësis, atque historia eandem particularem doctrinam tradunt; illa luuiter fingens, & imitanda proponens viorum virtute præstantium opera, bonorumque præmia, & malorum pœnas; hęc verò gesta exponens; vt lector improborum exempla deprehetur, & vitet; proborum verò commendet, atque amplectetur. Nequē minùs ars oratoria, quę homines oratione ad vera bona appetenda, comparandaque impellit; & ad abominanda, declinandaque contraria. Sensitiuam in interiores sensus, exterioresque diuisimus. Ex interioribus nullus, præter memoriam, alte indiget, cui memoratiua inseruit, loca formans, atque imagines. Exteriorum cuique varię artes accommodantur. Ad visum enim pertinet statuaria, fusoria, calligra, sculptura, alięque non parua, quę in varias subiectas materias rerum naturalium, artificialiumque varias imagines introducunt. Pictura item, ceteręque artes, quarum diuersa materia est, forma eadem; vt quę vermiculato opere, vel tessellato, vel segmentato, vel phrygio pingunt, vel in stragulis, alięque huiusmodi. Præterea insectoris ars; itemque saltatoria, ac gesticulatoria; ad summam omnes, quę figuris, coloribus, motibusue delectant. Quamuis statuaria, ac pictura, earumque assulæ, illis annumerari meritò possent, quę ad rationalem pertinent; cum non tam vt visum oblectent, quàm vt mores iuforment, inuentæ fuisse videantur, quasi tacita quædam, vel potius rebus ipsi loquens poësis, atque historia. Quo fit, vt eas vera religio probeat, & in sacris ædibus admittat. Ad auditum referuntur, canendi, psallendique artes; illa voce tantum, hęc instrumentorum varietate insignis: ad odoratum, vnguentaria: ad gustum, culinaria, alięque cibos condientes, vina curantes, alioque liquores: ad tactum, vestiaria, alięque innumeræ, quę vel totum corpus, vel eius partes indumentis operiunt, & à frigoris, calorisque excessu, ceterisque tangibilium qualitarum iniurijs, tuentur, & simul ornant. Irascibili potestati artes ministrant, quę arma, telaque elaborant, non minùs ad tuendum, quàm ad lædendum corpus idonea; tam singulorum hominum; vt gladios, hastas, loricas, clypeos; quàm totius simul exercitus, ac ciuitatis; vt tormenta, & mœnia, vel munimenta, quę sunt totius corporis coniuncti quasi quædam lorica. Ad eandemque potestatem etiam artes pertinent, quę cum occasio postulat, eisdem instrumentis vtuntur, & reliquas comprehendens ars militaris. Quę quidem, licet ad irascibile propriè spectare videatur, cum tamen rationem sequitur ducem, cunctis hominis facultatibus fit communis; vt mox dicetur. Ad vegetatiuam pertinet agricultura, pastoralis, venatoria, aucupatoria, piscatoria, & magis immediatè pistoria, alięque victum parantes, quę hanc potestatem per se respiciunt, vnde corpori nutritio, & auctio aduenit, & fere per accidens oblectare gustum videntur, non vt eę, quę propriè ipsi sunt attributæ. Ad motricem referuntur artes, quę vel

motus vel quietis causa hominē iuuant. Motus quidem, vel proprii corporis, vel ceterorum, quæ grauiā sunt, vel simul omnium. Proprii corporis, vt currendi, luctandi, scandendi, natandi: ceterorum, vel simul omnium, quæ instrumentis inanimatis vtuntur, quæque illa condunt ad facilem, celeremque sui corporis, aliorumue motum, non minus in terra, quam in aqua. In terra, quales sunt equi, aliaque animalia homini vehendo idonea, vel plaustra, rhedæ, lecticæ, quæ ab illis ferantur. In aqua verò diuersæ ad fluuios, aut mare transnandum naues, ratesque. Aliorum autem grauium motus causa; vt quæ ergatis, tympanis, rotis, alijsque machinis onera quamuis magna tollunt, aut transferunt, humanas vires in immensum augentes. Quietis porro gratia; quæ varia ad commodè sedendum, iacendumque conficiunt instrumenta. At verò homini ab homine allata impedimenta, iurisprudencia, ac militari facultate remouentur: illa enim priuatæ emendantur iniuriæ, & societatis conseruandæ causa ius dicitur: hac homines publicas iniurias, quibus societatem laceffit societas, propulsant, & vlciscuntur, sui que ciues à seruitute, belloque liberantur, eisque cum victoria libertas, & pax comparatur, & vnà securitas non suis modò, sed hostium quoque bonis fruendi. Quæ quidem artes cunctis potestatibus inseruire videntur, veluti eæ, quæ ad locum, tempusque referuntur. Locus architecti opera, & ædificatoris aptatur, ceterorumque, qui publica, priuataque ædificia, tam sacra, quam profana ad hominum vsum constituunt, vt in ijs suas operationes commodè, iucundèque exercere possint. Temporis diuisio, & mensura ab astronomia indicatur, ab eaque arte, quæ varia horologiorum genera comminiscitur. Eius autem oportunitas generatim ab ijs, qui practicæ astrologiæ dant operam, particulatim verò à quolibet artifice in sua arte. Hucusque præcipuarum artium nonnullas explicauimus; harum autem ministræ, propè (vt diximus) sunt innumera; rarè enim ex præstantioribus reperiuntur, quibus complures non ancillentur. Namque aut earum formant artificem; vt (exempli causa) vmbra tilis pugna, & equitandi ars, aliaque non pauca, militari facultati equitem, & ducem parant; aut instrumenta conficiunt; vt ephippiarius, ac frenarius equiti; aut maneriam præbent; vt fusori ærarius, structori fornacarius, coriarius sutori, & eodemque modo alia. Sunt tamen nonnullæ, quæ neque alijs ministrant artibus, neque potestati vlli obiecta, aut commoda elaborant, nouarum formarum insubiectas materias inductione; sed ab alijs elaborata, ad commune omnium commodum negotiantur. Nam e locis, quæ ijs abundant, ad ea quæ eisdem destituuntur, transferri curant, vt mercatura, quæ pro negociorum diuersitate diuersa est, non minus cum obiecta actu transfert; vt frumentum, aromata, ceteraque huiusmodi, quam cum potestate vt pecuniam, quæ nobilioris mercaturæ species est, valde vñtata. Vt in summa confeceramus, omnis fere ars vni pluribus facultatibus, vel artibus inseruit; & hæ ministræ à nobis dicuntur, illæ primariæ, quæ simul vniuersæ civili facultati famulantur, & ad illos suos cunctæ dirigunt fines.

FINIS FORMALI, VEL SOLO, VEL ALTERIVS
termini ope dignitatem artium diiudicari.

CAP. III.



Lib. 3. c. 3.

Artium igitur inter se comparationem accedentes, earum precipue finem tamquam ducem sequemur, illum scilicet, quem supra formalem diximus: is enim civilem dirigit ad dignitatem diiudicandam, sicut materialis artificem ad operandum. Nam cum finis cuiusque quoddam bonum sit civili facultati ad quampiam hominis voluptatem, & ad felicitatem inferens; ea profecto cuius est potior finis, eique facultati, felicitatique utilior; ex consequenti dignior erit; ea vero minus digna, cui saluus bonus est, atque utilis finis. Apparet autem, cum artium fines proficui sunt, ex ijs artifices premia, honoresque referre; cum vero inutiles, contemptum, atque ignominiam. Verum quamquam ex bonorum aestimationis regula superius a nobis explicata, de artium finibus, deque bonis a quacumque earum provenientibus; quodnam praestantius sit, iudicari posse videtur; tamen haud facile est; quoniam fines interdum non sunt probe cogniti, & ut sint, differentia utilitatis, ac voluptatis, quam quisque affert; exacte discerni non potest. Etenim qui aut consultum cum medico conferre voler, & si medicum finem, bonam valetudinem esse cognosceret, finem iurisperiti forlasse ius esse ignorabit; ac ut sciat, vter finis utilior homini sit, non facile statuet, neque propterea quis sit dignior. Itaque conari oportet, aliquod huic obscuritati lumen asserre. Primum igitur eos artium fines in universum praestantiores esse dicimus, qui aut pluribus animarum potestatibus simul, aut nobiliori aequae, aut vni & eidem amplius commodant. Inde enim maius homini emolumentum affertur. Praeterea quarum digniores sunt fines; reliquos quoque earum terminos esse digniores; artificem scilicet, subiectum, operationem, atque rem ceteros. Ex adverso, ubi hi digniores sint, fines pariter digniores esse. Nam subiecti dignitatem, non prout subiectum naturalis praedati res est, capere oportet, puta aurum, aut argentum, sed ut aptum ad dignioris formae susceptionem, eum sibi inuicem respondere necesse sit; propterea quod finis (ut diximus) est artificialis forma, & in subiecto quidem re ipsa; in artifice vero ipsa virtute inest; eaque non nisi in determinatum subiectum, determinata operatione perducitur; quippe qui eiusdem omnino motus sint termini. Quod quidem non eo dicimus, quod a finis ducto, qui tertior, & lucidior est, ad reliquos terminos transeat, sed in arduis conventionibus, hoc illi subsidium adiungimus. Quamquam vero hi termini ex se inuicem aperiuntur; tamen circulare hanc explanationem, velut imperfectam reiicientes, eum artificem digniorem esse statimus, in quo ad sui operis absolutionem, primum animi, deinde corporis perfectio maior exigitur; quaeque tribus ijs necessarijs qualitibus, vel saltem aliqua superat; nimirum scientia, potentia, ac voluntate suo opere iuvandi homines. Adeoque subiectum dignius esse, quod sua forma insignitum, digniores effectus parit, qualia sunt quae pluribus, vel dignioribus diuturiora commoda afferunt. Denique effectivam illam digniorem esse, quae maiorem industriam, laboremque postulat, & maiori cum periculo exercetur: eos enim amplius sibi devincit artifex, quibus maiori suo incommodo, & dispendio prodest. Reliqui termini, nunc dimittantur, utpote notiores, & ad hunc usum minus proficui. His iactis fundamentis, dignitatis inter artes comparatio

paratio facilior, ac certior redditur. Nam & cum finem vtiliorem ostendimus, digniorem artem demonstramus, cum finis id bonum sit, quod ad hominum commodum ab illa prouenit, & quodammodo ars ipsa; nihilominus, cum solius finis demonstratio aliquando non satis sit euidens, alterius saltem termini operis, omnis difficultas amouetur. Si enim duos cuiuspiam artis terminos, ijs præstantiores ostendimus, qui in arte, quæ confertur, illis respondent; tertij termini præstantia euidentiori necessitate inferitur. Verum ante omnia explicare terminos oportet, eosque, si obscuriores sint, accuratè definire; vt inter eos, qui sibi proportionem respondent, collatio fiat: nam in terminis hallucinari, magna prorsus difficultatis, & erroris causa.

DE DIGNITATIS INTER IURIS

prudentiam, & medicinam comparatione.

CAP. V.



TAQVE, vt in iurisconsulti, medicique perstemus exemplo, qui sunt artifices; huius quidem subiectum est humanum corpus ægrorans, in quod bonam valetudinem querit inducere, qui eius est finis, medicamentorum applicatione, quæ eius operatio, & curatio est; illius vero subiectum, ciuilis societas, finis ius, operatio responsum, siue consilium. Cum autem reliqui termini, manifesti sint, fines explicare satis erit, tam materiales, quam formales. Dicimus igitur valetudinem, humorum æqualitatem esse, quam medicus inquirat, vt humanum corpus, suis naturalibus operationibus aptum reddatur. Ius vero, bonorum inter socios æqualitas est, vel moderata socij potestas in bonis, quasi societatis valetudo, quam querit iurisconsultus; vt societas conseruetur, suisque actionibus edendis sit apta. Itaque, si dignior artifex queritur, affirmari posse videtur, quanto ciuilis societas cum suis actionibus, hoc est subiectum, finisque iurisconsulti, vnicum hominem, eiusque actiones, videlicet medicj subiectum, ac finem, dignitate superat; tanto artificem illum, huic, iurisconsultum scilicet medico præstare; cum ille plus proficit, quasi societatis hominum medicus sit, hic vero hominis. Cuius sententiæ comprobatio, inde etiam sumi posse videtur, quod neutra harum artium suum finem producat; sed in productione adiuuet; medicus quidem naturam, quæ in homine vegetatiua potestas est; iurisconsultus autem legem, quæ rationalis. Vt igitur hæc potestas illam antecedit, ita suapte natura iurisprudencia medicæ excellit facultati. At vero iurisprudentiam brevibus sententijs, tamquam aphorismis, comprehensam ferè, & explanatam habemus, quæ quidem à summo ingenio, prudentiaque iuris profectæ videntur; cum eas vniuersis prope modum orbis per totam sæculam comprobant; mutilatæ tamen sunt; & vicesque dissolutæ; principijs, methodoque destituuntur, interpretum numero valde confusæ, & explicationum diuersitate distractæ. Medica autem facultas plurimos tam veteres, quam recentiores scriptores Græcos, Latinosque, atque Arabes singulari scientia præditos nascas mirum, quantum cæteris artibus doctrinæ ordine, ac soliditate, vbertateque antecedit. Quo fit, vt medicus suis in operationibus commodius, certiusque quam iurisconsultus progrediatur. Nam quod iurisprudencia, ciuili facultati, medicina autem, naturali philosophiæ subijciatur, nullam insignem differentiam parit. Si tamen illam iurisconsultus tam cognitam, perceptamque haberet, quam hanc bonus medicus; haud exiguum fortasse illi ex ea adiuuentum accederet. Verum cum Aristoteles hæc

absoluisse, illam imperfectam reliquisse videatur, ea in parte, quæ ad leges spectat; in causa est, ut iurisconsultus eorum principiorum inopia, vnde iuris, legumque artem deducere possit, ad particularia consilia se conuerterit; cumque suorum responsum exactam reddere rationem non possit, eorum affert opiniones, qui sentire secum videntur, quas non ponderat modò, sed numerat. Quamvis autem ille artifex dignior censeatur, ad cuius perfectionem, nobilioris subijcientis concurret cognitio; & diligenter scrutari dum conferuntur oporteat, quænam ea sit, quidque conducat, quæque sit, & quid conferat altera artifici, qui ei comparatur; non tamen excellentiæ iudicium inter subiectas, pro subijcientium dignitate fieri debet: nulla enim inter has, & illas differentia videretur; 10
 cum tamen maxima intercedat. Nam ad alicuius artificis perfectiorem, sæpe plures artes, ac scientiæ sunt necessariae, sine quarum cognitione suam probe cognoscere, & exercere non potest. Quæ quidem seorsum considerata, licet sint plurimi faciendæ; nihilominus illius partes portionesque non sunt, neque in illius comparationem cum cæteris ingrediuntur; cum proprii tantum termini spectandi sint, atque opus, quod ab illa producit. Quemadmodum inter eximios colores nonnulli sunt, quos pannus non imbibit, nisi alijs antea coloribus sit infectus, qui quidem abvltimo conteguntur, qui præcedentium virtute solus apparet: eodem modo, si futuri medici animus, non prius grammaticam, logicam, naturalemque philosophiam hauriat; iurisconsulti verò, præter duos priores, 20
 civillem quoque facultatem, ac non his, quasi dispositiuis coloribus, eorum quisque inficiatur, propria suæ artis qualitate colorari exacte non potest; quæ cum aduenit, idem profus operatur, ac sensitiva potestas (Aristotelis sententia) cum aduenit vegetatiuæ; vel rationalis, cum vtrique: nam vtraque virtute remanet, ut trigonum in tetragono. Quod verò ad collationem attinet, eas adeò obumbrat, ut præter postremam nulla propemodum consideretur. Quæ res etiam in artibus locum habet, quæ ab alia quapiam ita pendent, ut efficere, nisi ea præcipiente, nihil norint. Veluti quæ vermiculato, vel phrygio opere pingunt, aliaque huiusmodi ab ipsa pictura, quæ non principia tantum ijs tradit, eorumque rationem reddit, quæ ab illis fiunt; verum etiam, uti magistra, exemplar pro- 30
 ponit, quod illæ in suis subiectis effingant.

DE DIGNITATIS INTER STATUARIAM,

et Picturam comparatione.

C A P. V I.

VERVM, cum inter statuariam, atque picturam, magna sit contentio dignitatis, quæ acri ingenio, summaque peritia 40
 viros diu torsit, non erit fortasse inutile experiri, quid eiusdem suppositionibus, in ijs quoque artibus possit afferri. Et ut ab artifice ordiamur, quem digniorem tunc esse diximus, cum ad suum finem consequendum, maiori indiget perfectione, cumque scientia, voluntate, potentiaque suo opere iu-
 uandi superat, Michaelis Archangeli Bonarroti summi vtriusque artis opificis, Beniuenti Cellini, aliorumque peritorum sententijs inherentes, qui statuario afferunt iudicium magis exactum, mensurarum notitiam certiore, maioremque delineandi peritiam necessariam esse, ideoque facilius illum picturam, quam pictorem statuariam assequi: non dubium est (cum iudicium quasi animi artificis 50
 perfectio sit; mensura verò, ac delineandi ratio, vtriusque artis vigor, ac spiritus). quin ea cognitione, quæ ad suam facultatem spectat, statuarius pictorem superet.

ret. Quo veerò ad potentiam attinet, prætor animi robur, de quo dictum est, corporis quoque maiores in statuario vires exiguntur, ad suum grauissimum subiectum, suaque instrumenta tractanda. Voluntatem iridem maiorem esse, indicat labor, qui (vt actionem cum agente iungamus) in statuaria operibus, picturæ laborem longe excedit. Præterea temporis diurnitas, patientia, impensa, molestia in statuaria maior est, atque vnà periculum; cum illius errores minus sint emendabiles. At pictor nullo cum incommodo, celeriter, tutoque operatur: adde etiam cum voluptate: nam sensim operis fructum cernit, in quo suo arbitratu, nullo periculo errores emendat. Ex his autem infertur, maiorem
 20 statuario, eiusque artificio perfectionem inesse. Et vt ad subiectum veniamus, aperte patet, quantopere marmor, aut æs (nam de fusore eadem, ac de statuario dicimus) tabulas, coloresque antecellat, non precio modo, & magnificentia, neque quòd sua soliditate, qua non minus tactus, quàm visus obiectum est, rei magis veritatem, naturamque exhibeat; verum etiam, quòd sua duritie statuariae beneficium, non diurnius solum picturæ opere, sed propemodum reddat æternum. Cum post tot annorum millia, Aristotelis, Alexandri, Homeri, Herculis, aliorumque herorum faciem offerat. Vnde generosi animi ad præclara, gloriosaque facinora aggredienda perpetuo inflammantur. Propterea Scipio Africanus suorum maiorum statuis, se vehementer ad virtutem incitari dicebat. Verum in vtilitatis sermonem ingressi, ad artis finem peruenimus, quæ
 30 statua est, quàm pictis imaginibus vtiliorem esse reipublicæ, affirmare sine controuersia possumus. Nam præterquam quod hominum animos ad res eximias, validius multo, ac diurnius tabulis pictis impellit, publicis, apertisque in locis ad exemplum, ornatumque proponi sine eo periculo potest, à quo pictæ tabulæ non sunt immunes. Quamobrem semper egregijs viris, statuas potius, quàm pictas imagines erectas fuisse accepimus. Neque defunt, qui non vtiliores modo statuas, sed etiam iucundiores tabulis pictis esse contendunt: non enim dumtaxat ad exemplum proponi, & ad insignium virorum memoriam diutius conseruandam; sed ad publicam, amplioremque spectantium voluptatem, cum non
 30 vnico aspectu, vt pictæ imagines, verum pluribus, vndecumque delectent. Propterea mirum fuisse negant; quamuis pictura nobilissima sit, vt certe est, statuariam eidem summo artifice laternâ picturæ visam, eundemque inter has artes, non absimilem differentiâ statuisse, atque inter solem, ac lunâ; quippe quia pictura magnum à statuaria lumen mutuatur. Adcirco maiori in precio, & honore semper habitas fuisse asserunt, & nunc etiam ab omnibus haberi statuas, quàm pictas tabulas. Verumtamen non pauciores pictura fautores habet, qui pictorem dicunt pro statua, non vnicam vnus hominis imaginem, sed sæpe eodem temporis spatio, historiam in tabula pictam proferre; nimirum cuncta, quæ homini quasi per fenestram prospicienti, sub aspectum cadunt, & vnico intuitu illius oculis offeruntur. Quæ cum plurima, & varia sint, coloribus, & figuris, alijsque qualitatibus, quantitatibus, locis, & actionum, motuumque diuersitatibus inter se differentia; cum artificiosè exprimuntur, necessario maiorem spectantibus voluptatem afferre. Ad eamque rem, non solum summam miscendorum, tractandorumque colorum peritiam, pro tabulæ, aut parietis diuersitate; sed etiâ perspectiuæ scientiam necessariam esse; sine qua congruas rerum magnitudines, & pro locorum situ vera interualla, seruari non posse. Itaque si vnica hominis imago, vni statuæ comparetur; fortasse statua horum iudicio ob multiplicem aspectum, & materię magnificentiam superabit. At si cum statua huiusmodi historia conferatur, quæ ambæ pari temporis spatio à suis artificibus absolui possunt, vincet historia. Quæ
 30 enim statuæ, Constantini, & Maxentij prælio, à Raphaele Vrbinatè in Vaticano pictæ; aut eiusdem Bonarroti iudicio in Sixri æde effictæ, comparari posse putandæ sunt? Nam quod ad multiplicem statuæ aspectum attinet, nihil mirabile esse

esse ducunt, cum solida sit ipsa materia; sed longè esse admirabilius à Pictore in plana superficie imagines pingi, quæ luminum, atque umbrarum vi, non tabulæ inhærentes, verum ex ipsa prodeunt, & promiæntes, ac propè solidæ videantur. Neque minorem præbere admirationem aiunt, contractas, decurtatasque imagines, quæ cum sæpe vix pedales sint, æquare tamen hominis iustam longitudinem, ab inspectantibus existimentur. Addunt præterea, quod multa pingi; quam sculpi possunt; ut aer, lumen, tenebræ, fulmen, aliaque non pauca, quæ nonnumquam mirificè historiam ornant, visumque oblectant. Quæque hominum pinguntur imagines, colorum viribus recum veritatem, singularumque partium naturam, præsertim oculorum vigorem, quo statua penitus destituitur, magis referre, & validius animi affectus exprimere; ita ut vivere, ac spirare, & propè moveri credantur. Demum picturam abundantiori visum incūtilitate perfundere, colorum videlicet a spectu, imaginum pulchritudine, varietate, ac certitudine. Ita ut si quis cuncta exactè perpendat, non vni omnes laudes tribuere, sed dividere inter has artes cogatur, ut affirmare fortasse possit, statuariam ampliolem vtilitatem, & dignitatem picturam verò vberiolem hominibus voluptatem afferre.

DE DIGNITATIS INTER ARTES MINISTRAS
iuxta earum fines ac materias comparatione. CAP. VII.



QUONIAM verò huiusmodi collationes ad primarias potius artes, quam ad ministras pertinent, non erit ab instituto nostro alienum, dignitatum quoque, graduumque ordinem inter eas, & primarias investigare. Cum igitur cunctis in rebus, in quibus aliquod principium est, ordo in earum ad ipsum comparatione spectetur, cumque causæ vniuersalia principia sint, necesse est pro rerum ad eas comparatione, ordinem considerare. Cum autem in superioribus demonstratum sit, artis terminos cum causis eisdem esse; ut ordo, gradusque artium cognoscantur, eas cum terminis conferre oportet. Quæ quidem consideratio, non solum ad artium præstantiam diiudicandam, erit accommodata; verum etiam magistratum, munerum, actionumque, quæ vno motu comprehenduntur, & ab vno agente ad vnum finem sunt institutæ. Itaque dicimus terminos iam explicatos, quo ampliores sunt, eo digniores esse, ut inter fines postremum, qui reliquis potior, & vtilior est, eique viciniore ordine: anteriores enim omnes comprehendunt; tum quod priores posteriorum sunt gratia (nam hi sine illis libenter eligerentur, at illi non nisi horum causa eliguntur) tum quod à postremis anteriorum omnium ipsis subiectorum causæ redduntur. Erenim finis, Aristotele teste, eorum, quæ illius gratia fiunt, est tamquam hypothesis, & omnium operum quæ in eum diriguntur ratio redditur, cur talia sint, quoniam talem esse finem oporteat, cui inferuiunt. Inter subiectas materias, dignissima pariter vltima est; cum præcedentium formarum opera, perfectiorem constitutionem sit affecta; ab ijs enim aptior redditur, ad vltimam formam suscipiendam; & quo ei quæque propinquior est, eo dignior. Verum ut finium, subiectorumque postremum dignitate præstare asserimus, ita agentium, primum; quoniam reliquos subiectos habet, ab eoque principium motus procedit, atque is vltimum finem in vltimam materiam introducit; veluti exercitus imperator, cui tamquam primo agenti laudes victoriæ tribuuntur, qui finis est vltimus. Cæteri quo primo propiores, eo digniores sunt: eorum enim fines sunt vltimo propinquiores. Quoniam autem secundus agens, ferè primi instrumentum est; nam inferior superiori subiectum parat; idcirco vniuersum eius opus, videlicet

Ethic. lib. 7.
c. 8. & Eud.
lib. 1. in fi.

delicet subiectum ab eis iam forma impressam, fit subiecta materia superioris; Ex operationibus verò, ea quæ primi agentis est, dignior habetur, & deinceps reliquorum, qui ei sunt ordine propioris, cùm per illam in dignius subiectum, dignior finis introducatur, ac sub se ceteras virtutes contineat. Ex instrumentis illud dignius, cuius gratia reliqua; & id, quod, siue animatum, siue inanime, maius est, ac validius agentis enim vires magis augens, eique maius ad suum finem adipiscendum auxilium præbet. Tempori longitudo maior, & in se uallum maiorem quoque dignitatem conciliat: nam, nisi contrarium constet, præsumitur ab agente secundum naturam comparato, hoc esse probum, cui longius operandi tempus affuerit, maius etiam commodum, ac beneficium prouenisse; Denique, locus, ubi agens operatur ad eorum commoditatem, qui eo continentur, (vt in illa ciuitate bonus Princeps solet) quidam amplior, & capacior est, & personas digniores, ac res continet, eo dignior præstantius enim est beneficium, quod ab illius operatione in plures prouenit, & magis promeritos. Ex his suppositionibus primam elicimus, quod cum plures artes ad eundem finem subordinantur, quæ videlicet vnicum subiectum, quadam serie cunctæ ad suam perfectionem perducunt, vt ad telam sericum, vel lanam rudem; eâ est suapte natura nobilior, quæ vltiorem finem, ac formam, quæ dignior est in illud introducit, donec ad eam perueniatur, quæ vltimum finem affert; quæ quidem in eo subiecto, sine controversia reliquis præstat; vt in proposito exemplo ars textoria, quæ telæ formam inducit, quæ postrema est, ac pannum contexit. Quamquam, ubi hæ artes sunt in prætio, & à prioribus non respuuntur, anteriores, si, non posteriores artes assumunt, vt labores, atque inmunditias vident, neque ipsi omnino sint ociosi, neque à rebus gerendis earum studio auocentur. Verum tamen ipsi, non industria, vel artis nomine, sed, vel familiarum splendore, vel diuitiis, posterioribus eiusdem subiecti artificibus antecedunt. Animaduertendum est autem, quod licet alij sint præter textorem artifices, quibus tela ipsa subiecta materia est, in quam nitorem, ornatum quæ inducunt, vt fullo, aut infector; non tamen eo digniores habentur: non enim essentialem ei perfectionem, sed accidentalem adijciunt. Is autem, cum ei subiecto præsit, ea ipsum forma insignit, à qua, veluti nobiliori, opus denominatur. Præcipua ergo est eius ars; illæ verò adornatrices, atque ministræ, non secus atque eæ, quas materiam eidem textori parare diximus. Quamuis hæ ab illis dignitate vincantur: nobilior enim illis materia est, ac dignior finis. Inter eas autem illa præstat, quæ præcipuum opus elegantius reddit, atque ornatius. Eodemque modo de cunctis artibus statui potest, quarum fines, in eodem genere subiecto serie, quadam ad vltimum quempiam finem tendunt. Hinc autem dilucidum fit, eorum opiniones non veras esse; qui eas artes digniores arbitrantur, quæ magis sunt necessaria. Eaque ratio, quæ ab illis affertur, falsa omnino videtur; eas scilicet proportionem cæteris respondere, vt ædificio fundamentum, quo contineri rem omnem asserunt, & illius stabilitatem esse, ac firmitudinem. Nam licet cæterarum quasi fundamentum sint, non idcirco sunt digniores, cùm fundamentum, quamuis necessarium, reliquo ædificio non sit dignius: siquidem Aristotelis sententia, finis, & id cuius gratia, nobilior est eo, quod est propter finem; cùm igitur ædificium finis sit, & id cuius gratia iacetur fundamentum, nobilior eo esse certum est; neque enim fundamentum iaceretur, si absque eo consistere ædificium posset, quod libenter etiam sine illo eligeretur, ac non sine ædificio fundamentum; sicut & planta sine radicibus, ac non sine planta radices, hoc est, sine ea ipsius parte, quæ fructum affert. Quod igitur inferunt æquum falsum est, nempe agriculturam, vt inter magis necessarias artes numeratur, ita etiam inter digniores numerandam esse; cum procul dubio inter minus dignas sit, reponenda. Et enim eius est finis, plantarum naturæ, in fructum, aliorumque commodorum productione, quæ ab ipsis proueniunt, auxilium ferre, Qui igitur eam medicinæ

dicinæ assimilant, quod utraque naturam adiuuet, irridendi sunt, cum medicina naturæ quidem, hoc est (ut diximus) potestati vegetatiuæ opituletur, hominis tamen, ut suas actiones edere possit; agricultura verò naturæ, id est vegetatiuæ; sed plantæ, ut similiter suas actiones edat. Ea ergo inter eas differentia est, quæ inter earum subiecta; cum reliqui termini eandem proportionem sequantur? Medicinæ autem subiectum, humanum esse corpus superius diximus, quod nobilitate plurimum præstat agriculturæ subiecto; quæ planta est, cuius tantum modo gratia terram colit. Agens siue agricola, corporis potius, quam animi perfectionem exigit. Operatio, siue cultus, magni corporei laboris est, exiguæ industria, & ut plurimum nullius periculi. Itaque ex superioribus suppositionibus, eam inter humiliores locandam putamus, pro ut omnium hominum sententia locatam videmus, quos simul omnes in huiusmodi iudicijs falli difficile est. Quamquam ubi magis est utilis, aut necessaria, consentaneum videtur maiori in pretio illam haberi.

DE DIGNITATIS INTER ARTES MINISTRAS

iuxta ceteros terminos. comparatione.

CAP. VIII.



VERVM de ministrarum artium comparatione, iuxta earum fines, ac materias satis dictum sit. Quo verò ad eam, quæ iuxta agentes fieri potest, nullum dubium est, artes eandem inter se proportionem habere, quam habent earundem inter se artifices. Nam architectus, uti præcipuus artifex, structori imperat, hic verò, uti executor, lapidæ, fornacario, cæterisque huiusmodi, qui ei ministrat. Quapropter, ut architectura prima, ita structoria secunda est, & deinceps aliarum. Quæ ratio, in cunctis artificiosis ministerijs locum habet, quæ ad eundem finem à pluribus administrantur; ut in naui regimine, aut exercitus. Etenim in naui motus, cuius principium à naucleo proficiscitur; in gubernatorem transit, in eosque qui velis, ac rudentibus præ sunt, deinde in remiges. In exercitu, ab Imperatore ad legatos, ab ijs ad tribunos, inde ad centuriones, demum ad milites. Cumque ars, & auctoritas penes priorem resideat; eo reliqui gradatim sunt digniores, ac digniori funguntur munere; quo propius ad illum accedunt. Eademque ratio est in reip: eiusque munerum administratione, qua de re suo loco dicemus. Ex operationibus quoque idè deducitur: nã quo dignior primi agentis operatio erit, ut Architecti præscriptum, vel ichnographia; unde cunctæ inferiorum agentium operationes prodeunt, & ut præcipua causa, structura sequitur, eo ars dignior; eademque proportionem inferiorum agentium operationes. Quanto. n. honestiores, & cõmuni fini utiliores sunt; tanto etiam agentes, & artifices sunt digniores, itemq. artes, earumque munia. Ab instrumentis quoq; licet inferre, artes quæ præstantiora conficiunt, vel ijs utentur; præstantiores itidem fore, ut magis proficuas. Ea verò instrumenta præstantiora sunt, quæ artificem ad suum finem assequendum magis adiuuant. Huiusmodi verò sunt (ut dictum est) maiora, ac validiora; & quorum gratia cætera. Absolute ea, quæ nobiliores artes magis iuuant: homini enim magis conducunt; qualia sunt regula, circinus, perpendicularum, quæ ut geometriæ opera; ita mechanicarum artium sunt ferè duces: linearum enim, & angulorũ certitudinem afferunt pluribus in opificijs necessariam, quæ haberi commode aliunde non potest. Ea autem simplicia sunt, & ut principia, & elementa, ad reliquorum instrumentorum compositionem conferunt. Inter præstantiora verò instru-


instrumenta (vt astronomica dimittantur, quæ potius ad scientiam, quàm ad
 artem sunt necessaria) pixis nautica numeranda videtur, admirandum flauij
 Amalfitani inuentum, cuius ope Christophorus Columbus heroum maximus;
 ingenti animo, summaque virtute, alterum orbem inuenit. Quo quidem ope-
 re nullum ab hominibus maius fieri potuisse putamus; cum ex ea inuentione,
 cunctis ferè vtriusque orbis incolis, ingentia in omne tempus commoda adue-
 nerint. Ea igitur est nauticorum instrumentorum regina, nautæ lumen; qui-
 que ea rectè, prudenterque vtuntur, cæteris in naui artificibus longe antee-
 dunt. Illa autem quorum gratia reliqua sunt; veluti inter militaria manuale
 20 tormentum, cui necessaria est fistula ferrea, rota, ligneumque manubrium, quæ
 diuersarum sunt artium opera, inter quas præcipua illa est, quæ partem fabre-
 facit, cuius causa cætera fiunt; aliæque deinceps pro suorum operum proportio-
 ne. Idem bellico tormento curuli contingit, eiusq. appendicibus. Quod qui-
 dem instrumentum, quanto illo maius est ac validius, tanto ars eius effectrix,
 illius effectricem superat, quæque curuli vtitur, eam, quæ manuali. Denique
 sicut id bellicum instrumentum nobilius est, quo se magis tuentur ciues, & grâ-
 uius hostes læduntur; ita qui id construit opifex, quiue vtitur miles, eo quis-
 que præstantior est, qui sibi responderet; cum ad victoriam magis conducant.
 Eadem ratio in animatis pariter instrumentis locum habet, neque rationalibus
 30 minus, quàm irrationalibus; idcirco armati pedites, velitibus, cataphracti,
 leuis armaturæ equitibus antecellunt: eorum enim sunt opera conducibiliora.
 Nam nullum suis corporibus conatum, imperumue maiorem edere homines pos-
 sunt, quàm si aduersis hastis cataphracti equites concurrant. Quod si magnus
 Alexander, dum vulneratus ferretur, phalangem (vt Arrianus narrat) equita-
 rum anteposuit, id eò fecit, quod cum equitum numerus minor esset, robur exer-
 citus erat phalanx. Præterea solidis ephippijs equites, stapedibusque carentes,
 prout etiam apud Romanos; quamquam peditibus nobilitate præstabant, mino-
 ris tamen erant emolumentum; cum non tam firmiter equis, vt equites nostræ æ-
 ratis insisterent. Quod de militaribus instrumentis dictum est, de ijs quoque
 30 dici potest, quæ reliquarum sunt artium. Etenim in agricultura, nobilius ani-
 matum erit, vt equus, aut bos, quàm inanime, vt ligo, aut bipalium, cætera-
 que inualidiora. In venatione leporarius canis, quàm sagax, qui illius causa
 leporem indagat; & accipiter, quàm aues excitans canis; & inter accipitres,
 hyerax, aut aquila, quàm reliqui; quod nobiliores ab ijs præde fiant, quodq.
 aucupi, & inspectantibus maiorem afferant delectationem. Idemque de rebus
 quis instrumentis, earumque artibus statuendum est. Temporis argumentum,
 vt cæteris in hac tractatione tritius, ita fortasse minus tutum, cum coniectura
 nitatur; tamen non solum comparationi artium, artificumque vtile est, tam eius-
 dem artis, quàm diuersarum; verùm etiam facultatum, munerum, qualitatum,
 40 & graduum hominum. Quin Aegyptij ad homines etiam deduxere; nimirum
 se ipsos primos omnium fuisse gloriantes, ac propterea digniores. Sanè, cæte-
 ris paribus, congruum est; eam artem, vel facultatem pluris fieri, à qua (cum
 in hominum vtu diutius fuerit) maius ad eos emolumentum peruenerit. Quam-
 obrem inter ea argumenta, quæ à statuarijs pro sua arte aduersus pictores affe-
 runtur, illud est, quod etiam (Plinio teste) sit illa vetustior. Pluribus porò in
 vrbibus, sæpe fuit de nonnullarum artium nobilitate contentio, atque ijs, quæ
 vetustate superauere, cum cætera paria credita fuerint, primi sunt honores de-
 lati. Inter diuersarum artium opifices, cum vtra præcellat incertum est; prior
 50 seniori locus tribuitur, quod in vnaquaque etiam arte seruatur: nam præter-
 quam quod præsumitur plus (vt dictum est) profuisse, verisimile est longiori
 tempore maiorem suæ artis peritiam assecutum, & aptiorem ad iuuandum red-
 ditum esse. Propterea in ijs artibus, ac facultatibus, quarum ijs, qui iam pro-
 fecere

fecere, gradus insignia tribuuntur, vel earum exercendarum autoritas; inter artifices non ætatis ratio habetur, sed illius temporis, quo ea autoritas tradita est, tamquam indicium, quod tunc ut idoneus approbatus fuerit, qui ea arte ciues iuaret. Verum, cum de publicis dignitatibus à nobis sermo fiet, cætera quæ ad temporis, loci que rationem attinent, prosequemur. Nunc de litterarum, armorumque inter se collatione, nonnulla dicamus.

DE DIGNITATIS INTER REM LITERARIAM,

& militarem comparatione. C A P. IX.

19



VI. literas cum armis; seu rem literariam cum militari conferunt; non videntur artem cum arte; sed diuersa civilis vitæ instituta inter se conferre: vnica enim literaria, omnes fere artes, saltem præstantiores, & honestiores comprehenduntur: neque artes modo, sed scientiæ quoque, atque habitus animi vniuersi. Quin ipsa etiam militaris ars, litteris quodammodo continetur; nam de ea, tum Græci, tum Latini veteres; tum verò ex recentioribus non pauci scripsere. Si igitur omnes artes, ac facultates, quæ literis mandata sunt, simul comprehendens cum sola militari comparentur, iniqua videri poterit comparatio; fortasse etiam parum prudens; cum literarum nomine res quoque ipsa militaris contineatur. Verumtamen, vtramque ad præscriptam regulam examinemus, quærendum videtur, vtra facultas plus boni reipublicæ afferat, vel afferre sit apta. Cum igitur primum datum fines spectare oporteat, ante omnia opus erit, vt illos inuestigemus: nam rei literariæ finem, multiplicem, explicaturque difficilem esse conuenit, in tanta præsertim facultatum multitudine, & varietate, quæ illa comprehenduntur. Capiendi tamen sunt præstantiorum artium, ac scientiarum fines: ijs enim reliquos contineri par est; cum ad humanæ naturæ perfectionem, tendere omnes sit necessarium. Ac philosophiæ quidem naturalis; & metaphysicæ finis (Aristotelis sententia) sapientia est; ciuilitatis verò facultatis, prudentia, quarum altera contemplatiua felicitas, altera actiua comparatur, quæ ipsius hominis fines habentur, quorum gratia cæterarum omnium facultatum sunt fines, & illis inserviunt, & subministrant. Nam vt rudes animi erudiantur, & ad artes, ac scientias grauiores parentur, artes quæ liberales dicuntur sunt traditæ; ne morbi actiones impediunt, medicina; ne ciuiles controuersias, iuris prudentia. Reliquis artibus, quæ literis mandata sunt, alia ciuium bona quæsiuntur; atque omnium simul opera id demum efficiunt, vt cum ingenij cultu, menteque sana in corpore sano, ius, honestatemque colere; & rerum causas speculari commodè valeant. Quibus rebus, si Christianæ Theologiæ opus addatur, videlicet Dei cognitio, & amor, quæ est ad celestem gloriæ viam, experiri præterea ab hominibus, qui exactam, & iuxta legem dei, hoc est disciplinatum omnium nexum absoluere cupiat, nihil potest. Nam omni proflus corporis, animique impedimento, & errore remoto, aderit tam ætæna, quam contemplatiua felicitas; & spes æternæ beatitudinis, qui sunt rei literariæ fructus, ac fines. Rei autem militaris finis simplex est, & notissimus; nimirum victoria; cuius quidem dignum beneficium est, & ingens in reipublica meritum; cum per eam hostes prostrigentur; bellum cesset, pax redeat, sine qua rei literariæ finibus nullus est locus. Remouet igitur impedimenta militaris, & externam incommoda à reipublica arripit, eique ocium, & tranquillitatem parat; vt res literariæ finibus liberius, ac securius persequi possit. Est ergo literariæ quasi ministra quedam. Et sane, si vtriusque fines inter se comparentur, militaris à literaria superari videtur, cum ad beatitudinem cuncta referantur, & illius gratia

Ethic. li. 10.
cap. 7. & 8.

30

40

50

tia fiunt omnia; licet cum victoria, non modò nostris bonis frui, sed etiam ho-
 stilibus detur, quibus facilius ad ipsam beatitudinem paratur accessus. Si ve-
 rò agentes, eorumque actiones conferantur, in litteris quidem perdilcendis,
 nempe scientijs, atque artibus, quæ ijs continentur, magnus exigitur labor,
 voluptati tamen admittus, nullum periculum, nisi fortasse valetudinis, summa
 tantum assiduitas, & diligentia; præterea sobrietas, ac temperantia. In exer-
 cendis autem suauitas tanta est, vt aliam ferè omnem exsuperet. At verò in
 militari arte addiscenda, atque exercenda, immensus labor, omnium molestia-
 rum, malorumque perpeffio; famis, sitis, caloris, frigoris, vigiliæ, magna pa-
 20 tientia; assiduum vitæ discrimen, vulnera, neces. Restat subiectum, quod in
 re literaria ipse est intellectus humanus, in quem cognitio omnis perducitur
 (pro hominis nimirum captu) tum Dei ipsius, & supernarum mentium; tum
 mundi totius, eorumque omnium, quæ ipso continentur; tum eiusdemmet ho-
 minis, & eorum, quæ ab ipso, vel fiunt, vel fieri & sperari debent. In re autem
 militari subiectum, hostium copiæ sunt, in quas à vincente propriè introduci-
 tur clades, atque calamitas, quæ à Græcis *πρῶτα* dicitur, quæ earum est profligatio,
 aut deletio; vt domitis hostibus, velut instrumentis, eorumque bonis suo
 arbitrato fruatur. Nam quæ victoria dicitur, nobiliori modo in ipsum vincen-
 tem, quàm in victum hostem inducitur. In re igitur literaria subiectum, id est
 30 intellectus, studio doctrinaque perfigitur, magno cum fructu, ac iucunditate lit-
 teris operam dantis. In re autem militari subiectum, id est hostilis exercitus ar-
 mis laceffus, renititur, ac repugnat maximo cum periculo, & damno oppu-
 gnantis. Pater igitur ex cunctis artis terminis, maiori commodo, fructuque
 proprio litteris à ciuibus incumbi, quàm fructu & commodo reipublicæ. Con-
 tra maiori reipublicæ commodo, & lucro, maiorique incommodo, ac dispen-
 dio proprio, armis ab eisdem ciuibus operam dari. Quamobrem si ijs; acq-
 uiescendum est, quæ superius à nobis de artium terminis supponuntur, arma tam-
 quam melius de reipublica merentia, sunt litteris anteferenda; si verò naturam
 duces sequamur, armis litteræ; cum earum finis sit optabilior. Itaque cun-
 35 ctis examinatis, atque perpensis, per se quidem, & suapte natura, dicendum vi-
 detur, armis literas antecedere; cum sint eligibiliores (nemo enim sanus eli-
 geret arma, si in pace absque ijs liceret commode degere) cumque pax natu-
 ralis sit inter homines, qua illæ vigent; bellum verò præter naturam, & pacis
 gratia; per accidens autem arma esse litteris anteferenda; nempe cum earum
 usus est necessarius. Verùm cum sæpe in iniustos homines, & alieni cupidos in-
 eidamus, à quibus (nisi auxilium præstet sit) magnum reipublicæ periculum im-
 minet; sit vt perperuò videantur arma necessaria esse. Neque enim dumtaxat
 curant Principes, atque reipublicæ, vt alij sibi obesse nolint; verum etiam, vt
 non possint, quod sit armis. Si igitur tunc arma præstant, cum necessaria sunt
 40 assidue autem necessaria esse appareat simpliciter, & absolutè præstare litteris
 videri poterunt. At verò ea præferenda arma litteris ducimus, quæ vel actu ci-
 ues propugnant, vel hostes oppugnant, & persequuntur. Nam quem in homi-
 nè irascibilis potestas locum tenet, eundem in rep. obtinent arma (vt Platò e-
 tiam sensisse videtur) quæ instrumenta sunt illius ministerio comparata. At
 litteræ intellectui, & rationali parti ministrant, eamque (vt dictum est) perfici-
 unt. Hanc rerum natura diremisse litem videtur; cum rationali litteras, irasci-
 bili arma ascripserit; vt igitur ad rationalem irascibilis, ita per se & suapte na-
 tura, ad litteras arma se habent. Verùm cum in reipublicæ necessitatibus, ira-
 scibilis rationi pareat, tunc ratio ipsa armis utitur, vt ilius multo quàm litteris.
 50 Tunc igitur arma, vt reip. utiliora, ita etiam digniora; & pluris quàm litteræ
 sunt faciendæ. Enimverò vt natura non separauit in hominibus has potesta-
 tes, quas singulis ambas contulit; ita harum instrumenta in repub. ad ciuium
 commo-

commodum, non sunt separanda. Quod prudentissima veritas, & hominum
 origini propinquior, significavit; tum Mineruam, non modò vt Sapientiæ De-
 am, verum etiam, vt belli præsidem venerata est. Vt enim damnanda esset
 respublica, quæ solis litterarum studijs incumberet, & solam speculationem
 amplexaretur; quippe quæ non hostium modò, sed & quorumlibet perditorum
 hominum libidini esset exposita; ita illa quæ solis armis se totam traderet: hæc
 enim rudes ciues, & barbaros aleret; illa verò molles, & effeminatos. Quod
 sensit ille Gothorum Rex, qui suos milites captarum urbium bibliothecas incen-
 dere cupientes prohibuit; vt hostes, non in armorum dumtaxat vsu occupa-
 rentur, sibi que horribiles fierent, sed in librorum lectione ignauiores potius red-
 derentur, & contabescerent. Pulchrè igitur Augustus Romani imperij limites
 suis legionibus circumsepit; quo factum est, vt degentibus in medio populis
 perpetuam, quamdiu vixit, pacem comparauerit; & interim litteris, tum ipsam
 operam dedisse, tum complures ad eas colendas, tam Poetas, quàm alios scri-
 ptos summa cum laude inuitasse legimus. Quamquam ij qui ad reip. commo-
 dum arma tractant, præstare illis à suis ciuibus existimantur, qui litteras profi-
 tentur: cum enim tubæ canunt & tympana perstrepunt, silent gymnasia, & fri-
 gent litteræ, atque in virtute, & robore militum, omnium salus reposita est.
 Quæ res tanto interuallo, anteire litteris iudicatur, vt multi negent, rem om-
 nem litterariam, Principem religioni non ascriptum decere. Nam effeminare
 animos (vt dictum est) & reddere ad militiam ineptos creditur, & ad ipsam
 remp. tuendam inutiles. Itaque laudabiliorem Principem illum videri, qui per
 omnem ætatem armorum studio, quàm qui litterarum disciplinæ incumbit;
 præsertim vbi ab hostibus timendum sit; vt nostræ ætate, cum Christiani nomi-
 nis hostis acerrimus, omnium ceruicibus imminet. Esse enim militiam Princi-
 pum artem, in qua se assidue exercere, & diem conterere illos oporteat; cum
 litteras ad remp. gubernandam necessarias, virorum doctrina præstantium ser-
 monibus, succisuis horis addiscere possint. Indicare hoc aiunt marmoreos ar-
 cus, triumphos, titulos, qui non eorum doctrinæ, & eruditioni, sed fortitudi-
 ni, & armorum peritiæ tribuuntur. Nam neque M. Antonino quem Philoso-
 phia excelluisse narrant, neque Iustiniano, qui tot legum volumina edidit, ne-
 que reliquis Imperatoribus doctrina insignibus, eruditi, aut docti titulum attri-
 butum accepimus, sed inuicti, aut victoris, & triumphatoris; præterquam si
 qui pueri fuerint: vt Archadium, & Honorium in Claudiani Poetæ inscriptio-
 ne, quæ adhuc extat, doctissimos Imperatores à Senatu appellatos uidemus;
 qui tamen sua doctrina, cum occasio tulit, neque patriæ salutem, neque admo-
 dum magnam sibi ipsis laudem comparauere. Ac profectò quicumque armis
 excellere cupiunt, nobilissimam inter homines excellentiam quærere videntur;
 modò pro reipublicæ commodis, & omnino pro aris & focis arma sumere parati
 sint; nimirum ad abigendos hostes, ad Tyrannorum euerisionem, qualis Tur-
 carum dominus est, ad innocentium salutem; deniq; non modò ad eorum com-
 modum, pro quibus pugnant; sed eorum etiam contra quos pugnant; vt olim
 Osirim ferunt, & patrum nostrorum ætate, Hispanos, Lusitanosque Reges, ad-
 uersus Canibales, & Brasilidis, aliosque noui orbis incolas. Qui enim sui re-
 gni augendi cupiditate belligerantur; iam non laudibus in cælum ferendi sunt;
 cum non alijs, sed sibi consulant, & cum aliena pernicie, pro suo commodo pe-
 riclitentur. Cumque non sint benefici, auaris diuitibus assimilantur; nam vt
 mediocriter diues liberalitate præditus, locupletissimo avaro præfertur; ita viri-
 bus, & armis inferior, qui pro suorum ciuium, aliorumue honorum salute cer-
 tat, & sanguinem fundit, potentissimo Regi, pro sui imperij finibus proferendis
 certanti, longè præferendus videtur. Quamobrem verè fortem virum, præ ijs,
 qui reliquis virtutibus præstant, omnes homines admirantur; & (vt etiam su-
 perius

perius dictum est) ad eum vsendum magno cum stupore concurrunt. Eorumque qui pro patria occubuerint, laudes perpetuò vigent, & memoria est sempiterna; quamquam laudari, & extolli pro merito minimè possunt. Quis enim Leonidæ Spartani cum suis sexcentis, præclarissimam apud Thermopylas mortem, vllis laudibus, aut monumentis æquari potuisse existimet, qui Spartam proficiscenti cuidam, & quidnam referret roganti, nunciare suis ciuibus iussit, ibi se vitata cum socijs libentissimè profudisse, vt ipsi in patria feliciter viuerent? Atqui huiuscemodi quidem virtutissimis viris, pro vitæ profusione, nullum satis dignum præmium rependi potest. Neque enim laudes (vt dictum est) neque statua, nec vlla omnino monumenta, ingentibus eorum meritis æquari videntur. Verumtamen haud exiguum censendum est, posteros suos, tantorum meritorum hæredes, hoc est nobiles in patria relinquere. Cuius rei testimonium, vel magnum est, gentilitiorum insignium vetustissimus vsus, quæ ab Italis arma dicuntur; cum ea referant arma, quibus maiores nostri in prælijs vsi sunt. Nam finguntur in scutis, quibus galea diuersimoda, cum cristis, varijsque apicibus imponuntur: quæque ijs carent familia, ne utiqua nobiles existimantur; quasi nobilitas non aliunde, quàm ab armis procedat. Nihil enim quidquam huiusmodi ostentare ij possunt, qui literis operam dedere; quamquam etiam literis illustrari familiæ videntur: nam plurimæ ad maximos magistratus, & summæ dignitatum fastigia literarum merito peruenere. Sed quæ in Remp. beneficia armis conferuntur, longè præclariora esse ostendimus, & splendidiora, quàm quæ literis; quippe quæ vniuersæ Reipublicæ conferant, cum eorum dumtaxat detrimento, qui cæteris profunt. Quæ profectò res, omnium ciuium animos mirum in modum illis, eorumque posteris deuincit. Hinc historias, & poemata videmus arma canere, & in cœlum tollere; quæ, si literas eodem modo laudent, & de ijs magnificè agant, ridicula penitus, ac frigida videbuntur. Dicat quis, armis innumera mala, cædes, rapinas, incendia, religionis labefactionem, regnorum, & rerumpublicarum euersiones inferri; quæ quidem negari minimè possunt; at hæc mala, hostium plerumque arma, non ciuium Reipub. adferunt; quin etiam pijs ciuium armis sæpissimè repelluntur. At verò ipsorum ciuium perditorum hominum literis, quæ vulnera Reip. inferri possent, olim Arrij, atque Sergij, aliorumque complurium impietas in Christianam rempublicam declarauit. Et nostra ætate literaria impiorum immanitas, & vesania eandem Remp. ita lacerauit, atque affixit; vt nulla vmquam arma tantam vlli Reipublicæ cladem attulerint: nec tanti mali finem vllum videmus. Nam vt arma literis, ita nonnumquam impiorum armis literæ aditum in Resp. patefecere. Hæc igitur lædendi aptitudo, cum rei militari, ac literariæ, tam inter se, quàm cū omnibus ferè bonis communis esse videatur, dimittenda est. Ac dicendum, quod, vt cibi sanis hominibus medicamentis sunt præferendi, cum sit sanitas, quæ illis fouetur secundum naturam; medicamenta verò cibis, dum ægrotant, donec conualescant; cum sit morbus, qui ijs abigitur, præter naturam; ita literæ velut animæ pabulum in pace, quæ secundum naturam est homini, armis sunt præferendæ. At in bello, quod præter naturam est, arma, donec pax reparetur, sunt literis anteferenda. Per se igitur, & simpliciter (vt dictum est) armis literas; per accidens verò, & secundum quid, arma literis antecellere statuendum videtur.

Gg

Digni-

DIGNITATEM ARTIVM, ET ARTIFICVM,
prò respectuum, locorumque diuersitate mutari. Cap. X.



Væcumque hætenus & artium dignitate à nobis dicta sunt, earum simpliciter respicere naturam videntur; verum pro animæ potestate, ad quas referuntur; vel etiam finium diuersitate, immutare conditionem possunt: vsus enim artis equitandi, quæ potestatis motricis suapte natura ministra est, inius in bello, vel concupiscibilis, aut irascibilis causa, equitem minus dignum reddet, quàm in bello iusto, vel gratia rationalis. Quoniam autem hæc comparationes ipsarum sunt artium, si ad diuersarum artifices deducendæ sit, in sua quemque arte æquè perfectum esse necesse est. Nam licet dixerimus iuriconsultum medico antecellere, si tamen huic præclara doctrina, & experientia suæ artis cognitio, illi verò inertia insit, cõtra fiet; cum hic ad valetudinem reparandam sit aptus, ille verò ad ius restituendum ineptus; eademque proportione in ceteris. Quod in ætatis etiam comparatione locum habet: nam cum excellentia plurimum differunt, nisi modestia contrarium suadet, plus merenti, quamuis iuniori, maior honor debetur; cum beneficium, quod inde ad Rempublicam ciuesque peruenit, præstantiæ artium mensura sit, & artificum, qui publicorum beneficiorum, & commoditatum sunt velut instrumenta. Quod in ipsis instrumentis clariùs patet: nam licet testudo cithara nobilior sit, pluris tamen sit egregia cithara, quàm imperfecta testudo. Idemque de artificibus, qui eis vtuntur dicendum videtur. In ijs denique collationibus, quæ inter eiusdem artis opifices fiunt, is dignior habendus est, qui exactius finem assequitur. Quod si in eo pares sint, is præstat, qui tutius, & celerius ad finem peruenit: plurium enim operum fieri auctor potest; sed is longè magis, qui ad veram hominum voluptatem, ac felicitatem suum finem dirigit. Aduertendum est autem, quod licet hæc videantur secundum artium naturam dicta; immutari tamen possunt, prout in aliqua ciuitate alia ars alia vtilior; & ubique, mutata necessitate, vel oportunitate, nobilior, aut ignobilior habetur: vt pacis tempore togatus, litterisque præditus in pretio est; tempore verò belli horridus miles amatur.

Postea verò quàm de dignitatis artium collatione, ac simul de benefica societate factis dictum fuisset, de Amicitia sibi auctor disserendum statuerat; est enim utrique societati valde affinis, nempe iuridica, ac benefica. Nam amici, aut amicis commoda prebent, vt paria vicissim accipiant, quod quidem iuridica societatis est proprium; quamquam sine pactis tradunt, quoniam mutuo sibi fidem habent; socij autem in iuridica pactis, & contractibus inter se viuunt. Aut bona conferunt, non vt tantumdem accipiant, sed gratis, & vt bene illis sit, quibus conferunt, quod proprium est beneficæ, hoc tamen non tam indigentia eorum causa faciunt, vt benefici, quàm beneuolentiæ; & si tantumdem retribuatur, non repudiant, quippe qui bona inter se communia ducant. propterea illis de iuridica, & benefica societate tractationibus hanc de Amicitia subnectere cogitabat, cum neque simplex, & pura iuridica sit, nec benefica, neque etiam ex utraque composita, sed proportione quadam utrique respondeat. Mox de Dominica, siue herili societate disputationem instituisset, qua tertia pars princeps supererat totius huius moralis doctrine sibi ad tractandum proposita cap. tertio, & quarto libri sexti. Has vero de amicitia, & de herili societate disputationes quatuor libris, qui subsequuturi erant, complecti decreuerat; Deinde libros quoque subtexere ad Rempublicam, & ad rem familiarem spectantes; quorum omnium ille decedens magnum sanè nobis desiderium reliquit. At tu his saltem, candide Lector perfruere, & Vale.

FINIS LIBRI DECIMI SEXTI.

RERVM, AC SENTENTIARVM, quæ vniuerso hoc opere continentur maximè notabilium locupletif- simus Index,

Cuius prior numerus paginam, posterior verò
lineam designat.

A



- Bundantia, & diligentia quo- modo consideranda sint in be- nefica societate.* 190. lin. 10
Abundare se credit nemo, aut non egero. 266. 16
Academici, vt Plato, & Xe- nophon, de civili facultate tra- ctarunt. 2. 35
Acceptio promissorum, & obligationis, & mutua obligatio idem sunt. 134. 43
Accipiendi precipua causa, quæ. 126. 32
Actio, qua Deo ipsi similes sumus, quæ. 267. 35
Actio iniusta quando dicatur iniuria. 183. 13
Actio eò laudabilior est, quò maior vis irrationali parti honestatis gratia inferitur. 204. 4
Actio iusta media non est inter agere iniuriam, & pati. 151. 19
Actio secundù virtutè est omnium nobilissima. 56. 46
Actio, cognitio, & appetitus exiguntur ad quèlibet motù absoluedù, pro voluntatis cõparatione. 86. 35
Actio secundum virtutem perfectam est hominis vltimo fini valde annexa. pag. 8. 14
Actio iusta media est inter tradere plura, & pau- ciora, & inter plura, & pauciora accipere. 151. lin. 20
Actio iusta quæ. 283. 10
Actio iusta secundù equalitatem commoda afferens prodest, ac iuuat, non ius ipsum proprie. 184. 32
Actio iniusta quando non dicatur iniuria. 183. 12
Actio aliqua, finis loco, aliquando adiuncta est spe- culationi, aliquando nulla. 317. 28
Actio iusta per se nec nocet, nec prodest. 151. 14
Actio nulla esse debet benefici in beneficio repen- do. 267. 45
Actio, a qua homini felicitas aduenit, vnde oria- tur. 200. 30
Actio eadem quomodo fit dedecus, & pudor. 308. lin. 17
Actio omnis tam bona, quam mala, a cognitione pendet. 59. 16
Actio in rem apud Iuriconsultos quid. 166. 51
Actionem aliquando impedit obiectorum præsen- tia, quò minus appetitum sequatur. 59. 4
Actionem secundum virtutem perfectam non esse felicitatem, probatur contra Aristotelem. 7. 40
ad Actionem quæ requirantur. 315. 31
Actiones potestati animæ cuius sint gratia. 326. 24
Actiues bonorum sequuntur scientiam, volunta- tem, & potentiam. 259. 56
Actiones iniuria ve vmbra quidem honoris ad- mittunt. 289. 4
Actiones aliquo modo affectiones esse. 43 51
Actiones maxime necessariae, & omnium præstan- tissima quæ. 193. 18
Actiones non sunt semper vniusmodi. 97. 6
Actiones interceptas esse, contemplationem verò assiduam qui dicunt, Aristoteli aduersantur. 320. 16
Actiones exteriores animum declarant. 183. 50
Actiones morales non pendent a legibus. 201. 28
Actiones cuiuslibet agentis ad finem directa, aut ipsum assequuntur per se, vel ex accidenti. 183. 4
Actiioni cuiuslibet cognitio, & appetitus inest. 213. 14
de Actionibus quid doceat Arist. 211. 41
Actionibus dimissis speculationem sequi velle, quid sit. 318. 31
Actiouis, non contemplationis gratia hominem gen- itium quid argumento sit. 320. 35
Actiouis totius iudicium non tam ex agentis con- silio, quam ex euentu faciunt homines. 214. 20
Actiouis contemplationem, & prudentia sapien- tiam ministram esse docens Simplicius, & Auer- roes. 319. 17
Actiouis principia in singulis hominibus pro cor- poreâ habitudine constituuntur. 83. 45
Actiua quare est cõtèplatiua minus nobilis. 317. 12
Actiua contemplatiuam incundiorem esse qui di- cunt, Aristoteli aduersantur. 320. 18
Actiua non minus operatur in ocio, quam in ne- gocio. 320. 24
Actiua in Republica præponitur cõtèplatiuæ, illi sci- licet, qua Philosophi inania cõtèplabantur, non autem illi contemplatiuæ, qua nos diuinitas re- uelata cõtèplamur. pag. 321. 20
Actiua quomodo sit finis hominis, & quomodo con- templatiua. 320. 42
Actiua felicitas quo comparatur, & quo cõtè- platiua. 346. 31
Actiua vtilitas contemplatiuæ damnum. 321. 8
ad Actiua perfectionem, & finem omnes peruenire possunt; ad contemplatiua fere nemo. 721. 16
Actiua obiecta quare sint ipsi homines. 320. 14

I N D E X

<i>Aetiva quinam contemplatiua cedere iudicauerunt.</i> 317.	15	<i>prehendit.</i> 287.	40
<i>Aetiva vite, simpliciter, & absolute preferenda est contemplatiua.</i> 316.	27	<i>Aestimatio, hac voce quando utamur.</i> 287.	44
<i>Aetiva, & contemplatiua fratris, secundum Arist. quis sit.</i> 317.	1	<i>Aestimatiois iustam lanceam impediunt amor, & odium.</i> 288.	2
<i>Aetiva contemplatiua qui praetulerint Philosophi, qui contra.</i> 316.	45	<i>Aetis sola facultatis impetum retardare nequit sine habitus auxilio.</i> 208.	22
<i>Aetiva respectu homo absolute bonus dicitur, contemplatiua vero non, sed tantum bonus speculator.</i> 320.	37. 41	<i>Affecti ab obiectis quando bortatore, & quando curante exeant.</i> 44.	36
<i>Aetivam propter contemplatiuam esse, cur naturae aduersetur.</i> 320.	16	<i>Affectibus non rapi quis dicatur & contra.</i> 45.	36
<i>Aetus speculandi quando sit suo fine minus nobilis, secundum Arist. quando vero contra.</i> 317.	30	<i>de Affectibus agens sperare etiam de appetitibus agere debet.</i> 44.	12
<i>Aetus secundus in Deo quomodo sit idem cum primo.</i> 277-1.	277-1	<i>de Affectibus.</i> 42.	13
<i>Aetus quibus homo exprimere naturae interiore mentis affectum erit.</i> Deum. 306.	21	<i>Affectu quis moueri dicatur.</i> 45.	50
<i>Aetus & potenti, utrum nobilior.</i> 30.	40	<i>Affectus quomodo idem sint eum appetitus.</i> 43.	4
<i>Aetus qui suum iuuent.</i> 196.	18	<i>Affectus, quae non satis commode a Cic. & alijs dicantur.</i> 47. 40	vsque ad 50.
<i>Aetus frequentati faciunt habitum.</i> 89.	9	<i>Affectus quid sit, & quid affectu moueri.</i> 45.	6
<i>Aetus reuerendi qui sint.</i> 305.	33	<i>Affectus ex habitus electiuo non excluduntur.</i> 194.	15
<i>Aetus ut mutantur, mutandus est appetitus.</i> 207. 9	207. 9	<i>lin.</i>	15
<i>Aetus actu, & habitus habitu pellitur, ut clauus clauo.</i> 207.	13	<i>Affectus, ut etiam appetitus, quando voluptatem adferant, vel dolorem.</i> 43.	44
<i>Aetus particulares commodius cognoscimus, quam vniuersales regulas addiscimus.</i> 305.	30	<i>Affectus quomodo dicantur appetitus, & quomodo affectus.</i> 43.	5
<i>Admirabilem esse felicitatem, non honorabilem.</i> 23.	30	<i>Affectus proprii qui sint.</i> 47.	18
<i>Admonitio quid.</i> 82.	47	<i>Affectus anima qui sint.</i> 42.	22
<i>Adolescentes quomodo, & cur exercendi.</i> 236.	26	<i>Affectus quomodo definiatur ab Arist. & a Gale- no.</i> 45.	24
<i>Adorare unde deducatur.</i> 306.	36	<i>Affectus omnes, atque appetitus irrationalis partis hirpitis eradicandos asseuerans Stoici.</i> 62.	32
<i>Adoratio, veneratio, & cultus quibus, praeter Deum, conueniant.</i> 396.	22	<i>Affectus mixti qui sint.</i> 47.	34
<i>Adoratio, cultus, & veneratio, quid Deo, & quid Dei respectu homini exhibiti exprimant.</i> 306.	45	<i>Affectus in quibus proprie dicatur.</i> 45. 21	34
<i>Aduersarij quomodo oppugnandi.</i> 218.	15	<i>Affectus in quibus anima sint potestatibus.</i> 46.	19
<i>Advocatus, non fortis dicitur, qui legibus, & iure tuetur.</i> 216.	29	<i>Affectus unde affectus appelletur.</i> 45.	20
<i>Adulterio abstinens non dicitur temperatus.</i> 149.	39	<i>Affectus definitio.</i> 45.	18
<i>lin.</i>	39	<i>Affectus quanam appelletur.</i>	ibid.
<i>Aemulatio unde oriatur.</i> 314	28	<i>Affectus pro quo motu capiatur.</i> 45.	49
<i>Aemulationis, & inuidiae discrimen.</i> 47.	29	<i>Affectuum quorundam origo.</i> 45.	26
<i>Aequa non sunt complura iusta, quae legibus continentur.</i> 158.	47	<i>Affectuum differentiae.</i> 46.	16
<i>Aequitas a iure non differt, nisi ex accidenti.</i> 159. 4	159. 4	<i>Affectuum cohibitione opus in societate.</i> 179.	44
<i>Aequitas, & commodorum paritas secundum rem iuri antecedit.</i> 268.	8	<i>Affici, & viuere, quare aliquo modo sint idem.</i> 44. 7	44. 7
<i>Aequitas omnis ius est, sed non omne ius aequitas.</i> 158.	21	<i>Affici, appetere, & agere quando dicamur.</i> 44.	1
<i>Aequitas, atque ius quando idem sint.</i> 160.	4	<i>Afirmatio, ac negatio sine obiectis nulla est.</i> 42.	40
<i>Aequitatem iustitiam quamdam esse, & quasi habitum actiuum dicit Aristoteles.</i> 160.	7	<i>Agendi principia quis ponderet.</i> 288.	1
<i>Aequitatis ratio ubi locum habeat.</i> 158.	36	<i>Agendi principia quae.</i> 55.	18
<i>Aequum iustum esse supponit Aristoteles.</i> 158.	26	<i>Agendi artem nullibi tradidit Aristoteles.</i> 57.	15
<i>Aequum a iusto sepe differt.</i> 158.	25	<i>Agendi principium quodque ad quid referatur.</i> 315.	34
<i>Aequus, & bonus vir quis.</i> 159.	29	<i>Agens secundum civilem facultatem quis.</i> 55.	47
<i>Aestimatio tertia species honoris alias duas com-</i>		<i>Agens a leuioribus malis retardari non debet, quae minus maiora prosequatur bona.</i> 56.	4
		<i>Agens post appetitiones agit.</i> 56.	3
		<i>Agens semper operatur, quod dicitur appetitus.</i> 55	45
		<i>lin.</i>	45
		<i>Agens semper agit sponte, nisi ab extrinseca aliquo principio sit coactus.</i> 55.	46
		<i>ab Agente artis dignitas.</i> 344.	23. 34
		<i>Agentis officium quod.</i> 56. 40. & 57.	16
		<i>Agere, affici, & appetere quando dicamur.</i> 44. 1	1
		<i>Agere</i>	

I N D E X.

<i>Agere possumus contra parentes, & patriam, Dei causa.</i> 227.	49	<i>Anima nititur corpore tamquam instrumento.</i> 83.	32
<i>Agere nemo solet, ut agat tantum.</i> 9.	50	<i>Anima quibus in rebus non videtur moueri obiectis.</i> 42.	27
<i>Agis nemo honestatis tantum causa, quo modo ab Aristotele definitur.</i> 217.	34	<i>Anima ex corpore translucescit, ut lumen ex laterna.</i> 102.	49
<i>Agricultura omnes a Regibus, & omnes Reges ab agricolis originem ducunt: dictum Platonis.</i> 260.	14	<i>Anima ut se habet in cognitione, ita & in appetitione.</i> 37.	45
<i>Agricultura cur inter artes mixtas dignas sit ponenda.</i> 343.	50	<i>Anima hominis quomodo fiat quodammodo omnia.</i> 319.	28
<i>Agricultura, & medicina differentia.</i> 344.	4	<i>Anima quare longe dignior corpore.</i> 326.	2
<i>Aleator ut pestilens ciuis abigendus.</i> 230.	24	<i>Anima nostra cunctas suas operationes beneficio corporis exercet.</i> 83.	52
<i>Aleatorem prodigum, an auarum dixeris cur nescias.</i> 230.	9	<i>Anima sabrefacta, ut corpori consociata illi vitam impartiat.</i> 276.	21
<i>Alexander fortis fuerit, necne, dubitatur.</i> 218.	24	<i>Anima potestates quot.</i> 38.	23
<i>Alexander cur iure optimo carpsit Xenocratem.</i> 228.	24	<i>Anime nostrae facultates tamquam harmonici cuiusdam instrumenti normi sunt.</i> 203.	3
<i>Amantes plorant libertatem amissam.</i> 169.	17	<i>Anima potestas nulla suas exercere potest operationes sine bona valetudine.</i> 83.	52
<i>Amari cur quilibet contendat.</i> 290.	17	<i>Anima potestatum perfectiones quae sunt.</i> 326.	22
<i>Amasis nouus homo Regi successit.</i> 258.	18	<i>Anima potestatum actiones cuius sint gratia.</i> 326.	24
<i>Ambitio quid.</i> 196.	4	<i>Anime potestates quot sint.</i> 62.	26
<i>Ambitioni quae virtus opponatur.</i> 196.	3	<i>Anime facultatibus omnibus ad arma impellimur.</i> 222.	34
<i>Ambitiosi cur honorem appetunt, & cur prohibentur.</i> 296.	36	<i>Anime potestates quomodo perficiantur.</i> 326.	19
<i>Amentes quos appellabat Socrates.</i> 318.	51	<i>Anima potestatum perfectiones quae propriae sint hominis, quae uero communes illi cum brutis.</i> 327.	12
<i>Amicam nonnulli tenent, nonnulli ab amica tenentur.</i> Chryssippi dictum. 99.	33	<i>Anime affectus qui sint.</i> 42.	23
<i>Amici cur sua tradant.</i> 192.	34	<i>Anima ad quid potestates contulit Deus.</i> 326.	15
<i>Amici sunt electione fratres, ut fratres uatura amici.</i> 281.	23	<i>Anima cur sint necessaria obiecta.</i> 42.	24
<i>Amicis tantum, ac necessarijs largientes cur liberales dicendi non sint.</i> 229.	30	<i>Anima humana potestatum fines diuersi.</i> 90.	45
<i>Amicitia maximum bonum ciuitatibus.</i> 282.	19	<i>Anima potestatibus singulis suis appetitus respondet.</i> 41.	3
<i>Amicitia qui non mouetur, humanitate compelli debet.</i> 263.	22	<i>Anima nostra naturalis quaedam proprietates.</i> 42.	14
<i>Amicitiam certam, & exploratam esse oportet.</i> 263.	3	<i>Anime potestates quomodo ultra moueri sunt censendae.</i> 42.	34
<i>Amico cur grauius irascamur, quam inimico, etiam si leuiter tantum nos laedat.</i> 73.	19	<i>Anima nostra, quoad earum naturam attinet, ab ipso ortu inter se non differunt, sed aequales omnes sunt.</i> 83.	41
<i>Amicorum quare omnia communia.</i> 290.	32	<i>Animal est sensu definitum.</i> 69.	34
<i>Amor, & odium non solum simpliciter, sed secundum comparationem etiam dicuntur.</i> 77.	23	<i>Animal a planta distinguunt Philosophi, motu locali, & sensu.</i> 68.	22
<i>Amor alienus est quarta species honoris.</i> 290.	10	<i>Animal quando operetur.</i> 329.	45
<i>Amor honorantis est pro mensura, & quantitate honoris.</i> 290.	50	<i>Animalia ratione carentia sua obiecta cognoscunt.</i> 61.	13
<i>Amor inopis est benefici honor.</i> 295.	49	<i>Animalia quadam irascibili potestate carent.</i> 61.	30
<i>Amor irascibilis, concupiscibilis, & rationalis quomodo differant.</i> 46.	25	<i>Animam absque obiectis appetere, & moueri quinam opinari possint.</i> 42.	46
<i>Amor, & odium iustam aestimationis lancem impediunt.</i> 288.	2	<i>Animi bona non tantum esse bona contra Stoicos probatur.</i> 6.	15
<i>Amor nascitur ex aspectu.</i> 104.	44	<i>Animi speculatiui perfectus habitus est scientia.</i> 92.	17
<i>Amorem alterius erga se, & honorem quoad eum amittere uinime differunt.</i> 290.	22	<i>Animi ligantur, ut uelint determinata, hoc est, aliena commoda.</i> 136.	38
<i>Amoris, & societatis idem signum inter pares, non inter dispares.</i> 304.	45	<i>Animi quibus rebus fluctantur.</i> 130.	6
<i>Amoris sunt gradus, sed proprijs nominibus carentes.</i> 47.	9	<i>Animi bona tantum sunt bona secundum Stoicos.</i> 5.	34
<i>Anima sine corporis munere perfici non potest.</i> 83.	35		

I N D E X.

<i>Animi liberorum bonitatem quando videantur dignari.</i> 135.	4	<i>Appetitus omnem an comitetur dolor.</i> 38.	34
<i>Animi bona naturalia quae sint.</i> 50.	38	<i>Appetitus iuuandi homines solus supra sensus est.</i> 202.	36
<i>Animi actiui habitus perfectus est virtus civilis.</i> 92.	17	<i>Appetitus irrationalis moueri debet quo modo rationalis, contra Aristotelem.</i> 83.	12
<i>Animi bona accidentalia quae sint.</i> 50.	32	<i>Appetitus iuuandi homines moderamen est bonitas.</i> 202.	38
<i>Animi mores tales fere sequantur oportet, quod si talis fuerit corporis constitutio, ac temperies.</i> 83.	10	<i>Appetitus cur animalibus additus.</i> 68.	14
<i>Animi effectiui habitus perfectus est ars.</i> 92.	18	<i>Appetitus fruendi commoda oritur ex opinione virtutis.</i> 287.	28
<i>Animorum status varij, ac diuersi sunt, antequam societatis vinculo copulentur.</i> 130.	18	<i>Appetitus tradendi commoda oritur ex opinione dignitatis.</i> 287.	28
<i>Animum sua natura perfectum dicunt Stoici, nequillo modo in meliorem, vel deteriore[m] statum adduci posse.</i> 79.	9	<i>Appetitus omnes sunt affectus, non contra.</i> 43.	1
<i>Animum curat civilis facultas; corpus medicina.</i> 358.	3	<i>Appetitus hominis est in infinitum, nisi cohibeatur iure, ne rapiat aliena; honestate, ne sibi ipsi fraudi sit.</i> 15. 31. 40.	40
<i>Animum praecipit indigere negant Stoici.</i> 79.	13	<i>Appetitus quid sit.</i> 37.	4
<i>Animus infantis quando instituendus.</i> 280.	34	<i>Appetitus est duplex, sensitivus, ac rationalis.</i> 49.	43
<i>Animus non nisi a se ipso laeditur, vel innatur, contra Stoicos.</i> 79.	29	<i>Appetitus concupiscibilis obiectum.</i> 238.	23
<i>Animus concitatus corpus ad obiecta mouet.</i> 55.	34	<i>Appetitus irascibilis potestatis quismam sit.</i> 41.	1
<i>Animus laedi non potest secundum Stoicos.</i> 3.	36	<i>Appetitus sensitivus, neque a ratione illuminatur, neque eam audit.</i> 83.	9
<i>Animus ab Aristotele in speculativum, & actiuum diuiditur.</i> 92.	15	<i>Appetitus societatis quomodo differat ab appetitu sociorum.</i> 137.	39
<i>Animus diuiditur in proprium actiuum, & effectiuum.</i> 92.	16	<i>Appetitus expletio an sit voluptas.</i> 36.	18
<i>Appetens cur aliquando recte appetat, aliquando minus.</i> 64.	38	<i>Appetitus sensitivi sunt cum brutis communes nobis traditi, ut vinamus.</i> 202.	30
<i>Appetens cur non recte appetat quas causas habeat.</i> 64.	42	<i>Appetitus quibus solam rebus excitetur.</i> 42.	38
<i>Appetens quis recte dicatur.</i> 54.	31	<i>Appetitus desinientes Stoici opiniones esse dixerunt.</i> 59.	24
<i>Appetere, affici, & agere quando dicamur.</i> 44.	1	<i>Appetitus sequitur cognitionem boni.</i> 88.	10
<i>de Appetitibus agens quare & de affectibus agere debet.</i> 44.	12	<i>Appetitus, atque affectus omnes irrationalis partis stirpis eradica[n]dos asseuerant Stoici.</i> 62.	32
<i>Appetitio est duplex; finis scilicet, & eorum, quae sunt ad finem.</i> 56.	26	<i>Appetitus an semper cognitionem sequatur.</i> 37. 46.	46
<i>Appetitio ita se habet ad suum obiectam, ut cognitio ad suum.</i> 37.	47	<i>Appetitus, cognitio, & actio necessarij exiguntur ad quemlibet motum absoluendum pro voluptatis comparatione.</i> 86.	35
<i>Appetitiones quales esse debeant.</i> 264.	31	<i>Appetitus suus cunctis animae potestatibus respondet.</i> 41.	3
<i>Appetitiones rationi, & iuri subijciendae.</i> 176.	23	<i>Appetitus rationalis potestatis quis,</i> 80.	3
<i>Appetitiones nostri commodi quomodo nos impediant.</i> 137.	3	<i>Appetitus vnicus oriri deberet ab vnica cognitione.</i> 60.	26
<i>Appetitiones diuersae cur ab vna cognitione proueniant.</i> 60.	19	<i>Appetitus vniuersaliter talis, qualis cognitio.</i> 88.	10
<i>Appetitiones qui retundere potest, iurique aquare, est ad felicitatem aptissimus.</i> 176.	34	<i>Appetitus naturalis quismam sit.</i> 38.	41
<i>in Appetitiones diuersas pertrahi possunt, qui nondum habitum perfecerunt.</i> 58.	38	<i>Appetitus quot.</i> 38.	20
<i>Appetituae potestati accommodari possunt omnia ea praecipit, quae accommodantur cognoscitina.</i> 58.	48	<i>Appetitus sensitivi bonum incundum, rationalis verò, honestum appellatur.</i> 49.	44
<i>de Appetitu.</i> 35.	34	<i>Appetitus firmiorem facit habitum, quam cognitio.</i> 57.	45
<i>Appetitu intellectu; homo moueri debet.</i> 83.	11	<i>Appetitus insurgit continuo cognitis bonis.</i> 55.	35
<i>Appetitiui sensitiuo cur sensus interior praefendus.</i> 327.	23	<i>Appetitus dum cum opinionibus confundunt, errant Stoici: nam sunt re ipsa omnino distincti.</i> 59.	26
<i>Appetitiui cognitionem semper antecedere sentiunt Plato, Aristot. & reliqui fere Philosophi.</i> 58.	9	<i>Appetitus praesentis boni cognitione sequitur.</i> 59.	44
		<i>Appetitus, ac potestates laudari, aut carpi etiam solent.</i> 59.	18
		<i>Appetitus magis trahit, quam distrahatur auersatio.</i> 59.	45

Appe-

I N D E X.

- Appetitus talis, qualis cognitio.* 59. 38
*Appetuum humanorum varietas difficultatem nõ
 leuem parit in bonorum æstimatione.* 52. 49
de Appetuum differentijs. 38. 15
*Apitudo ad promissiones, & ad obligationes duo-
 bus modis considerari debent.* 135. 12
Apitudo ad societatem quomodo cõsideretur. 120.
 lin. 18
*Apitudines omnes ad fruendũ aptitudinem redigũ
 tur.* 182. 30
Apus quis dicatur. 166. 47
*Argumenta omnia pertinent ad partem intellectu-
 uam.* 83. 8
Aristippi opinio de felicitate humana. 6. 38
*Aristippus de etiali, seu morali facultate multa vi-
 liler tradidit.* 3. 3
*Aristotelem in civili, seu morali facultate tradeda,
 omnium maxime auctor libri huius sequitur.* 4. 4
*Aristotelem civilem facultatem exacte non expref-
 sisse offenditur.* 3. 30
*Aristoteles nec in Ethicis, nec in Politicis, de iuris
 essentia disseruit, pro eius utilitate; nec quidquam
 dixit, quod ex illius natura ductum appareat.*
 157. 2
*Aristoteles censet ius esse quandam proportionem;
 banc verò rationum paritatem; rationem au-
 tem, habitudinem, seu respectum termini ad ter-
 minum.* 156. 23
*Aristoteles magnam firmitatem ait esse in humanis
 operibus, quæ a virtute proficiscuntur.* 93. 52
*Aristoteles iustum distributiuum affirmat secundum
 proportionem geometricam æquale esse, edmuta-
 tiuum verò secundum arithmeticam.* 154. 5
*Aristoteles animam ab obiectis, non ad obiecta mo-
 ueri censet. Plato verò contra.* 42. 46
*Aristoteles censet iniustum esse plus commodi acci-
 pere, & minus incommodi.* 150. 33
*Aristoteles duplex ius constituit commutatiuum, &
 distributiuum.* 153. 21
Aristoteles reprehensus. 147. 36. 156. 31. 82. 42.
 82. 26
*Aristoteles de honore, vt opinio est, nihil dixit, sed
 tantum vt signum est.* 23. 47
*Aristoteles non explicauit causam, cur vni iustitiæ
 nullum aliud vitium, præter iniustitiam, assigne-
 tur.* 150. 31
*Aristoteles suos fines quid reipsa sint non explicat.
 11. 50. & multa alia ad illos assequendos omittit.
 ibidem.*
*Aristoteles diuitem esse eum negat, qui ijs abundet
 diuitijs, quibus quis fame perire possit.* 84. 22
Aristoteles sibi contrarius. 9. 47
*Aristoteles nihil quoad virtutem docet nisi agendũ
 esse, Vbi, quando, & quantum oportet, vel
 dictauerit prudens, vel vt bono viro vide-
 bitur.* 9. 2
Aristoteles honestatem numquam definiuit. 9. 45
*Aristoteles dicit incontinentes, qui vniuersale ha-
 bent, tamen peccare.* 58. 25
- Aristoteles quid sit honestas non cognouit.* 9. 45
Aristoteles mores irrationali parti tribuit. 94. 17
*Aristoteles negat boni, de quo hic agitur, ideam in-
 ueniri, aut fingi posse.* 49. 22
*Aristoteles, licet in iustitiã vniuersa cunctas virtutes
 coniungat, singulas tamen a particulari iustitiã
 seiungit, & de ijs seorsim agit.* 226. 15
Aristoteles quãdo rectam esse ratione pulet. 79. 35
Aristoteles iustitiam statuit bifariam dici. 145. 32
*Aristoteles in civili facultate logica potius tradidit
 præcepta, quàm propria civilis artificis.* 88. 26
*Aristoteles numquam habitus morum, aut morum
 virtutes appellat.* 94. 16
*Aristoteles appellat manum instrumentorum instru-
 mentum.* 71. 52
*Aristoteles refragatur Scoto, qui censet voluntatem
 non cogi ab obiectis.* 55. 49
*Aristoteles in parte rationali dumtaxat locat virtutes
 cognoscitinas.* 79. 39
*Aristoteles de humanitate nihil omnino, de honestate
 verò pauca disseruit; neque earum naturam,
 essentiamque cognouisse videtur.* 186. 33
Aristoteles virtutem animi robur appellat. 203. 16
*Aristoteles nihil precipit, nisi ad medium respicien-
 dum, & bene assuescendum esse.* 201. 7
Aristoteles vegetatiuum reliquit. 63. 14
*Aristoteles prætermisit particularia, quæ ad artem
 explicandam sunt necessaria.* 88. 40
Aristoteles quid doceat de actionibus. 211. 41
*Aristoteles difficile esse ait, assignare quatenus sit
 irascendum.* 106. 20
Aristoteles Socratem reprehendit. 60. 38
*Aristoteles non artis, sed scientiæ, vel potius histo-
 riæ modo de virtute agit.* 80. 50
*Aristoteles Socratem carpit, quod tantummodo scire
 doceret.* 201. 2
*Aristoteles, & Plato affirmant, irascibilem, & con-
 cupiscibilem potestatem a rationali instrui.* 62. 41
*Aristoteles dicit vitiorum actiones fieri cum volu-
 plate.* 81. 59
Aristoteles artem agendi nullibi tradidit. 57. 15
*Aristoteles bene agere simplex esse dicit, malè vero
 agere multiplex.* 206. 26
*Aristoteles idoneos nos esse dicit ad virtutes susci-
 piendas natura, suscipere autem consuetudine.*
 64. 34
Aristoteles experientiæ repugnat. 61. 7
Aristoteles memoria lapsus vbi videatur. 88. 51
*Aristoteles censet actionẽ iustam mediam esse inter
 agere, ac pati iniuriam.* 150. 32
*Aristoteles censet nos constare elementorum viribus,
 quæ ab innato calore absumuntur.* 66. 50
Aristoteles iustum aquum esse supponit. 158. 26
*Aristoteles, cum diceret prudentiam esse habitum cũ
 recta ratione agendi, existimauit se ijs verbis pru-
 dentia tradidisse doctrinam, atque homines red-
 didisse prudentes.* 81. 7
*Aristoteles Socratem incusat, quod aduersus expe-
 rientiam dicere videretur.* 61. 8

Aristo.

I N D E X.

<i>Aristoteles ait admonitiones, cohortationes, & increpationes indicare, partem ratione vacantem rationi obtemperare; sed in hoc reprehenditur.</i> 82.	40
<i>Aristoteles ubi collocavit summum bonum.</i> 56.	47
<i>Aristoteles dividit animum in speculativum, & activum.</i> 92.	15
<i>Aristoteles censet iram inveteratam esse odium.</i> 75.	23
<i>Aristoteles principium ex pravis operationibus corrumpi asserit.</i> 95.	37
<i>Aristoteles sentit vegetativam eandem esse in nobis, atque in brutis.</i> 61.	27
<i>Aristoteles non investigavit ea extrema, in quorum medio sita est iustitia.</i> 150.	27
<i>Aristoteles asserit nos incorruptos de voluptate non iudicare.</i> 97.	46
<i>Aristoteles primus omnium civilem, seu moralem facultatem in ordine redegit, pag. 2. lin. 42. non tamen exacte expressisse ostenditur.</i> 3.	30
<i>Aristoteles dicit aequitatem iustitiam quamdam esse, & quasi habitum activum.</i> 160.	7
<i>Aristoteles existimat iram rationis imperium non expectare.</i> 60.	46
<i>Aristoteles de liberalitate sermonem faciens, cur suorum principiorum oblitus videtur.</i> 226.	25
<i>Aristoteles virtutis substantiam in differentia constituit cunctis artificibus communi, nec recte.</i> 194.	21
<i>Aristoteles vult leges omnia, quaecumque ad singulas virtutes pertinent, imperare, & male.</i> 275.	12
